Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

1766

Visual Library

Bibliotheca
Nova

Brem.c.70

Brem
c
70

Brem.
c.
70.

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA

CLASSIS SEXTAE
FASCICVLVS PRIMVS.

Cum tabulis æri incisis.

BREMÆ & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
Viduæ b. G. W. RUMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXVI.

VIRO

REVERENDISSIMO,

IOANNI HENR. PRATJE,

CONSILIARIO ECCLESIASTICO
REGIO,
ET
SVPERADTENDENTI
ECCLESIARVM BREMENSIS
ET VERDENSIS DVCATVVM
GENERALI,
QVI
MVNERVM ET DIGNITATE
ET GRAVITATE,
MERITORVM
IN REM ECCLESIAST. ET LITTERARIAM
COPIA,
FIDELISSIMA COETVVM CVRA,
QVA ERVDITAM PIETATEM
PROMOVERE STVDET ADSIDVE,
VT ET
MORVM COMITATE
REVERENTIAM
SIBI PROMERVIT GENERALEM,

SEXTVM DECIMVM HVNC

BIBLIOTH. BREM.

NOVÆ

FASCICVLVM,

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA,

JVBET ESSE SACRVM,

ROGATQVE ENIXE,

VT SIBI,

ET INSTITVTO HVIC

PORRO FAVERE PERGAT,

ET

LABORES EJVS SACROS

DIVINO MODERAMINI,

OMNIAQVE IPSI CHARA

BENEDICTIONI COELESTI

COMMENDAT

EDITOR

NICOLAVS BARKEY.

ELENCHVS CONTENTORVM FASCICVLI PRIMI CLASSIS SEXTAE.

I. DANIELIS HENRICI HERING, *V. D. M. ad ædem Cathedr. Halenſem*, (nunc vero *V. D. M. Eccleſiæ Reformatæ Wratislavienſis,*) Diſſertatio *de doctrina Bileami, Nicolaitarum & Jeſabelis, ad* APOC. II, 14. 15. 20. pag. 1

II. JOANNIS CAROLI BONNET, *V. D. M. & Rectoris Taberno-montani*, Diſſertatio Hiſtorico-Chronologica, *in qua regni Nebucadnezaris, Babyloniorum Regis, & Judæ Regum, Jojakimi, Jechoniæ atque Zedekiæ anni conferuntur, ad* JER. XXV, 1. pag. 37

III. CORNELII DE WITT, *V. D. M. Emeriti, & LL. OO. Profeſſoris in Ill. Sylva-Ducenſium Athenæo*, Diſſertatio Theologica *de Davide Propheta* p. 62

IV.

IV. DAVIDIS MEIER, *V. D. M. in Ham & Franzum Groninganorum*, Obſervatio *ad* EPH. VI, 10 *ſeq. qua probatur, Paulum in hoc Epilogo non univerſum coetum Epheſinum, ſed miniſtros & Antiſtites ejusdem coetus Epheſini alloqui* pag. 98

V. LVDERI KVLENKAMP, *Phil. Prof. Publ. Ordinarii, & coetus Reformati Goettingenſis, V. D. M.* Specimen Emendationum & Obſervationum *in Etymologicum Magnum, maximam partem petitarum ex Codice Gudiano, qui Guelpherbyti in Sereniſſimorum Ducum Brunſuico-Luneburgenſium Bibliotheca adſervatur* pag. 133

I.

DAN. HENRICI HERING,

V. D. M. AD ÆDEM CATHEDR. HALENS.

DE

DOCTRINA BILEAMI, NICOLAITARUM ET JEZABELIS,

AD

APOC. II, 14. 15. 20.

DISSERTATIO.

§. 1.

Pendet ab uno S. S. loco ſenſus alterius, qui illi affinis ita deprehenditur, ut ad eum reſpiciat, quæque in eodem tradita ſunt, iterum præcipiat atque inculcet. Omnis certa interpretandi ratio efflagitat, ut quamcunque tum prioris loci dederis explicationem, hanc & poſteriori applices;

qui ſi eandem admittat non ſolum, ſed, in proprio ſuo ſitu & nexu conſideratus, requirat etiam, de veritate illius explicationis non leve exhibet teſtimonium, & iis, quæ pro ea dicta ſunt, non minimum addit pondus. Ex horum cenſu ſunt absque omni dubio illa loca *Act.* XV, 20. 24. & *Apoc.* II, 14. 15. 20. Tanta enim eſt inter præceptum Apoſtolorum, quod ibi relatum legimus, eum eo, quod *Nicolaitis* & *Jezabeli*, qui *Bileamo* in ſua doctrina pares exhibentur, crimini hic datur, convenientia, ut facile cuique primo intuitu ſentiendum ſit, ad illud præceptum digitum intendi, atque hos a Chriſto per Joannem redargui, quod quæ Apoſtoli obſervanda, Spiritu Sancto dirigente, ſanxerant, adeo negligerent, ut & contraria facere ac tradere publice eſſent auſi. Omnis enim horum hominum hæreſis his duobus capitibus abſolvitur, quod docuerint, εἰδωλόθυτα φαγεῖν καὶ πορνεῦσαι, quæ eadem ipſa ſunt, quæ Apoſtolorum συναξις Hieroſolymitana cavenda edixerat. Quo ſenſu igitur vocem πορνειάν in illo decreto Apoſtolico ſumſeris, eodem & το πορνεῦσαι in his locis Apocalypticis ſumendam eſſe, neceſſitas hermeneutica urget. Jam cum nuper pro viribus operam dederim, (vid. *Biblioth* hujus *Claſſ.* IV. *Faſc.* III.) ut per πορνειάν ab Apoſtolis matrimonium cum idololatris intellectum

ctum esse efficerem, idque ex recepto inter Judæos loquendi usu *) & ipsa rei, de qua agebatur, indole probarem: nunc animus est evincendi, hic in Apocalypsi, quod tum jam tribus verbis indicavi *p.* 314, eandem notionem cum eadem voce esse conjungendam. Quod si rite factum fuerit, ostendendo, textum sacrum hanc explicationem non modo admittere, sed & insuper requirere, non parum roboris, puto, sententiæ illi de πορνειᾳ ab Apostolis vetita accedet, & nova luce *Nicolaitarum* ac *Jezabelis* historia hæretica illustrabitur.

§. 2.

Cum vero *Bileamus* primus nominetur, & ad ejus exemplum docuisse Nicolaitæ dicantur, κρατουντες την διδαχην Βαλααμ, quod caussæ nostræ præprimis obesse existimabunt plurimi, a *Bileamo* initium faciendum, & quæ ejus vera fuerit doctrina, perquirendum esse intelligimus. Suggessit ille quon-

*) Exemplis ad hunc finem propositis nihil addo. Id vero monuisse non injucundum erit, LXX. Interpretes hebr. זרה in adducto loco *Prov.* V, 3. reddidisse per græc. πορνη, quam commodam observationem me debere amicitiæ celeberrimi Philologi, IO. SIMONIS nostri, gratus profiteor.

dam *Balaco*, Moabitarum regulo, a quo erat ad imprecandum populo Iſraëlitico evocatus, cum res ex voto non ſucceſſiſſet, callidum aliquod conſilium, quod per דבר בלעם, *Num.* XXXI, 16. innuitur, qua ſcilicet ratione Rex, quod a gente Hebræa timebat malum, averteret; atque illud in Apocalypſi την διδαχην Βαλααμ vocari, extra dubitationis aleam eſt poſitum, cum quæ ſequuntur, ὁς ἐδιδασκεν τον Βαλακ βαλειν σκανδαλον ἐνωπιον των υἱων Ισραηλ, nos omnino ad hiſtoriam illam in *Numeris* relatam ablegent. Id vero conſilium *Bileami* eo tetendiſſe putatur vulgo, ut *Balacus*, inſtitutis idolo *Baal Pheori* ſolemnibus, Iſraëlitas ad epulas feſtivas gaudiaque publica invitaret, atque hac occaſione per lectiſſimas ex Moabitica & Midianitica gente puellas, quibus forma & vultus, ceteraque ad captandos & illaqueandos animos dona, *ad promiſcuos cum iis concubitus & vagæ Veneris opera exercenda* ſeduceret, quo pacto Iſraëlitæ Deum ſuum ſibi habituri ſint iratum, Ejusque auxilio & gratia non amplius gaviſuri.

§. 3.

Sed liceat nobis confiteri, hanc plurimorum & tantum non omnium ſententiam, quantum quidem ad *promiſcuos concubitus* attinet, nullum plane in textu ſacro invenire,

re, quo se tueatur, patrocinium. Traxit enim omnes, qui ita sentiunt, in hanc opinionem, quod est in narratione Mosaica *Num.* XXV, 1. vocabulum לזנות, quod necessario hic, ut alibi, ac si nulla alia vocis significatio locum habeat, fornicationis nefarium actum indicare autumarunt. Nonnullos vero movit etiam vox קבה *v.* 8, qua locus, quem *Simri* cum puella adducta ingressus est, indigitatur, quod eam a *Vulgato* per *lupanar* redditam animadverterent. Atque præter hæc duo in tota historia *Mosis* nihil omnino reperitur, quo communis illa sententia inniti possit. Jam vero cum constet, זנה & græcum πορνευειν apud Judæos fuisse ambiguæ significationis, nec necessario ubique de fornicatione intelligendum, nisi id ex adjacentibus efficiatur, atque, ut demonstrasse mihi videor, ad matrimonium stabile cum *idololatris* vel *infidelibus* indicandum etiam fuerit adhibitum, frustra ad illud provocari, planum est. Quod vero ad vocem קבה attinet, quæ sola hic possit adhuc in auxilium vocari, certissimum est, gratis eam & sine idonea ratione a *Vulgato*, & qui eum sequuntur, per *lupanar* reddi. Nam id ita fieri debere, ex repetito ejus in sacris litteris usu nequaquam constat, cum ex ἁπαξ λεγομενοις sit, & præter hunc unicum locum in toto sacro codice non amplius

reperiatur. Omnis hinc ejus, quam habet, vis ſignificandi, ex etymologicis tantum rationibus, ex linguis affinibus & verſionibus antiquiſſimis, ut poteſt, ita debet colligi. Obſervarunt autem viri linguæ Arabicæ peritiſſimi, ex quibus BOCHARTUM *) nominaſſe ſufficit, apud Arabes *concameratum opus* conſimili vocabulo indicari, eosque in tali ﺍﻟﻘﺒﺔ *alkobba*, ipſum *ſponſæ thalamum* ponere; hinc קבה in genere *cameram* notabit, ſine ulla turpitudinis nota voci inhærente *). Quod ſi jam & verſiones antiquiſſimas conſulamus, ita eas hanc vocem reddere reperiemus, ut nihil, quod ad lupanar accedat, exhibeant. *Targum* ONKELOSI habet קברתא, & *Samaritanus Interpres* prorſus eandem vocem, adeoque hi non niſi hebraicum קבה referunt, unde ex iis in hac cauſſa nihil effici poteſt **). *Syrus* vero ponit ﺑﻴﺖ ﻣﻠﻜﺎ, quod eſt *cubiculum*, ὁι LXX. habent

*) *Hieroz.* P. I. Lib. IV. c. 8. col. 1092. ſq.

**) cf. etiam cel. IO. SIMONIS tam *Arcanum form.* p. 334. quam *Lexic. hebr.* h. v.

***) Patet hinc, qui tradunt, ONKELOSUM & *Samaritanum* in ſuis verſionibus *locum inhoneſtum* habere, (vid. *Biblia ex Anglis illuſtrata* T. II. p. 586. verſ. german.) non eos ipſos inſpexiſſe, ſed tantum in Polyglottis iis appoſitas verſiones latinas.

bent καμινον, SYMMACHUS πυρινιον *), AQUILA τεγος. In his nihil inhoneſti reperitur & quod locum fornicationis vel e longinquo indicet. JOSEPHUS in ſua relatione illud קבה per σκηνην exprimit, & Judæorum recentiorum doctiſſimi non minus per אהל *tentorium*, explicant. Satis hinc ſuperque conſtare arbitror, *Vulgatum* non ipſam vim vocis, ſed ſuum, quem ei ineſſe ſine ratione credidit, ſenſum expreſſiſſe.

§. 4.

Hæc cum ita ſint, nihil eſt in tota relatione Moſaica, quod impediat, quo minus hic de nuptiis cum feminis idololatricis cogitare, atque de iis verba iſta ויחל העם לזנות אל-בנות מואב explicare poſſimus, permittente id voce זנה, quam de hujus generis nuptiis adhibere ſolebant Judæi, & etiam voce קבה, quæ nihil inhoneſti habet adjunctum. Atque hoc pacto conſilium *Bileami*, quod *Balaco* regi dedit, in eo nobis conſtitiſſe videtur, ut rex gentem Iſraeliticam, cui vincendæ impar eſſet, matrimo-

*) Pro eo BERNARDUS *ad Joſephum* T. I. p. 221. ed. Haverc. legi vult πορνειον ex præconcepta opinione. Vocabulum illud inſolens πυρινιον, a πυρ derivatum, conclave indicat, in quo focus eſt & ignis alitur.

nii vinculo, quod omnium arctiſſimum eſt, populo ſuo jungeret; in hunc vero finem nitidiſſimas & pulcherrimas ex gente Moabitica & Midianitica puellas in ſcenam eſſe producendas; quæ qua poſſent arte, quibusve valerent blanditiis Iſraëlitas allicerent, amorisque igniculos in iis excitarent, quibus hi agitati illas ſibi poſcerent vitæ ſo ias, atque ita cum iis facile cedentibus connubii vinculo copularentur: hac enim re *Balacum* id effecturum, ut utraque gens aut brevi in unam coaleſceret, adeoque ille utrique imperaret, aut ſaltim non haberet, quod a populo tam affini timeret mali; quod ſi vero puellarum iſtarum ope inſuper ad communionem ſacrorum, quæ Diis Moabitarum exhibebantur, adducerentur Iſraëlitæ, quod omnium optime fieri poſſet invitando ad epulas ſacras ex εἰδωλοθυτοίς paratas, tum eos grave Dei ſui, utpote qui ſolus ab iis coli velit, incurſuros odium, tum eos ab Eodem plane repudiatum iri, nec amplius Ejus forti & tremendo patrocinio eſſe fruituros. Hoc modo certe, ſi explicetur *Bileami* conſilium, non erit adeo craſſum & pingue, ſed tam aſtuto & vaferrimo, ut erat, homine magis dignum.

§. 5.

Habemus JOSEPHUM plane eodem modo de hac re ſentientem, qui ubi de hoc negotio

negotio narrationem inſtituit, eamque more Liviano per ſermones perſonis apte affictos amplificat atque exornat *), non niſi ut ſtabile matrimonium id repræſentat, quod intenderunt Iſraëlitæ in iſto cum filiabus Moabitarum commercio. Hebræorum enim juvenes, ut habet, apud puellas iſtas ſupplicibus precibus inſtant, μη σφας καταλιπειν· ἀλλα γαμετας αὐτων ἐσομενας αὐτοθι μενειν καὶ δεσποινας ἀποδειχθησομενας παντων ὡν ὑπηρχεν αὐτοις, *ne ſe deſererent; ſed conjuges illis futuræ & facultatum ſuarum omnium dominæ ſecum maneant.* Puellæ etiam in ſua ad hæc reſponſione non minus de permanente ac firmo conjugio loquuntur: πιϛιν ἐυνοιας λαβουσαι, την μονην ὑμιν ἀξιολογον νομισθεισαν, ἀγαπησομεν τον μεθ' ὑμων βιον ὡς γαμεται διανυσαι, *cum eam benevolentiæ veſtræ fidem acceperimus, quæ ſola alicujus nobis æſtimari mereatur, libenter vobiscum, ut legitimæ uxores, vitam agemus.* Meminit & poſtea *Zambriæ* (qui idem ille *Num.* XXV, 14. *Zimri* vocatur) quod conſueverit *Chosbiæ* Madianitidi, juſſusque a muliere, ut contemtis Moyſis placitis, ſui ad arbitrium ſe componeret, illi obſecutus ſit, ἐυ θυων τα πατρια καὶ γαμον ἠγμενος ἀλλοφυλον, *ſacra non more patrio faciendo & uxore ducta alienigena*, qui

*) *Antiq. Judic.* Lib. IV. c. 6.

& in ſuo, quo Moſen allocutus fertur, ſermone ait: γυναῖον τε ξενικον, ὡς φης, ἠγμαι, *mulierem peregrinam, ut ais, in uxorem duxi.* Sole clarius ex his elucet, JOSEPHUM illud omne, quod *Moſes* vocabulo apud ſuos recepto זנות *ſcortari* appellavit, de vaga Venere vel fornicatione proprie ſic dicta, non intellexiſſe.

§. 6.

Ab hac quidem exponendi ratione, quam in *Joſepho* conſpicimus, recedit omnino PHILO, qui non tantum, ubi allegorizandi furore rapitur *), commercium illud cum filiabus Moab de laſciva converſatione cum mentis filiabus, id eſt ſenſibus, tanquam cum χαμαιτυποις καὶ πορναις, interpretatur; ſed etiam ubi ſedata & tranquilliore mente, ac uti hiſtoricum decet, rem refert **), omnia ut per fornicationem propriam acta repræſentat. Hic tamen ejus a *Joſepho* diſſenſus quid probat, niſi tum temporis diverſas jam viguiſſe inter eruditos Judaicæ gentis de hac re opiniones? Noſtrum eſt, eas dijudicare, quamque non ſolum cum verbis Moſaicis congruentem, ſed & naturæ rei ſecundum probabilitatis leges magis conformem

*) *De Somniis* Opp. p. 578. ed. Francof.
**) *De vita Moſis* Lib. I. Opp. p. 648.

mem invenimus, eam eligere; quo posito, non dubitamus, quin ea, quam *Josephus* sequitur, sententia & interpretatio, altera se priorem & probabiliorem sit commendatura. Honestatis etenim speciem saltim, etiam cum pessime agunt, solent gentes prætendere, ubi cum gentibus aliis commercium instituunt, easque sibi conciliare atque secum conjungere student; quapropter figmentum Judaicum nimis redolet, quod de populi cum populo fornicatione, eaque solemni & publica hic narratur. Nam quis ingenium posteriorum Hebræorum ignorat, pronum ad omnia, quæ Gentiles spectant, sinistre interpretanda & commercium cum iis, præcipue si contra legem fuerit institutum, auctis turpitudinis notis infamandum? Ex hoc ingenio certe fluxerunt inaudita illa, horrenda & abominanda, quæ Talmudistarum natio de cultu *Baal-Pheoris* scriptis suis tradidit, in quibus vero cum PHILO iis jam præiverit *), quam fuerit ei ad pessima quævis temere credenda ingenita mens, satis aperuit. Nam adeo obscœna sunt & fide indigna, quæ de istis perhibentur sacris, quibus & Israëlitæ se dicuntur commaculasse, ut VOSSIUS **) non immerito judicaverit, naris

*) *De nominum mutatione* Opp. p. 1061.
**) *De idolol.* Lib. II. c. 7. p. m. 175, cf. etiam DION.

naris eum eſſe valde obeſæ, qui exſiſtimet, usque adeo communi ſenſu caruiſſe Moabitas, & nimis ſtulte eum de aliis opinari, qui hujusmodi ſe poſſe perſuadere ludibria putet. *Joſepho* vero præ *Philone* hæc laus debetur, quod nihil tale, quod ad has nugas pertineat, ſcriptis ſuis immiſcuerit.

§. 7.

At accuſatur, novimus, hiſtoricus hic Judæorum, quod Ethnicorum gratia & ut honori gentis ſuæ conſuleret, a veritate hiſtorica nonnunquam receſſerit; nec eum ab hoc crimine læſæ veritatis abſolvere eſt animus, cum exempla legenti bene multa in ejus libris occurrant, in quibus partim nimis magnifice res Judæorum deſcribit, ut exterorum admirationem iis conciliet, partim quædam tacendo ſupprimit, quibus Judæi Romanis ludibrio vel erant vel futuri eſſent, partim quædam ex ingenio immutat, ne

DION. VOSSIUS filius *ad Maimon. de idol.* c. 3. §. 2. p. m. 20. præcipue vero SELDENUS *de Diis Syris* Synt. I. c. 5. p. 162 ſqq., qui ſuam de *Baal-Pheore* diſquiſitionem his verbis concludit: *Appage igitur Rabbinorum nugas de ſtercore, illas foetidas, quas ipſiſſima Moſis & Davidis Pſ. CVI. 28. verba explodunt, cum & templi ejus & ſacrorum tam ſignanter meminerint.*

ne fidem ſuperare gentibus viderentur. Sed cum in hoc negotio, in quo nunc quidem verſamur, non reperiatur, quo dici poſſit, popularium honori & famæ ſtudere, quippe quos criminis reos facit & turpiſſime omnino egiſſe perhibet, dum mulierculis adeo morigeros & obſequentes ſe præbuerint, atque voluptati maluerint indulgere, quam vitam ad Dei præſcriptum agere; non eſt, quo eum hic ſtudio rem aliter, ac geſtam eſſe ipſe putaverit, narraſſe arguamus. Et quid quæſo opus habuiſſet, Judæos ſtupri reos, & quidem ſacris *Peoris* operantes, Romanis & Græcis tacere atque alium facto colorem inducere, cum talia apud eosdem non adeo flagitioſa putarentur & ipſi publicis ſumtibus proſtibula in certis templis ſat magno numero alerent, quæ omnium libidini proſtarent? Cum denique de ſuæ ætatis *Judæis nefanda flagitia*, quin & ſodomiticas libidines, non dubitaverit referre *), cur credendus eſt, in re minori turpitudine laborante, antiquæ ſuæ genti parcere voluiſſe? Præcipuum vero eſt, nihil in ejus narratione eſſe, quod verba *Moſis* ferre non poſſent, quodque cum iis non poſſit conciliari. Hinc nec BRINCHIUS, nec *van* DALE, nec alii

*) *De Bello Jud.* Lib. IV. c. 9. §. 10.

alii, quantum quidem recordamur, Joſephomaſtiges hanc ejus hiſtoriæ pericopen ſugillare auſi ſunt, quod ſane non repererunt, qua ratione id facere poſſent. Nec ipſi nos, cum pariter ac ille, non de fornicatione propria, ſed matrimonio, cogitamus, cenſendi ſumus, hac ratione peccatum Iſraëlitarum nimis extenuare, quod tamen Deus ipſe, ut graviſſimum, cæde quatuor & viginti millium expiari voluerit. *Num.* XXV, 9. Cum enim illegitimas ac prohibitas nuptias contraherent, & quod maximum eſt, mulierculârum illecebris ad idololatriam, quam publice in Deum rebelles exercebant, ſe induci ſimul paterentur; crimen eorum manebit atrociſſimum & graviori divina vindicta digniſſimum.

§. 8.

Hoc offendiculo jam remoto, quod ex vulgari de *Bileami* conſilio vel, ut hic vocatur, *doctrina* & ad eam facta fornicatione cum filiabus Moab ſententia naſcebatur, ad τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαιτῶν accedimus, quæ in eccleſia Pergamena vigebat, quam & mulier *Jezabel* in Thyatirena eccleſia ſparſit, quæque τῇ διδαχῇ Βαλαὰμ conformis fuiſſe dicitur; atque ea in medium producimus, quæ & hic illud πορνεῦσαι de propria ſcortatione intelligere

telligere prohibent & de matrimonio cum idololatris potius jubent cogitare.

§. 9.

Senserunt vero hoc jam ante nos nonnulli, de ea scortatione, qua turpia libidinosæ carnis opera designantur, sermonem hic esse non posse, nec eam per illud πορνεῦσαι indicari. Inter hos est Vir historiæ & antiquitatis ecclesiasticæ quondam peritissimus, Theologus dum viveret Academiæ Francofurtensis illustris b. PAUL. ERN. JABLONSKI, qui scribere non dubitavit *): *Ego doctrinam adeo scelestam, ipsis Gentilibus abominandam, in Ecclesia Christiana publice & audacter promulgatam fuisse, difficulter credere possum, qui præterea novi, eam placitis Gnosticorum* **) *fundamentalibus e diametro adversari;* atque hinc fornicationem mavult spiritualem, vel

*) In *Diss. de Jezabele, Thyatirenorum Pseudo-Prophetissa* §. 10. p. 18. Prodiit Franc. ad Viadrum 1739.

Elegantissimam hanc Dissertat., quæ rarior jam est & omnino legi meretur, sequenti alicui Fasciculo D. V. inserere animus est, & hoc ipso gratiam Lectorum promereri. *N. B.*

**) Nam ex Gnosticorum turba fuisse, quæ sub *Jezabelis* nomine latet, feminam, persuadet, quod Gnosticis hæreticis id plane proprium fuerit, ut mulieribus potestatem facerent docendi & sacra in ecclesia Dei administrandi, §. 6-9.

vel doctr'nam idololatriæ & falſæ religioni patrocinantem. Aſt alii ob eandem rationem, quod ſcilicet incredibile iis videretur, idololatriam publicos habuiſſe in eccleſia Chriſtiana doctores, qui aperte eam prædicarent atque defenderent, calculum ſuum illi ſententiæ, quæ vaga Veneris commercia agnoſcit, adjecerunt. Atque ſic, prout ex his duobus unum nimis durum & creditu difficile viſum eſt, ad alterum quisque confugit, quod aliis vero iterum æque durum & incredibile videtur. Nemo ſcilicet interpretum de tertio aliquo eoque mitiore ſenſu της πορνειας cogitavit, qui in gente Hebræa fuit receptus, & quamvis Viri eruditiſſimi eundem non ignorarunt, ad illuſtrandam tamen S. S. eodem uſi non ſunt, nec quidem hoc in loco, quanquam ipſe textus ſacer de eo cogitare eumque adhibere jubeat.

§. 10.

Nam optimus Servator tam Pergamenæ, quam Thyatirenæ eccleſiæ, quam utramque primum *v.* 13 & 19. ob fidem, in eaque conſtantiam moresque probos laudaverat, quædam deinde exprobrat, quod nimirum illa *Nicolaitas*, hæc mulierem *Jezabelem*, docentes ειδωλοθυτα φαγειν και πορνευσαι, toleret, atque ipſe hæc ολιγα dicit.

Εχω

Ἐχω κατα σε ὀλιγα. *v.* 14 & 20. *) Extenuantis hæc eſt dictio, ut apud JUVENALEM **).

Ipſi pauca velim, facilem ſi præbeat aurem.

Hæc vero nosne a cogitationibus iſtis revocant, quibus *Nicolaitæ* atque *Jezabel* promiſcui concubitus publici Profeſſores & Doctores creduntur, aut tales, qui idololatriam & cultum vaniſſimorum Deaſtrorum publice inculcarunt? nonne hæc mitius de iis ſentire

*) Sunt Codices non pauci, nec ſpernendæ auctoritatis, & verſiones inſuper & Patres, qui *v.* 20. ὀλιγα omittunt, immo quidam, ſed per pauci pro eo exhibent πολλα vel πολυ, quod procul dubio ex corrigendi ſtudio eorum natum eſt, qui ὀλιγα hic ferre non potuerunt ob fornicationis vel idololatriæ notionem, quam τῳ πορνευσαι ſubeſſe rati ſunt. Sed quamvis hæ omiſſiones & mutationes *v.* 20. occurrant, ut BENGELIUS propterea illud ὀλιγα e textu eliminaverit, (ut ante eum edd. Complut. Plant. & Genev. eandem vocem non expreſſerunt,) & WETSTENIUS eidem obelum præfixerit: omnes tamen codd. & verſiones *v.* 14. hoc ὀλιγα conſtanter & ſine ulla mutatione retinent. Atque id nobis ſufficit, quo enim modo hoc verſu de τῳ πορνευσαι cogitare jubemur, eodem & *v.* 20. de illo erit judicandum, ſi vel maxime hic omittendo ὀλιγα, tantum legas: ἐχω κατα σε.

**) *Satyr.* V. 107.

tire jubent? Crimina certè illa ſunt primi ordinis, quæ ut erudimur, hominem hæreditate vitæ cæleſtis penitus excludunt 1 *Cor.* VI, 9. *Apoc.* XXII, 15, quæ in ſanctiſſimis Dei oculis iis deditos quam maxime reddunt abominabiles, quæque graviſſimam Ejus excitant iram atque vindictam. At homines talium criminum publice reos non tantum, ſed & ad ea committenda alios aperto conatu allicientes, atque perfricta fronte eadem ut licita, recta & innoxia palam defendentes, in ſinu ſuo fovere, cum iis in ſacrorum communione permanere, dum eos excludendi vel ab iis ſe ſeparandi ſit plena poteſtas, nec iis publice & pro viribus ſeſe opponere: quid hoc eſt, quam tacite & ipſo opere iis applaudere, atque adeo flagitii eorum ſe participem facere? An id vero ὀλίγον τι vocandum? an id ab ipſo Chriſto ita vocatum eſt exiſtimandum? En! quanta fulmina vibret PAULLUS Apoſtolus in Corinthios, quam acriter eos perſtringat, quam graviter ponderoſiſſimis verbis eos inſectetur, quod unum hominem publice impurum & inceſtuoſum tolerent? 1 *Cor.* V. Pergameni vero & Thyatireni totam cohortem publice flagitioſorum, immo flagitiorum publicos doctores, obſcœnos mores depoſita omni verecundia, aut idololatricum falſorum numinum cultum, in honorem

rem unius Dei O. M. injurii, promovere dictis factisque allaborantes tolerant atque fovent, atque Christus ipse, qui ad id in mundo præprimis apparuit, ut hæc Diaboli opera profligaret 1 *Joh.* III, 8. id ὀλιγον nuncuparet? ἐχω κατα σϑ ὀλιγα? Quis hæc conciliare potest? At vero si illud πορνευειν de matrimoniis cum idololatris initis, qui mitior est vocis significatus, explices, habes, quod peccatum levius certo quodam respectu vocari possit, & quod qui tolerant indulgentes, ἐν ὀλιγῳ peccare dici possint. Non enim eo, ut nec esu idolothytorum juris naturalis aliquod præceptum violatur, nec tale est, si in se spectetur, quod cum Christianismo & pio in Deum animo consistere nequeat. Scandalum tantum erat tum temporis infirmis, acceptum vero magis, quam datum, ut in scholis loquuntur, ex φιλαδελφια tamen & quam maxime ex præcepto Spiritus Sancti & Apostolorum, tunc quidem temporis omnino vitandum. Hoc igitur si teneas, omnia conspirabunt. Nec vero est aliud, quod illius loco commode & cum ratione substituere possis.

§. 11.

Sed intercedit hic Vir celeberrimus & plurimum reverendus FERD. STOSCHIUS, qui, quam *v.* 13 & 19. invenimus, Pergame-

norum & Thyatirenorum laudem non agnoſcit, ſed nova ratione, quæ ibi dicuntur, *per ironiam quandam*, *acerbam potius caſtigationem continere* exſiſtimat, atque in hunc modum hinc ea omnia, quæ de Thyatirenorum amore fraterno, & cura pauperum & fide & patientia & ſuperatis moleſtiis & eo virtutis incremento, quo poſtrema prioribus majora efficiuntur, ibidem prædicata cernimus, ita explicat, ut horum omnium defectus in iis reprehendatur; ea vero, quæ ad illa ὀλιγα ſpectant, in hunc ſenſum vertit: *audi tamen aliquid*, *quod tu parvum exſiſtimas*, *quod autem ego maximo tibi crimini merito duco* *). Sed liceat nobis a Viro meritiſſimo in his rebus diſſentire, dum argumenta deſideramus, quibus noſtram ſibi fidem conciliet, gravia ſatis & ſufficientia. Opinione etenim illa totus innititur, quod per πορνευσαι infames carnis libidines & fornicationes ſint intelligendæ, quam vero falſam eſſe contendimus, nec idoneis fundamentis ab eo ſuperſtructam **). Spiritualem fornicationem non intelligendam eſſe bene adſtruit, ſed hinc nondum ſequitur, forni-

*) Vid. ejus varia eruditione refertum *de Antiquitatibus Thyatirenis* opus, quod Zwollæ 1763 prodiit, p. 387 & 394-398.

**) *Ibid.* p. 126-130.

fornicationem, quæ impura carnis opera & vagas libidines designat, significari, cum dicitur tertium. Impurissimi erant Lydorum, ad quos Thyatireni pertinebant, mores. Concedimus. Sed a Lydis gentilibus ad Lydos Christianos non valet consequentia, nec ita facile hi, suum instar, ad volutabrum luti rediisse credendi sunt, nisi id ex aliis rationibus constet. Celebrata Gentilium mysteria, quæ lasciviæ omnis palæstræ dicuntur, merentur vocari τα βαθη τȣ Σατανα; sed commodiorem longe hæc βαθη ex Gnosticorum schola admittunt explicationem. Indicat ἡ γλωσσα, in quam *Jezabel* conjicienda dicitur *v.* 22, eam cum sectatoribus vetitis amoribus fuisse deditam. Largimur & hoc. Sed hinc non necessario de fornicatione vulgo sic dicta est cogitandum, cum nuptiæ cum idololatris etiam tum maxime erant vetitæ. In verbis vero ipsis *v.* 13 & 19. ne levissimum quidem ironicæ vel castigantis dictionis apparet indicium, sed omnia illa e contrario ita sunt juncta & composita, ut ea, quæ verissimam laudem enunciant; nec ea cum iis, quæ Sardianæ & Laodicenæ dicuntur ecclesiæ *c.* III, 1 & 15. conferenda esse credimus, cum hæc cum istis nihil habeant commune, quam hæc: οἰδα σȣ τα ἐργα, quæ generale modo continent pronuntiatum, quod eatenus tantum, quatenus alterutri ac-

commodatur parti, vel boni quid vel mali involvit, atque hinc cunctis ſeptem epiſtolis, ſive deinde bona laudentur opera, ſivè deinde bona laudentur opera, ſive mala vituperentur, præfigitur, ut ipſe Vir doctus rectiſſime ſcribit *). Conferenda illa potius cum iis exiſtimamus, quæ Angelo eccleſiæ Epheſinæ dicuntur c. II, 2. 3, ubi poſt illa οἶδα σε τα ἔργα virtutum Chriſtianarum, pariter ac in noſtris, ſequitur enumeratio. Hæc vero cum ſeria tamen admonitio ἀλλ' ἔχω κατα σε v. 4. cum exhortatione ad μετανοιαν v. 5. excipiat, nec propterea ironice, quæ antecedunt, ſint explicanda: apparet hinc, nec illud μετανοησον v. 16. impedire quoad Pergamenos, quominus prævias laudes ſerias & ex animo dictas credamus. Relinquimus igitur novum hoc aſſertum de ironia hic latente doctiſſimo ſuo Auctori, & in ea ſententia perſtamus, quæ tam Pergamenos quam Thyatirenos vere laudatos cenſet, ſed quæ tum & illud ὀλιγα pro vere extenuante voce agnoſcit, & hinc mitius de τω πορνευσαι judicandum eſſe intelligit.

§. 12.

Fulciunt vero, quam dedimus ejus interpretationem quam maxime, quæ v. 24 & 25.

*) *Ibid.* p. 393.

25. leguntur verba: οὐ βαλω ἐφ' ὑμας ἀλλο βαρος. πλην ὁ ἐχετε, κρατησατε, ἀχρις ὃ ἀν ἡξω. Nam ut εἰδωλοθυτα φαγειν καὶ πορνευσαι hic prorſus eadem ſunt, quæ *Act.* XV. vetantur ab Apoſtolis, ita & βαρος hic, ut ibi ab illis, adhibetur & Chriſtus teſtatur, eam ſibi non eſſe mentem, illud totum, ſed tantum quædam ex eo, iis imponendi, οὐ βαλω ἐφ' ὑμας ἀλλο βαρος, quemadmodum Apoſtoli idem omnino propoſitum Spiritui Sancto ac ſibi eſſe prætendunt: ἐδοξε τῳ ἁγιῳ πνευματι καὶ ἡμιν, μηδεν πλεον ἐπιτιθεσθαι ὑμιν βαρος, πλην των ἐπαναγκες τυτων. Quæ quam gemina ſibi ſint cuique apparet. Jam de legibus ceremonialibus βαρος uſurpari ſolemne eſt. Ad aliquod igitur, quod ad easdem pertinet, hic reſpicitur; adeoque abſtinentia a fornicatione vel idololatria non innuitur, quippe quæ naturalis eſt obligationis *) Hoc igitur poſito ſignificat Eccleſiæ Moderator ac Dominus, dum opera *Nicolaitarum*

*) Solent nonnulli de plagis & calamitatibus heic loci illud βαρος exponere. Sed hi ad ea, quæ præcedunt & proxime ſequuntur minime attendere videntur, quæque de doctrina & præceptis agi, aperte loquuntur. Nam ut διδαχη & τα βαθη τυ σατανα præcedunt, ita & ſine mora ſtatim ſequuntur iis oppoſita τα ἐργα μυ, quæ nemo quam de præceptis Chriſti intelligere poteſt.

rum & *Jezabelis*, eorumque mores ſibi diſplicere docet, non ſe id agere, ut *reliquum etiam onus* ceterasque *jugi ceremonialis* partes iis imponeret; poſt quæ ita pergit: πλην ὁ ἐχετε, κρατησατε. Illud ὁ ἐχετε quo pertineat, certe non melius, quam ex antecedentibus colligitur. In iſtis vero dum ad ritus moresque Judaicos reſpiciatur, & tota, cui hæc vox inhæret, phraſis, de decreto Apoſtolico nos cogitare jubeat, non rectius quis, quam de eodem hic ſermonem inſtitui judicabit. Hoc igitur dicitur: Id tantum, quod habetis, præceptum Apoſtolorum de idolothytis, ſanguine, ſuffocato & τῃ πορνειᾳ ſervate *). Adjicitur: ἀχρις οὐ ἀν ἡξω. De obitu hominis quidam *adventum Chriſti* hic intelligunt, ut idem hic dicatur ac v. 10. per

*) Hunc verum eſſe verborum ſenſum jam ducentis fere abhinc annis acutus Jeſuita Hiſpanus, in Academia Salmantica quondam Profeſſor, FRANC. RIBERA animadvertit, cujus *in Apocalypſin Commentarii* ob præſtantiam ſuam ſæpius & variis in locis ſunt recuſi. Ita enim illa: Non mittam ſuper vos &c. παραφερω: *Non gravabo vos ulla veteris legis ceremonia, tamen id oneris quod impoſui per Apoſtolos meos, tenete donec veniam. Abſtinete a fornicatione & ab idolothytis, ut in unum populum coaleſcatis cum iis, qui converſi ſunt ex Judaiſmo.*

per ἀχρι θανατε. Sed dubium nullum nobis esse debet, cum in toto Apocalypseos libro ad judicia exercenda *Christus venire* dicatur, quin & hoc sensu heic loci adventus Ejus sit accipiendus. De adventu vero Ejus ad judicium universale in fine sæculorum accipi nequit, dum præceptum illud Apostolorum, ad quod respicitur, temporarium tantum sit, nec necessariæ in perpetuum observationis, quod ex fine, cui inservire debuit, satis intelligitur. Ergo adventus Christi ad evertendam rempublicam Judæorum intelligendus est; ad consuetudinem Scripturæ N. T., quæ quam sæpissime hunc eventum pari ratione innuere solet. Sumimus scilicet, quod GROTIO aliisque eruditissimis Viris placuit, quod illustris & acutissimus NEWTONUS præcipue non levibus argumentis probavit *), quod celeberrimus MICHAELIS suo calculo approbavit & confirmavit **), quod ven. HARENBERGIUS pluribus rationibus denuo stabilivit ***), Apocalypsin Joanneam

 aliquot

*) vid. WOLFII *Cur.* T. IV. p. 374-383.

**) *Einleitung in die Göttliche Schriften des N. Bundes* p. 632. sqq., cujus libri jam nova & multum auctior editio paratur, in qua & multo plura de hac re exspectamus.

***) In ea quam 1759. edidit *Erklärung der Offenbarung Johannis* p. 18-67. item p. 124-127.

aliquot tempus ante exciſum templum Hieroſolymitanum litteris jam fuiſſe conſignatam, quæ ſententia ut plurimum facit ad rite hunc librum Divinum interpretandum, ita magis magisque ingeniis ſcrutantibus & liberis ſëſe commendat. Atque ſic ex illis verbis: ἀχρις οὐ ἀν ἡξω & hoc præcipuum diſcimus, quis illi præcepto Apoſtolorum terminus fuerit conſtitutus, & quamdiu, ut erat in Judæorum gratiam datum, ob eosdem etiam in Eccleſia Chriſtiana fuerit obſervandum: ad finem nimirum της πολιτειας Judaicæ, & dum *Moſes* deſineret habere, qui eum κατα πολιν in Palæſtina legerent & explicarent; quod evenit *Veſpaſiano & Hadriano Impp.*, quorum prior urbem evertit & templum filio duce igne delevit, poſterior vero, quod reliquum adhuc erat reipublicæ Judaicæ penitus exſtinxit, ac Judæos omnes Palæſtina procul abeſſe juſſit, adeo ut nec advenarum jure, quæ TERTULLIANI verba ſunt **), terram patriam ſaltim veſti-

127. Habet & WETSTENIUS quædam ab aliis non dicta in *N. Teſt.* cum annotationibus ſuis edito T. II. p. 746.

*) cf. PAUL. BAULDRI *ad Lactant. de Mort. Perſ.* p. 90.

**) *Apologet.* c. 21.

vestigio salutare iis concederetur. Hac enim καταστροφὴ orta, urbe excisa, templo diruto, synagogis patriis relictis, cum insignis fervor pro institutis Mosaicis in Christianis ἐκ περιτομῆς debilitari vehementer oportuerit, non tantum amplius, ac stante templo quondam metuendum erat ex iis, quæ his institutis contraria erant, scandalum. Quod si quis vero vulgari sententiæ, quæ Apocalypsin sub *Domitiano Imp.* demum conditam esse contendit, inhæreat, nec is tamen habebit, cur nostram de adventu Christi expositionem rejiciat. Referre etenim eum potest ad judicia illa, quæ Dei filius per *Hadrianum* in Judæorum gentem exercuit, quibus, ut diximus, omne tandem, quicquid civilis & religiosæ constitutionis Judaicæ in terra patria supererat, fuit deletum. Ad ea vero confirmanda, quæ de hoc adventu scripsimus, id addimus, quod Christus ipse nos satis doceat, se de eodem loqui, dum repititis verbis in fine Apocalypseos *c.* XXII, 7. 12. 20. dicit: ἔρχομαι ταχύ, quod de adventu, qui post MDCC. annos nondum accidit, nec nisi post longam adhuc annorum seriem, ut videtur, est exspectandus, dicere non potuisset *); de adventu vero tum temporis proxime instanti, necessario debet capi, qui vero

*) vid. MICHAELIS *l. c.* p. 634.

vero nullus eſſe potuit, niſi iſte ad evertendam rempublicam Judæorum *).

§. 13.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, nunc tandem colligere licet, quæ fuerit quondam *Nicolaitarum* & *Jezabelis* doctrina, cum *Bileami* διδαχη comparanda & a Chriſto in Apocalypſi notata. Fuerunt ſcilicet Pergami homines & Thyatiris femina quædam, illi

*) Qui adventum Chriſti hic ultimum malunt, ſuæ explicationi τε ταχυ fruſtra patrocinium aliquod quærunt in *Malach.* III, 1. 2. & *Hagg.* II, 6. Ibi enim פתאם *repente* ad præcedens *mitto angelum meum*, adeoque ad *Joannem* præcurſorem eſt referendum, poſt quem & *repente* Jeſus Dominus advenit; hic vero מעט הוא non abſolute, ſed comparative poni eſt exiſtimandum, vocatque *parum hoc* Propheta, quod ſupererat temporis ad Chriſti adventum in carnem, in oppoſitione multo longioris temporis jam elapſi, quo Meſſias fuerit exſpectatus. In Apocalypſi vero ſimilis quædam comparatio locum invenit nullum, cum nihil omnino ſit, cujus reſpectu adventus Chriſti ad judicium extremum dici poſſit *brevi inſtare.* Nec feliciores ſunt in allegandis exemplis, qui per ταχυ & εν ταχει *c.* I, 1. & XXII, 6. non propinquitatem, ſed *certitudinem* tantum eventuum ſignificari volunt.

illi pariter ac hæc ex Christianorum cœtu & in eo viventes, quibus nomina illa dantur, vel quod iis propria erant, vel quod mystica quadam aut symbolica ratione iis conveniebant, nam id certo definiri nequit, quamvis posterius priori sit probabilius *). Hi *quemadmodum* olim Bileamus Balacum regem docuit, Israëlitas ad nuptias cum idololatris ineundas & idolis oblatum cibum comedendum *Ps.* CVI, 28, posthabitis Dei sui mandatis, allicere: *ita pariter*, spreto Divino per Apostolos præcepto, tum temporis omnino adhuc observando **), publice docere audebant, licere quovis casu vel in ipsis εἰδωλείοις cum Gentilibus de eo, quod Diis eorum sacratum erat, cibum capere, & cum

*) Nemo enim inter Judæos filiæ suæ odiosum *Jezabelis* nomen tum temporis imposuisse, credendus est, ut bene judicat HARENBERGIUS *l. c.* p. 72. Adde, quod ex Judæa gente ne quidem fuisse videantur, qui tam proni erant ad εἰδωλόθυτα φαγειν, ut nihil dicamus de nuptiis cum Gentilibus; atque hinc nomen Judaicum *Jezabelis* mulieri isti proprium non fuisse, eo magis fit probabile.

**) Atque id Thyatiris præcipue, ubi ecclesia Christiana ex Judæis & Gentilibus conversis erat composita, quod rev. STOSCHIUS *Antiq. Thyat.* p. 349. quam optime contra *Grotium* probavit. Eadem sine dubio erat ecclesiæ Pergamenæ constitutio.

cum idololatris pro lubitu matrimonii vinculum nectere *). Erant ſcilicet ex illis, qui γνωσιν ſe habere (cf. 1 *Cor.* VIII.) & τα βαθη inſpicere gloriabantur *Apoc.* II, 24, qua opinione inflati, Apoſtolorum decreto, ut ad idiotas tantum pertinente, neque ſe, neque eos, qui ſe ab iis erudiri paterentur, teneri exſiſtimarunt, atque hinc ſibi & his illa omnia licere. Qua doctrina vero & agendi ratione cum Eccleſiam turbarent, Judæos fratres vehementer offenderent, aliosque deterrerent ex gente Judaica, ne Chriſto nomen darent, gravi caſtigatione omnino erant digni, niſi reſipiſcerent & mentem mutarent, ii autem, qui nimis indulgentes, eos ita agentes, tolerabant & ut officii ratio exigebat, ſcandalo ſeſe non opponebant pro viribus, admonitione illa, quæ eos vigilare jubet, ne res Chriſtiana ſua nimia indulgentia aliquid detrimenti capiat.

§. 14.

Quam ſic exhibuimus *Nicolaitarum* faciem, diverſam valde eſſe ab illa, quam veteres

*) Hac igitur ratione & nobis de Nicolaitis affirmare licet, quod *indiſcrete vixerint*, ut de iis habet IRENÆUS *adv. haereſ.* Lib. I. c. 27, iisque παραλογικὴ μιξις adſcribere, quæ iis tribuuntur in IGNATII *epiſtola* (ſed interpolata) *ad Philadelph.*

teres hæreſiologiæ ſcriptores exhibent, minime inficiamur; nec tamen propterea iſtam falſam & reſpuendam credas. Ipſe enim MOSHEMIUS, qui diu Patrum traditionibus ſecurus inhæſit *), faſſus tandem eſt **), natam ſibi eſſe magnam dubitationem, utrum *Nicolaitæ Joannis* iidem ſint, qui *Nicolaitæ Clementis* & reliquorum, an vero diverſi? *Forte*, pergit ſcribendo, *ſæculo ſecundo inter tot familiarum Gnoſticarum ubique pullulantium duces unus vivebat, nomine Nicolaus, cujus ſectatores a magiſtro Nicolaitæ vocabantur. Ejus familiæ nomen cum accepiſſent Chriſtianorum doctores, quos parum ſæpe cautos & providos fuiſſe notum eſt, temere ad eam referebant, quæ a Joanne ex ipſius Chriſti ore de Nicolaitis eccleſiarum ſeptem Aſiaticarum litteris conſignata ſunt* &c. Summus ipſe VITRINGA, quamvis Nicolaitis impuram & profanam doctrinam de licentia libidinum & voluptatum carnalium promiſcue exer-

*) vid. ejus *Inſtit. H. E. majores Saec. I.* pag. 460. ſqq. & *Demonſtrationem ſectae Nicolaitarum* in ejusdem *Diſſertationibus ad H. E. pertinentibus* Vol. II.

**) In *Commentariis de rebus Chriſtianorum ante Conſtantinum M.* p. 196. cf. & ejus *Inſtitutiones H. E. ant. & rec.* p. 65. ed. ultimæ, quæ prodiit 1755. in 4to.

exercendarum tribuat, id tamen judicat *), Patrum traditiones de iisdem hæreticis nulla niti certa auctoritate, & *nihil fere continere, quam quod ex hoc ipſo Apocalypſeos loco per incertas conjecturas finxerint.* Præcipue vero JO. GUIL. JANUS **), quam parum fide digna ſint, quæ ſcriptores eccleſiaſtici de Nicolaitis tradiderunt, non infeliciter longo ſermone oſtendit. Et tandem fatentur omnes cordati, qui Patrum iſtorum ingenium curatius examinarunt, nimio in hæreticos odio eos multa de illis a vero diſtantia protuliſſe, multa ſiniſtre intellexiſſe, multa vago rumore percepta pro certis & indubitatis dediſſe, multa a ſe invicem diverſa miſcuiſſe. Quæ cum ita ſint, putamus, bonos iſtos viros, in multis cæterum præclaros, cum improbatos vehementer a Chriſto Nicolaitas, & doctrinam, quæ ad πορνειαν duceret, iis tributam cernerent, nec vim vocis πορνευσαι, acri inſtituto examine perpenſiſque omnibus rei annexis, aſſequerentur, ea omnia iis tribuiſſe, quæ vel experientia vel fama de aliis hæreticis obſcœna perceperant. Traditiones igitur eorum judicium

*) *Obſervatt. Sacr.* Lib. IV. c. 9. §. 33.

**) In *Diſſ. de Nicolaitis ex haereticorum catalogo expungendis*, quæ inſerta eſt, *Theſauro novo Haſaeo-Ikeniano* T. II.

dicium noſtrum cohibere non debent, quo minus doctrinam Nicolaitarum & Jezabelis talem credamus, qualem ipſis verbis Chriſti in Apocalypſi eam indicatam invenimus.

§. 15.

Supereſt, ut ad loca quædam N. Teſt. nonnulla obſervemus, quæ ſententiæ propoſitæ poſſent contraria videri. Tres enim teſtes, & quis plures deſideret? iique omni exceptione majores forte excitabuntur, quī alia omnia, quoad *Bileamum*, & quod hinc prono alveo fluit, quoad *Nicolaitas* etiam, qui in doctrina ei comparantur, edicant: PAULUS ſcilicet, PETRUS & JUDAS Apoſtolī; quorum primus 1 *Cor.* X. 8. argumentum pro vitandis carnis impuris operibus ex eo deſumit, quod Iſraëlitis ad Bileami conſilium agentibus accidit, μη πορνευωμεν, καθως τινες αὐτων ἐπορνευσαν, καὶ ἔπεσον ἐν μιᾷ ἡμερᾳ εἰκοσιτρεις χιλιάδες, qua inſtituendi ac hortandī ratione Apoſtolum illos Iſraëlitas, ut fornicationis propriæ reos ſiſtere, facile nonnullī concludent: reliqui vero duo *Petrus Ep.* II. *c.* II, 15. & *Judas v.* 11. tales cum Bileamo comparare videntur, qui carnis opera obſcœna ſecuti & alios ad vagas libidines allexerunt, quo facto & Bileamum ipſum, ut fornicationis propriæ doctorem & ſuaſorem nobis ſiſti, iidem urgebunt. Sed habemus,

quo nodos hoſce commode ſolvamus, atque trium illorum Apoſtolorum verba ſententiæ noſtræ nihil obeſſe oſtendamus. Id enim in morum doctrina fieri ſæpiſſime ſolet, ut ubi exemplis res agitur, ex infelici eventu alicujus criminis particularis ad vitanda in genere omnia, quæ cum illo ad eandem claſſem ſunt referenda, & præcipue ad ea fugienda, quæ in eadem majorem locum obtinent, dehortatio naſcatur. Hoc modo *Paullus*, vel quicunque auctor ſit *Epiſt. ad Hebræos c.* XII, 16. 17. profanæ mentis ſpecimine, quod *Eſavus* edidit, aptiſſime utitur, quo ad vitandum omnem in genere religionis & ſacrorum contemtum hortetur, dum alia & longe majora, quam primogenituræ venditionem animo agitabat & innuebat. Μη τις βεβηλος ὡς Ησαυ. Eadem prorſus via inſiſtit Apoſtolus in admonitione illa ad Corinthios: μη πορνευωμεν, καθως τινες αὐτων ἐπορνευσαν. Ab Iſraëlitarum in deſerto nefaria & vetita commixtione cum mulieribus, quæ in malum eorum ceſſit, argumentum deſumit, quo adhortationem ſuam de fugiendis in genere omnibus vetitis carnis operibus adeoque & fornicationis, adulterii, inceſtus &c. fulciat, quæ inſtituendi ratio a *v.* 6 ad 11. manifeſta eſt: ut hinc adeo nihil pro fornicatione proprie ſic dicta, ad Bileami conſilium vel διδαχην ſuſcepta, legi-

timo

timo & neceſſario modo concludi queat. Quod vero ad *Petrum* attinet & *Judam*, ille a *v.* 10 ad 19, hic a *v.* 8 ad 13. multa crimina commemorat, quorum omnium Bileamum, quantum quidem ex hiſtoria de eo conſtat, reum agere non poſſumus. Ubi enim eum invenimus blaſphemum? ubi dominatus contemtorem? Ad maledicendum evocatus benedixit populo Iſraëlitico. In verbis ejus omnibus nihil eſt, quod directe in Deum O. M. ſit injurium. Balaci vero regis auctoritati & dominatui ipſo illo praviſſimo ſuo conſilio conſultum voluit. Ergo non omnia, quæ ibidem nominantur, crimina ad eum pertinere ſunt cenſenda, ſed quædam tantum, unum forte & alterum, niſi & *Cainum* & *Coram*, quos *Judas* Bileamo jungit, omnium quoque nominatorum criminum reos putes. Sed quid in animo habuerit *Petrus* pariter ac *Judas*, cum Bileami meminerint, id illi ipſi ſatis perſpicue indicarunt eo, quod proxime ejus mentioni ſubjiciunt. *A recta via declinantes aberrarunt*, ſcribit Petrus, *ſecuti viam Balaam filii Boſor*, ὃς μισθὸν ἀδικίας ἠγάπησε; Judas vero: καὶ τῇ πλάνῃ τοῦ Βαλαὰμ μισθοῦ ἐξεχύθησαν. Ad ſacram auri famem, quæ Bileamum ſtimulabat, ſe reſpicere, uterque hoc modo aperte teſtatur. In hoc igitur & nos illam inter Bileamum & notatos nequitiarum do-

ctores convenientiam hic quæramus. Ut ſcilicet Bileam nimio & pravo lucri amore peſſimi conſilii auctor exſtitit, ſic Petrus & Judas idem illud animi vitium in cauſſis ponunt, quæ profanos illos doctores impulerunt ad Evangelium carnale promulgandum. Hoc ſi quis teneat, non habebit, cur horum Apoſtolorum auctoritatem, quam quidem maxime veneramur, nobis obvertat. Ad cauſſam agendi, quæ Bileamum movebat, digitum intendunt, ſed in Apocalypſi ipſa agendi ratio notatur, quæ in conſilio & doctrina conſiſtebat ad εἰδωλοθυτα φαγειν καὶ πορνευσαι inducente. Salvis igitur locis ex *Paullo*, *Petro ac Juda* citatis, noſtra de doctrina *Bileami*, *Nicolaitarum ac Jezabelis* ſententia poterit eſſe vera & ſtare, ſuis fulcris innixa, ſalva & incolumis.

II.

JO. CAROLI BONNET
DISSERTATIO
HISTORICO - CHRONOLOGICA
IN QUA
REGNI NEBUCADNEZARIS
BABYLONIORUM REGIS, ET JUDÆ REGUM, JOJAKIMI, JECHONIÆ ATQUE ZEDEKIÆ ANNI CONFERUNTUR,
EX
JEREM. XXV, 1.

§. 1.

Quomodo conveniant inter se regni Jojakimi, adeoque & Jechoniæ atque Zedekiæ, Judæorum regum, magnique illorum flagelli Nebucadnezaris anni, extra omnem dubitationis aleam ponere videtur Divinus vates Jeremias, libri sui cap. XXV, 1. hæc nobis memoriæ tradens:

בשנה הרביעית ליהויקים בן-יאשיהו מלך יהודה היא השנה הראשנית לנבוכדראצר מלך בבל:

A LXX. Interpretibus in Græca ſua Verſione mutilatum eſt hoc comma, quippe qui poſterius fere hemiſtichium, quod quidem huc pertinet, omiſerunt. *Vulgata* autem Bibliorum editio ita reddit: *In anno quarto Joacim filii Joſiæ regis Juda, (ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor regis Babylonis).* Quis hiſce cognitis primum Nebucadnezaris, & quartum Jojakimi annum pro eodem habere dubitet? Neque quisquam, ſacras ſecutus literas, mihi innotuit, quin ita ſenſerit.

§. 2.

Verum enim vero nondum perfecta res eſt. Omnes fere, quotquot vidi, Jechoniæ Regis, ad quem, ſublato Jojakimo patre, regnum devenit, tres, quos regnavit menſes, decemque dies, plane omiſerunt. Equidem HENR. GLAREANUS in *Chronologia Hiſtoriæ Romanæ*, quæ Editioni *Livii Frobenianæ, Baſileæ 1535* adjecta eſt, præeunte EUSEBIO, notavit, illos ad alios tres menſes accedere, quos regnaverat Joachaz XIXnus Judæ Rex, cui eapropter totus adſcribatur annus: quemadmodum & pro ſeptem Zachariæ menſibus, qui XIIItius Iſraëlis Rex fuit, totus ponatur annus. Sed vale, *Glareane*, cum *Euſebio* tuo, valeant, quotquot a tuis ſtant partibus! Ipſa ſacra Scriptura

ptura huic adverſatur ſententiæ. Prætermittam, quæcunque præter illam opponi poſſent. En ita ſcripſit Auctor 2 *Chronic.* XXXVI, 9. 10. *Joachin*, qui & Jechonias, *tres menſes decemque dies regnavit Hieroſolymis*, —— *atque ad converſionem hujus anni* (h. e. elapſo eo, gr. ἐπιςρέφοντος τοῦ ἐνιαυτοῦ,) *miſit Rex Nebucadnezar, eumque duxit Babylonem. Quo facto*, ut idem habet textus, *Regem conſtituit Zedekiam.* Iisdem verbis in libro ESDRÆ apogrypho cap. I, 44. 45. 46. Ἰωακὶμ, narratur, βασιλεύει μῆνας τρεῖς καὶ ἡμέρας -- δέκα καὶ μετ' ἐνιαυτὸν ἀποςείλας Ναβυχοδονόσορ μετήγαγεν αὐτὸν εἰς Βαβυλῶνα, —— καὶ ἀνέδειξε Σεδεκίαν βασιλέα κτλ. An, hiſce lectis, Jechoniæ Regnum trimeſtre licet, minus annuo apud Chronologos eſſe putas?

§. 3.

Ego quidem hac coactus neceſſitate non poſſum facere, quin a Jechoniæ regno ad initium regni Zedekiæ totum præterlapſum eſſe annum, adfirmem. Sed quæ inde exoritur difficultatum multitudo! Idem Jeremias, qui quartum Jojakimi annum, primum fuiſſe Nebucadnezaris perhibet, c. XXII, 1. *decimum* Zedekiæ, ait, fuiſſe *decimum octavum* Nebucadnezaris. Sed *nonus* poni debuiſſet. Eadem ratione 2 *Reg.* XXV, 2. coll. verſ. 8, annus *undecimus* Ze-

 dekiæ,

dekiæ, *decimus nonus* Nebucadnezaris fuiſſe perhibetur, quod etiam *Jer.* LII, 5. coll. 12. iteratur. Sed pro *undecimo decimus* ponendus fuiſſet. Neque hoc dici potuiſſet: undecim enim annos regnaverat Zedekias. Satis hinc apparere puto, eos rem acu non tetigiſſe, qui ex Jeremiæ loco, primum Nebucadnezaris annum in quartum Jojakimi incidere, contendunt. Neque hæc omnia ſunt, quæ Sacer Codex contra communem hanc ſententiam habet. Libro 2 *Reg.* XXIV, 12. Nebucadnezarem, anno Regni ſui octavo Jechoniam in deditionem accepiſſe, relatum legimus. Quodſi vero primus Nebucadnezaris annus, quartus foret Jojakimi; neceſſaria inde conſecutione efficeretur, octavum illius, hujus eſſe undecimum. Atqui vero undecim annos regnavit Jojakimus. Qui igitur fieri potuit, ut Nebucadnezar Jechoniam, nondum regem, regno tamen exueret? Nec quicquam proficeres, ſi Nebucadnezaris anni octavi priorem partem cum ultimo Jojakimi, poſteriorem vero cum Jechoniæ regno concordare prætenderes. Ipſi enim communis Chronologiæ patroni non poſſunt non priorem partem quarti Jojakimi anni, cum poſteriori parte primi Nebucadnezaris anni comparare. Unde conficitur, & poſteriorem partem anni Nebucadnezaris octavi, priori

priori undecimi ſ. ultimi Jojakimi anni parti reſpondere.

§. 4.

Vidit hæc b. BAUMGARTEN, qui *Hiſt. Univerſ. ex angl. verſæ P. III. p. 709. not. 479.* tres Jechoniæ menſes pro integro ſumit anno, eamque ob cauſſam, relicta ceterorum ſententia, primum Nebucadnezaris annum, non in tertium atque quartum; ſed in quartum quintumque Jojakimi annum cadere, docet. Propius hic Vir acutiſſimus, me judice, veritati accedit, quam omnes alii, quos inſpicere mihi contigit. Atque hæc poſtea perſequar.

§. 5.

Quas adhuc recenſui difficultates, e Sacris literis erant deſumtæ. Aliæ ſunt, quas nobis objicit BEROSUS apud JOSEPHUM *Antiq. L. X. c. XI. & contra Appion. L. I. c. VI*, qui Nabuchodonoſorum, ſcribit, a patre, ſenio jam confecto, miſſum eſſe adverſus Ægypti, Syriæ inferioris atque Phœniciæ præfectum, quem ille rebellem devicerit, mox vero, de patris morte certior factus redierit Babylonem, regnum capeſſerit, cet. Equidem *Auctores Angli Hiſtoriæ illius univerſalis*, huic *Beroſi* teſtimonio haud adeo multum tribuunt, quibus ejus-

modi Ægypti Satrapa eo tempore non extitiſſe videtur: Sed reſpondit illis cel. BAUMGARTEN, l. c. T. III. p. 707. not. 478. Conferamus jam, quæ docet nos Jeremias c. XLVI, 2, Pharaonem Necho, prœlio facto ad Urbem munitam Carchemis, cum Ægyptiis ſuis, male acceptum eſſe a Nebucadnezare, anno Jojakimi quarto. Eodem anno Vir iſte divinus c. XXV. de capiendis penitusque perdendis Judæis, deque Ægyptiis, quibus tum temporis obediebant Judæi, aliisque gentibus compluribus male mulctandis a Babyloniis vaticinatus eſt. Quodſi Vates hunc ſuum ſermonem ante habuit, quam acceſſerunt hoſtes, ſaltim cum in eo eſſent, ut adventarent; patet, Nebucadnezarem tanquam Regem, non ſolum principem regium, has res geſſiſſe, ſi quidem quartus Jojakimi annus primus illius foret. Sed vero *Beroſus* claris verbis contrarium docet. Dices: initio quarti anni Jojakimi vaticinatus eſt Jeremias, in medio res geſſit Nebucadnezar, qui in fine ejus tandem Rex patri ſucceſſit, (cf. §. 4.) Sed nec hoc ſufficere, e totius hiſtoriæ filo apparet, uti deinde oſtendemus.

§. 6.

DANIELIS, magni illius vatis, hiſtoria novum ſuppeditat dubium. *Tertio* hic Joja-

Jojakimi anno, ſe a Nebucadnezare Hieroſolymas oppugnante, cum quibusdam aliis nobiliſſimis pueris ſelectum eſſe ait, ut transacto triennio, quod inſtituendis illis deſtinatum erat, Regi miniſtrarent. Transactum erat illud triennium. Rex ſecundo ſui regni anno ſomniavit, quod excepto Daniele, interpretari poterat nemo. Primus ſi Nebucadnezaris annus quartus eſſet Jojakimi, ſecundus illius neceſſario hujus quintus foret. Sed vero a tertio Jojakimi anno ad quintum, illud inſtitutionis Danielis triennium nondum præterlapſum eſſe poterat. Quid igitur? Inter doctiſſimos homines magnæ ea de re diſſenſiones reperiuntur. Cel. PFAFFIUS in Bibl. Tubing., nec non laudatus jam b. BAUMGARTEN, aliique *tertium* illum Jojakimi annum, Dan. I, 1. pro eo habent, quo ille a Babylonio deſcivit, 2 *Reg.* XXIV, 1, qui ejus regni fuit ultimus. *Secundum* vero Nebucadnezaris annum Dan. II, 1. ab inſigniter dilatatis ejus regni finibus, numerandum eſſe autumant. Ego vero hanc mihi interpretandi rationem haud ſatis apertam atque expeditam, ſed, quod bona illorum pace dixerim, coactam nimis, nimisque eruditam, (ſit venia verbo,) videri, non poſſum non fateri. Idem quoque de GLASSII, eorumque, quos ſequitur, hujus loci explicandi modo, me quidem judice, habendum eſt. §. 7.

§. 7.

Plerique Chronologorum nulla alia ratione haſce extricari poſſe putant difficultates, quam duplici aſſumta Chronologia, alia Judæorum, alia Chaldæorum. Nec ſic quidem omnes conſentiunt. HELVICUS in Theatro hiſtorico, Judæorum calculum a Chaldæorum XIII. annos differre ponit. Nabopollaſſar juxta illum anno regni ſui triceſimo (qui vero teſte *Beroſo* apud *Joſephum*, atque PTOLOMÆO in *Canone Regum* tantum XXI. annos regnavit,) Zedekiæ quinto mortuus eſt, cui ſucceſſit Nebucadnezar anno eodem, qui XIIItius fuit a quarto Jojakimi, unde, eodem judice, ejus regnum incipit S. Scriptura. JO. HENR. ALSTEDIUS in *Theſauro Chronologiæ p. 170*, *Helvicum* fere ſecutus, ita ſcripſit: "Nebucadnezar a Patre in Syriam "mittitur ad ſubjugandos rebelles Tyrios "& Palæſtinos, anno M. 3342, ſive an. 17. "Nabopollaſſaris parentis ipſius, ſive ut eſt "Jer. 25, anno 4to Jojakimi ineunte; ſeu "tertio deſinente, ut eſt Dan. I. Atque "hinc Scriptura numerat annos ejus, 2 *Reg.* "XXIV & XXV. Regnavit itaque tanquam "Prorex & Rex an. 45, tanquam Rex an. 32 "quia ſolus cœpit regnare an. M. 3355, cet." Sed quotquot Nabopollaſſaris regnum ultra

tra annos XXI. extendunt, ſatis jam ſunt refutati.

§. 8.

GULICHIUS in Orat. *de Temporibus S. Scripturæ memorabilibus*, quæ extat *Opp. ejus T. II. p. 481*, a victoria, quam Nebucadnezar apud Euphratem ab Ægyptiis reportavit, quod anno IVto Jojakimi accidit, Jer. XLVI, 1, ad mortem patris, unde Chaldæi ejus annos numerare incipiunt, ſecundum CALVISIUM *quatuor* annos interjectos fuiſſe, adfirmat, quos ſimul cum patre regnavit. Duos autem tantum fuiſſe, ait PRIDEAUX in *Connexione ſua Veteris atque Novi Teſtam. cum Judæorum hiſtoria, vicinarumque gentium P. I. p. m. 64 ſqq.*, Danielem, addens, ſequi Chaldæos, cum quibus vixerit; Jeremiam vero ceterosque Scriptores Sacros, de his rebus agentes, initio Nebucadnezaris regni duos apponere annos, quod is biennio ante patris obitum in regni ſocietatem admiſſus, tanquam Rex bellum geſſerit adverſus Judæos. Alios, qui duplex Regni Nebucadnezaris initium ſtatuunt, notat b. BAUMGARTEN l. c. p. 710.

§. 9.

In omnia alia eant auctores: ego vero quidquid difficile eſt, ex eo, quem in fronte

fronte tractationis notavi, Jeremiæ loco, e medio tolli poſſe, autumo: dummodo voci ראשונית, qua ille utitur, vera ſua atque propria reſtituatur ſignificatio. Haut ſcio quenquam, quin notionem *primi* illi ineſſe ſtatuerit: atque hinc omnes hæ ortæ ſunt tricæ. Ego, ſi quid judicare poſſum, voce noſtra *prius aliquid* ſ. *antecedens* notari exiſtimo. Radix enim ראש, ut vulgo notiſſimum eſt, *præcedere* dicit; quæ ſignificatio & in derivatis ſupereſt. Ita enim ſæpe invenitur ראשון, quæ vox cum suffixo ראשונית noſtro quam proxime accedit, pro eo, *quod præcedit*, & ſpeciatim, *quod tempore præcedit*, ſ. *prius* eſt. *Job.* VIII, 8. דור רישון *generatio antecedens* ſunt homines, qui proxime ante Jobi ætatem vixerunt; ſequuntur enim אבותם *patres eorum.* Quodſi hoc loco רישון *prima* foret *generatio* ſ. *primævi homines*; quos horum parentes fuiſſe putas? Pari modo *Num.* VI, 12. ימים הראשנים non ſunt *dies primi*, ſed *priores* ſ. *præcedentes.* Et *Ex.* XXXIV, 1. coll. *Deut.* X, 1. *tabulæ* ראשנים ſunt *priores* ſ. *antecedentes*, non *omnium primæ*, quæ unquam extitere. Ut alia jam loca ſilentio prætermittamus, נביאים ראשונים non *primi* ſunt *prophetæ.* Fuerunt enim ante illos, qui vulgo ita appellantur, alii, qui divina morta-

mortalibus oracula tradidere, Moſes, Noachus, Henochus, cet. *Priores* itaque ſunt, ſ. *anteriores*, reſpectu prophetarum אחרונים, qui itidem non *ultimi* ſunt, ſed *poſteriores*. Hinc ego quidem liquere puto, etiam noſtrum ראשונית proprie non *primum* ſignificare, ſed *antecedens*, ſpeciatim vero, ob terminationem, quæ numeralium ordinalium eſſe ſolet, *ordinem* aliquem indicat, eſtque *id*, *quod ordine prius eſt*, ſ. *antecedit alia*. Si *primus annus* noſtro in loco ſignificandus fuiſſet, procul dubio vox אחד poſita eſſet, quæ ſemper fere hac notione in uſu eſt, ut: *Eſr.* I, 1. V, 13. 2 *Chron* XXXVI, 22. Conferantur quoque *Gen.* I, 5. 1 *Sam.* X, 3. c. XIII, 17. & multa alia loca. Notandum etiam eſt, quod GLASSIUS habet in Philol. S. p. 599. ſ. & Græcorum πρῶτος interdum pro πρότερος accipi.

§. 10.

His ita conſtitutis, Jeremiæ locus tali modo mihi vertendus videtur: *In anno quarto Jojakimi, filii Joſiæ, regis Judæ; hic annus eſt ordine antecedens Nebucadnezaris, Regis Babel.* Quintus igitur Jojakimi annus in primum Nebucadnezaris incidit. Atque hoc totius illorum temporum hiſto-

riæ

riæ filum exigere videtur, quod latius deinde perſequemur. Neque hoc fugit Cel. BAUMGARTEN, ut ſupra (§. IV.) animadverſum eſt, qui ſaltim dimidium quinti Jojakimi anni ad primum Babylonii illius pertinere contendit. Adeoque nec erraſſe videntur *Auctores Angli* vaſti illius operis, qui noſtræ ſententiæ in hoc quidem calculum ſuum adjiciunt, licet ceterum illorum Chronologia horum temporum haut immerito ab acutiſſimo Obſervationum auctore ſuis laborare nævis pronuncietur. Eadem quoque neceſſario fuit opinione JOSEPHUS, qui *Antiq. L. X. cap.* 7. expreſſis verbis, quartum Nebucadnezaris annum, octavo Jojakimi reſpondere, narravit. Alpha enim & Beta hunc ignorare oportet, qui hinc quintum Judæi primo Babylonii reſpondere non videat.

§. 11.

Ut clarius, Lector, mentem perſpicias meam, hanc addere juvat tabulam, quam poſtea uberius illuſtrabimus:

Anni

Anni Regni.				Anni Regni.			
Ioiakimi	1	- - -	*Nabopollaſſaris*	18			
	2	—— ——	——	19			
	3	cf. Dan. 1, 1.	——	20	Daniel abductus Babylona.		
Jer. 36, 1-9. Conciones comburuntur a Rege.	4	cf. Jer. 46, 2. 25, 1.	-	21	Aegyptii cæſi ad Carchemis.		
	5	——	*Nebucadnezaris*	1			
	6	—— ——	——	2	Dan. 2. 1. ſomnii interpres.		
	7	—— ——	——	3			
2. Reg. 24, 1.	8	cf. Joſeph. Ant. L. X. 7.	-	4			
	9	—— ——	——	5			
	10	—— ——	——	6			
	11	—— ——	——	7	Jer. 52, 28.		
					Anni Captivitatis Ioiachini		
Iechoniæſ. Iojachini	1	cf. 2. Reg. 24, 12.	——	8	—— ——	1	(ſ. *Iechoinæ*
Zedekiæ	1	—— ——	——	9	—— ——	2	
	2	—— ——	——	10	—— ——	3	
	3	—— ——	——	11	—— ——	4	
	4	cf. Jer. 51, 59.	——	12	—— ——	5	
	5	—— ——	——	13	—— ——	6	
	6	—— ——	——	14	—— ——	7	
	7	—— ——	——	15	—— ——	8	
	8	—— ——	——	16	—— ——	9	
	9	cf. Jer. 52, 4. 2. Reg. 25, 1.		17	—— ——	10	
	10	cf. Jer. 32, 1.	——	18	cf. Jer. 52, 29.	11	
						Anni everſionis Vrbis	
	11	—— ——	——	19	cf. Jer. 52, 12.	12 ——	1 (*Hieroſol.*
Regnum everſum.				20	—— ——	13 ——	2
				21	—— ——	14 ——	3
				22	—— ——	15 ——	4
				23	Jer. 52, 30.	16 ——	5 cf. Joſeph.
				24	—— ——	17 ——	6 (Ant. L.
				25	—— ——	18 ——	7 (X. c. 11.
				26	—— ——	19 ——	8
				27	—— ——	20 ——	9
				28	—— ——	21 ——	10
				29	—— ——	22 ——	11
				30	—— ——	23 ——	12
				31	—— ——	24 ——	13
				32	—— ——	25 Ez. 40, 1.	14 Ez. 40, 1.
				33	—— ——	26 ——	15
				34	—— ——	27	cet.
				35	—— ——	28	
				36	—— ——	29	
				37	—— ——	30	
				38	—— ——	31	
				39	—— ——	32	
				40	—— ——	33	
				41	—— ——	34	
				42	—— ——	35	
				43	—— ——	36	
			Evilmerodachi	1	—— ——	37 cf. Jer. 52, 31.	

§. 12.

Ea jam, quæ nobis Sacræ literæ his de rebus referunt, intueamur, ut, quanta ſit illorum cum noſtra tabula concordia, appareat, inſimulque diſcutiantur iliæ dubiorum nebulæ, quas ſupra commemoravimus. Prima illuſtriſſimi Vatis Danielis fata, quæ ipſemet mandavit literis, præ cæteris conferenda nobis hic ſunt. Quantam hic eruditorum varietatem offendimus! Equidem non eſſe puto, quod nos anxios teneat. Relictis omnibus, qui vel duplici ſuo temporum ordine, vel alia ratione, quam ſupra (§. 6.) propoſui, rem componere conati ſunt, textus verba ſequor, quomodo cuivis primo quidem intuitu intelligenda videntur. Tertio ſcilicet Jojakimi anno, Nebucadnezari Hieroſolymas obſidione claudenti Judæorum rex in manus traditus eſt; eodemque anno quædam inde vaſa ſacra, pueros-que nobiliſſimos eosque regio ſanguine cretos, e quorum numero erat Daniel noſter, ſecum ſumſit Babylonius Heros. Vivo adhuc patre rem geſtam eſſe, teſtari fere videtur BEROSUS apud JOSEPH. *Antiq. L. X. c.* 11. qui expreſſis verbis, Nebucadnezarem, narrat, a patre miſſum, ad bellum gerendum adverſus Ægyptios, reliquos, victorem rediiſſe, interque alios & *Judæos* captivos duxiſſe Babylonem. Regem illum

appellari, cum fuerit regius princeps, patreque demum defuncto regnum ſit adeptus, haud adeo, credo, mirabitur, qui, durante hoc bello, illud accidiſſe ſecum reputaverit. Si Scriptores ſacri, qui hanc rem commemorarunt, ante ſcripſiſſent, quam Nebucadnezar regno erat potitus; quodammodo mirum videri poſſet, quod regis nomine ipſum ornarunt: ſed ſcripſerunt poſtea. Atque ipſe Daniel Nebucadnezarem anno tertio Jojakimi Hieroſolymas oppugnantem, nondum regno præfuiſſe, ſatis ſignificaſſe videtur, quia, quoto ejus regni anno res facta ſit, haud obſervavit, quod valde dubito, an neglexiſſet, cum toto ſuo libro Babyloniorum annos, non Judæorum, notavit. Quin immo, nomen מלך quandoque quemvis *principem*, *dynaſtam* notare, ab eruditis obſervatum eſt.

§. 13.

Duo præterea ſunt, quæ contra poni poſſent. *Primum* Jeremiam *c.* XXV. ajunt, docere aliud. Quodſi enim *tertio* jam Jojakimi anno Urbs Hieroſolyma a Babyloniis capta eſſet, qui fieri potuiſſet, ut Jeremias *quarto* demum illius anno, hos adventuros eſſe prænunciaret? —— Sunt, qui dicunt, Danielem loqui de *apparatu belli*, atque *prima* Babyloniorum profectione, qui autem

tem ineunte ſequenti anno demum acceſſerint Urbem. Ego vero, preſſius ſequens textum, anno *tertio* rem patratam eſſe ſtatuo. Jeremias tantum abeſt, ut ſecus doceat, ut potius adſentiri omnia mihi videatur. Haud quidem infitias eundum eſt, illum ſuam hanc orationem *quarto* Jojakimi anno, habuiſſe: aſt vero, meo quidem judicio, nihil in ea eſt, quod non poſt acceptam jam calamitatem aliquam dici potuiſſet. Contra vero ſunt, quæ non niſi poſt illam dici poterant. Namque 1) verſu IXno, ſqq. Jehova ait: *Ecce*, *Ego mittens ſum*, cet. quod *præſente tempore* poſitum, initium rei jam factum eſſe oſtendit. Quæ ſequuntur *præterita* החרמתי, הבאתי לקחתי, cet. pro ſic dictis *propheticis* quidem haberi poſſunt: collatis tamen ſequentibus, haut poterit negari, ſenſum eorum eſſe, Deum cœptas jam atque durantes imminentesque calamitates non ablaturum eſſe, ſed auĉturum potius poſthac. 2) Inter illas gentes, quibus Vates ſanĉtiſſimus Dei juſſu calicem divinæ iræ propinavit, primo loco Judæi ponuntur, & ſpeciatim Urbs Hieroſolyma, poſt hanc Ægyptii. Atqui vero anno Jojakimi *quarto* hi pœnas jam dederunt Babyloniis. *Tertio* igitur anno Judæos oportet dediſſe, ſive potius dare incepiſſe. Id quod 3) verſu XVIIIvo verbis ביום הזה ſatis

 clare

clare indicatur. Quantopere ſe in his explicandis verbis torqueant Interpretes, invenient, qui Commentarios eorum evolvere volent. Nos nihil in iis obſcuri inveniri, oppido largiemur, ubi cognoverimus, anno jam antecedente Babyloniorum copias, multas Judæis intuliſſe contumelias. 4) Verſu XXIXno Deus, ſe ab Urbe, ſuper qua nomen Suum appelletur, jam jam incipere adferre cladem, neque ſe impunes relicturum eſſe ceteros, adſeverat. Cui quæſo, hiſce rite penſitatis, dubium erit, anno Jojakimi quarto, quo jam ad Ægyptiorum pœnam perrexerat Jehova, aliquid jam iræ divinæ ſenſiſſe Judæos? Sed maxima malorum pars reſtabat, quod haut inepte prædixerat Vates.

§. 14.

Alterum, quod opponi poſſet, eſt illud, quod memoriæ mandavit JOSEPHUS *Antiq. L. X. c. 7.* "anno quarto Jojakimi "Nabuchodonoſorum, magno cum exerci-"tu, ad Urbem Carabeſam, (quæ Carche-"mis eſt Auctorum ſacrorum,) veniſſe, ibi-"que cum Ægyptiorum Rege, qui illi Ne-"caon dicitur, contendiſſe prœlio, ſupera-"to vero Ægyptio, Euphratem tranſiiſſe, "totamque Syriam ad Peluſium usque in "ſuam redegiſſe poteſtatem. Neque vero "tunc

"tunc temporis illum Judæam ingreſſum eſ-
"ſe, addit, id quod anno demum octavo
"Jojakimi, ſ. quarto Nabuchodonoſori fa-
"ctum ſit." Vereor, ne fallar, ſi GÜRT-
LERI ſententiæ ſubſcriberem, qui *Theol. profet. cap. XVI, p. m.* 208. hoc Joſephum manifeſto ſcripſiſſe errore, autumat. Equidem a vero haud adeo longe abeſſe puto, Nebucadnezarem bellum geſturum adverſus Pharaonem maximam quidem exercitus ſui partem ad Urbem Carchemis reliquiſſe, ſed cum multis tamen copiis hoſtibus obviam iviſſe, imprimisque Jojakimum vexaſſe, quod iſte ad Pharaonis ſocietatem ſe applicarat. Jojakimus ad deditionem coactus ſine dubio, quicquid hoſtes poſtulabant, tradere debuit. Interea temporis Pharaone cum maximis ſuis copiis adverſus Babylonios proficiſcente, hos celeriter pedem referre oportebat: ideoque nusquam magnum captivorum numerum tum abductum eſſe relatum legimus. Quæ ex *Beroſo* ſupra tranſcripſi, ne quidem id probant. Si vero conjecturæ hic locus foret; ego Danielem ejusque ſocios regiæ ſobolis, ceu *obſides* potius, quam *captivos* eſſe acceptos, autumaverim, cum tanta in illos Victor uteretur clementia, quantæ vix in captivos locus fuiſſet. Captivi autem Judæi, quos memorat *Beroſus*, forſan fuerunt, qui cum

Ægyptiis pugnæ adfuerunt ad Carchemis. Probabile enim videtur admodum, Pharaonem & illarum gentium copias ſecum duxiſſe, quæ ſuo tum regno ſubjectæ erant, e quarum numero & Judæos fuiſſe, dubio caret. Nebucadnezare itaque, tertio Jojakimi anno, per breve tantum tempus Judæos infeſtante, nec præter quædam ſacra vaſa, dictosque regiæ ſtirpis pueros quicquam auferente; JOSEPHUS hanc levem Judæorum calamitatem ſilentio præteriit, cum mox ſequeretur clades multo illuſtrior. Obſervandum quoque eſt, quod idem Auctor l. c. *L. X. c.* 11, ubi Danielis hiſtoriam longius perſequitur, ait, ſomnium Nebucadnezaris, quod Dan. II: refertur, duobus poſt annis factum eſſe, quam ſuperarat Ægyptios. Verum quidem eſt, eodem capite narrare Hiſtoriographum, quomodo Ægyptiorum regnum funditus fere a Chaldæo deletum ſit: indeque biennium hoc numerat cel. BAUMGARTEN. Sed hiſtoria Danielis huic capiti ceu additamentum annexa eſt, ut dubium ſit, an auctor ad priorem Ægyptiorum ſtragem, quæ ad Carchemis facta eſt, reſpiciat, an ad hanc, qua illi plane ad internecionem ſunt redacti. Prius vero e ſacris literis mihi probabilius videtur, noſtræque tabulæ chronologicæ exacte convenit. Id quod facile jam monſtrabimus.

§. 15.

§. 15.

Secundo, textus habet *Dan.* II, 1, ſui Regni anno ſomniavit Nebucadnezar, nec erat quisquam, qui ſomnium hoc Regi, mox id oblito, uti ſatis injuſte poſtulaverat, in memoriam revocare valeret atque interpretari. Daniel tandem, quod nemo poterat, Deo revelante, præſtitit. Triennium illud, quo Daniel ejusque ſocii linguam moresque Chaldæorum docebantur, erat transactum, ipſique numero miniſtrorum Regis erant adſcripti, ut e *Dan.* I, 5. 18. 19. patet; & paullo poſt conſecutum eſt hoc ſomnium. Quam vero belle quadrant omnia! Nulla nos moratur difficultas, qualis ceteros hic interpretes animi pendere & ſudare cogit. *Secundus* Nebucadnezaris annus, juxta Tabulam noſtram, ſexto congruit anno Jojakimi. *Tertio* in diſciplinam erant traditi noſtri juvenes: cujus licet dimidium jam effluxiſſe ſtatuas, *ſexto* tamen præterlapſum erat illud inſtitutionis triennium, atque ſemeſtre erat ſuper, quo ſomnium fatale habuiſſe poterat Nebucadnezar. Hic quoque annus *ſecundus* dici poteſt poſt devictos a Chaldæo Ægyptios, quo, uti §pho antecedenti obſervavimus, JOSEPHUS ſomnium hoc accidiſſe prodidit. Haud adeo magni eſt momenti, quod objiciunt alii, primis regni ſui annis Nebucadnezarem nondum fuiſſe

מלך מלכיא, *Regem Regum*, quo eum nomine ſalutaverit tamen Daniel cap. II, 37. Fuit enim Rex Regum. Quodſi vero illo tempore minus fuiſſet, fuit tamen tempore poſtero: neque aliud dicit Vates noſter, qui ſomnium interprerans futura prædicit. Sed ſatis de Daniele: ordiemur reliqua.

§. 16.

Nebucadnezar, profligatis Ægyptiis, expugnataque munita Urbe Carchemis, tranſiit Euphratem, illasque gentes ſubegit. Id factum fuit anno Jojakimi quarto, cf. *Jer.* XLVI, 2. Verum eo tempore Judæam haud ingreſſus eſt victor, uti e citato JOSEPHI teſtimonio patèt, ſed allato nuncio de morte patris Nebopollaſſaris, rediit ſtatim domum, exercitusque reducendos curavit. Judæi autem, initio quidem belli aliquid paſſi, poſtea vero, quæ Divina fuit clementia, tantis, quæ impendebant, exemti periculis, jejunium indixerunt extra ordinem quod anno Jojakimi quinto, adeoque primo Babylonii, habitum fuit, cf. *Jer.* XXXVI, 9. Iisdem temporibus, jubente Deo, Vates noſter, quoscunque habuit ſermones ſacros, Barucho, ut literis mandaret, dictavit, quos iſte publice poſtea coram univerſo populo, jejunii die, recitavit. An ſemel recitaverit, an bis, anno nempe quinto

to non ſolum, ſed etiam præcedente quarto, ut cel. PRIDEAUX contendit, non eadem eruditorum opinio eſt. Quidquid eſt: ipſe tandem Rex hos ſibi ſermones prælegentem audiens Judi quendam, Divinis tamen comminationibus minus commotus, librum diſciſſum flammis dedit, Vatemque una cum amanuenſi ejus comprehendi juſſit, quos Deus autem ſua texit manu, denuoque, ut omnes, quos Vati inſpiraverat ſermones, pluresque prioribus, conſignarent literis, illis mandavit. Nemini tum, minimum regi in opinionem veniebat, Nebucadnezarem brevi rediturum & Judæam tantis adflicturum eſſe calamitatibus, quantis minabatur Jeremias. Sed lucem luci addere nolo.

§. 17.

Ea, quæ 2 *Reg.* XXIV, 1. ſeqq. de Nebucadnezaris adverſus Judæos expeditione traduntur, mihi commodiſſime conferri poſſe videntur cum JOSEPHI *Antiq. L. X. c.* 7, ubi octavo Jojakimi, ſui vero regni quarto anno Nebucadnezar hoſtis rediiſſe Judæis dicitur. Magnis Jojakimus exercitibus, minisque territus magnis, manus dedit, perque triennium illi fuit vectigalis. Fama fuit, Ægyptios bellum illaturos eſſe Babyloniis, qua Jojakimus fretus, in ſol-

vendo tributo pergere noluit, ſatis licet a Jeremia, ne id faceret, monitus. Secutum igitur eſt novum bellum, quo, jubente Nebucadnezare, a Moabitis, Syris, Arabibus, aliis Hieroſolyma capta eſt, ipſeque Rex periit. De ejus mortis genere non conſtat inter Auctores. Atque hæc geſta ſunt ultimo Jojakimi anno, qui ſeptimus fuit Nebucadnezaris. Ea etiam occaſione tria millia atque viginti tres Judæi e patrio ſolo in captivitatem ducti ſunt, cf. *Jer.* LII, 28.

§. 18.

Patre extincto, filius *Jechonias* ſ. *Jojachimus* vacillanti jam regno præfectus, tres tantum menſes decemque dies regnavit, ut ſupra jam oſtendimus. Nebucadnezar enim, ut habet *Joſephus*, verens, ne ob patri illatas injurias, ille deſciſceret, denuo magnum Hieroſolymas miſit exercitum, eoque adegit Regem, ut ipſe una cum matre, aliisque regiæ ſobolis, atque miniſtris ſuis in deditionem veniret. Promiſerat Regi hoſtis, & ipſum & urbem fore incolumes, verum anno nondum plane præterlapſo, contra datam fidem illum captivum duci Babylona voluit Nebucadnezar. Annus regni ejus fuit octavus, cf. 2 *Reg.* XXIV, 12. Plus quam decem millia Judæorum tum ſimul abducti ſunt, quos inter & *Ezechiel* Pro-

pheta

pheta a *Josepho* numeratur, non nisi fæce plebis relicta. Quam ob causſam maximus hic captivorum numerus omissus sit *Jer.* LII, 28, jam inquirere nolo.

§. 19.

In obsidenda expugnandaque urbe, transferendis etiam tot captivorum millibus, iisque nobilissimis totius populi, in refrenanda tanta tam rebellis populi multitudine, novaque fere constituenda republica, nec non confirmando sequente Rege *Zedekia*, totum annum esse consumtum, ut supra jam demonstravimus, vel ex historiæ filo certo certius esse videtur. Itaque *nono* Nebucadnezaris anno *Zedekias* ad regni satis jam infirmi gubernacula admotus est. Qui juramento licet adfirmasset, se nunquam cum Ægyptiis societatem *initurum esse; ipseque anno sui regni quarto* ad Nebucadnezarem esset profectus, *sui forsan commendandi* causſa, cf. *Jer.* LI, 59; nihilo tamen minus, paullulum refectis suis rebus, *nono* sui regni anno, eam iniit, descivitque a Babylonio. Quare hic contra eum profectus obsedit urbem, cf. 2 *Reg.* XXV, 1, *Jer.* LII, 4. Sequente anno, qui *decimus octavus* fuit Nabucadnezaris, Judæos octingentos cum triginta duobus, qui forte ex Urbe obsessa, fameque vexa-

vexata, ei obvenerant, cepit miſitque Babylona, vid. *Jer.* LII, 29. Nec tamen adhuc potitus erat Urbe, uti Jeremias c. XXXII, 1. docet, quod *anno ſubſequente* accidit. Fame enim nimium creſcente, qui in urbe erant, perrumpere hoſtes conantes, fuga ſalutem petere non potuerunt. Ipſe Rex fuga ſibi conſulere quærens, ab hoſtibus comprehenſus, atque jugulatis coram eo filiis, excœcatus Babylona tralatus, ibidem in vinculis diem obiit ſupremum. Tradita eſt urbs atque deleta *anno* Nebucadnezaris *decimo nono*, *Jer.* LII, 12, qui *undecimus* fuit Zedekiæ, *Jer.* LII, 5. & 2 *Reg.* XXV, 2. Fallitur itaque *Joſephus*, qui *Antiq. Lib.* X. c. 11. id accidiſſe narrat, anno Nebucadnezaris *decimo octavo*, cum S. Scriptura expreſſis verbis XIXnum ponit.

§. 20.

Obſervandum etiam eſt, 1) quod *Jer.* LII, 30. legimus, DCCXLV. Judæos, anno Nebucadnezaris *viceſimo tertio*, per Nebuſaradanum, qui Dux fuit Babylonius, captivos eſſe abductos. Hunc annum ſæpius dictus JOSEPHUS l. c. L. X. *c.* 11. cum *quinto* ab everſa urbe, pari paſſu ambulare, notavit. Deinde 2) congruit quoque Tabulæ noſtræ chronologicæ, quod Ezechielis

lis *c.* XL, 1. reperitur, annum nempe captivitatis XXVtum atque XIVtum ab Urbis everſione eundem eſſe. Tandem 3) ab Auctore capitis *Jer.* LII, 31. annus captivitatis Jechoniæ XXXVIImus primo Evilmerodachi, qui poſt Nebucadnezarem Babyloniorum Monarcha fuit, reſpondere, perhibetur. Itaque nos in noſtra tabula notavimus. In quo falſus videtur Cel. HUMPH. PRIDEAUX, in cujus tabula chronologica, quæ laudatiſſimæ ejus connexioni cet. ſubjuncta eſt, in primum Evilmerodachi annum XXXVIIIvus Jechoniæ cadit. Sed ſatis eſt verborum.

III.

CORNELII DE WITT,

V. D. M. EMERITI
ET LL. OO. PROFESS. IN ILL. SYLVA-DUCENSIUM ATHENÆO,

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

DAVIDE PROPHETA.

§. 1.

Quod si olim Ethnici beatam illam nationem prædicandam esse dixerint, cujus *Reges essent Philosophi*, vel *Philosophi ad Regni habenas eveherentur;* utpote a quibus exspectabant omne eorum regimen secundum jus, & æquum fore compositum: quo igitur Encomio iste extollendus erit populus, cujus *Reges sunt Prophetæ*, vel cujus *Prophetæ ad Regni gubernationem vocantur.* Quoties enim non reapse expertum fuit, *Reges Philosophantes*, vel *Philosophos Regimini admotos* sæpius meliora vidisse, verbisque in suis scriptis laudasse, & probasse, ast eheu, cum *Medea*, deteriora secutos fuisse, in maximum subditorum suorum damnum, atque interitum: cum e contra

contra Reges, qui *veri* erant *Prophetæ*, Spiritu Sancto impleti, & ab illo acti, nil ſibi prius quærerent, quam ex præſcripto Legis Divinæ omnem ſuam inſtituere, & dirigere vitam, ut ita omnibus pateret, quid gratia ſalutaris ipſos edocuerit, atque ita Regis ad exemplum omnes componerentur ſubditi, iique vera Patris, Filiique Ejus cognitione inſtructi, in qua conſiſtit vita æterna, ad ſalutem perducerentur æternam.

§. 2.

Iſto ſane gaviſus fuit populus Iſraëliticus privilegio, quando *David*, Filius Jeſſæ, ex tribu Judæ oriundus *Saulo* Regi a Deo datus fuit Succeſſor, qui Regni habenas capeſcens, unice in id incumberet, ut omnem Dei voluntatem exſecutioni mandaret, atque ita ſubditorum ſuorum veram promoveret ſalutem: ſic enim fatur Gentium Apoſtolus *Antiochiæ*, in Synagoga, ad Judæos verba faciens, μεταστήσας αὐτὸν, ἤγειρεν αὐτοῖς τὸν Δαβὶδ εἰς Βασιλέα· ᾧ καὶ εἶπε μαρτυρήσας. εὗρον Δαβὶδ τὸν τ᾽ Ἰεσσαι, ἄνδρα κατὰ τὴν καρδίαν μου, ὃς ποιήσει πάντα τὰ θελήματά μου. *Act.* XIII, 22. *Aſaphus* jam pridem hanc Dei liberrimam cecinerat electionem, & quomodo David omnem Dei voluntatem reapſe exſecutus fuerit: *Elegit Davidem ſervum ſuum & tulit eum de ſeptis pecudum: euntemque poſt lactantes*

Etantes adduxit eum, ut pasceret Jacob populium suum, & Israël hæreditatem suam. Pavit igitur eos in simplicitate cordis sui, & prudentiis manuum suarum deduxit eos Ps. LXXVIII, 70, 71, 72. Etenim hicce *David* fuit verus Propheta, etiam antequam ad Regni gubernationem eveheretur, unde nomine *Prophetæ* insignitur *Act.* II, 30, 31. & ipsemet etiam in ultimo, quod nobis reliquit, carmine, in laudem gloriæ gratiæ Divinæ dicere poterat: נאם דוד בן ישי ונאם הגבר הקם על משיח אלהי יעקב ונעים זמרות ישראל רוח יהוה דבר בי ומלתו על לשוני אמר אלהי ישראל לי דבר צור ישראל — 2 *Sam.* XXIII, 1. —

§. 3.

Hunc contemplari Prophetam constituimus; objectum sane, & argumentum nostra attentione dignissimum, utpote quod veram ejus in Psalmis amœnitatem detegere, & quid de Psalmorum argumento statuendum nobis sit, in clarissimam protrahere poterit lucem.

§. 4.

Non necesse tamen erit, ut hic excurramus in ulteriorem vocis נביא, vel προ-

προφητης disquisitionem: illius vim enim & significationem dudum ante nos observarunt Viri Docti: breves esse proposuimus, ut ita aliquo modo prolixiores esse possimus in iis, in quem præcipue finem hanc scripsimus dissertationem. Titulo Prophetæ insignitur ab Apostolo Petro. *Act.* II, 30, 31. indeque vocatur איש האלהים, *Neh.* XII, 24. quod in sacra pagina Epitheton tantum est Prophetarum. Ipsimet hoc nobiscum agnoscunt Judæi, unde in eorum scriptis toties *Propheta* vocatur, & Syriaca Psalterii inscriptio habet, *Liber Psalmorum Davidis Regis, & Prophetæ.*

Non me latet plurimos inter Judæos etiam a priscis fuisse temporibus, qui avide nomen Prophetæ arripuerunt, eoque a populo salutari titulo, non ultima laus fuit; ast reapse falsi fuerunt prophetæ; de quibus questus est Deus: *populе mi, qui te ducunt, seducunt te.* Jes. III, 12. quibus ex eo fonte toties sua annuntiavit judicia justissimus & supremus Judex. His vero minime David noster annumerandus est; fuit enim is *verus Propheta*, a Deo edoctus, & sapiens redditus ad salutem, qui etiam ברוח הקדוש, per *Spiritum Sanctum* sua locutus erat, & scripserat carmina 2 *Sam.* XXIII, 2. immo ipsum implementum, quod sortitæ sunt ejus prædictiones, arguit verum ipsum fuisse

Prophetam: hoc utique signum dederat Deus populo suo, ut ex eo verum a falso propheta dignosceret, si enim verbum, quod prolocutus fuerat propheta quisquam suum non nanciscereturimplementum, falsus habendus erat prophera *Deut.* XVIII, 22.

Non ignoro Judæos inferiorem quendam Prophetarum gradum *Davidi* adscribere, atque eam ob causam ejus carmina ad *Hagiographa*, tertiam Bibliorum partem, secundum eorum divisionem, rejecta fuisse.*)

Ast fallitur hæc jam excæcata Gens. Majores ejus minime inferiorem prophetiæ gradum Davidi attribuere voluerunt, sed tantum modum revelationis indicare, quo φερόμενος a Spiritu Sancto, sua carmina cecinerit, ut non in ecstasin raptus, sed mentis plenissime compos ea protulerit. Excitabimus mox quasdam Davidis prædictiones implemento confirmatas, quæ singulæ demonstrabunt ipsum de casibus contingentis eventus futuri temporis locutum fuisse, quos scire

*) Scribit enim D. KIMCHI in præf. sua ad Psalmos. *Dicunt Majores nostri, quod per Spiritum Sanctum scriptus sit hic liber: unde eum etiam ad Hagiographos retulerunt non autem ad ordinem prophetarum. Nam verba ejus non dictata fuerunt per modum prophetiae, sed per Spiritum Sanctum.*

ſcire non poterat, niſi ex immediata Dei revelatione. Neque eam ob cauſam, quam prætendunt Judæi, *Pſalmos* hos rejecerunt majores eorum ad *Hagiographa*; verum quia *David* non tantum *Propheta*, verum etiam *Rex* fuerat, propterque eandem rationem ſcripta *Salomonis*, Filii Davidis, quia iidem *Rex* & *Propheta* fuit, *Hagiographis* inſerta ſunt: idem etiam ſtatuendum de *Daniele*; quia non tantum *propheta* fuerat, ſed ſimul etiam *aulicus*.

Moſen ipſi antecelluiſſe lubentes concedimus *Num.* XII, 6, 7, 8. Propheta enim Moſi ſimilis nullus foret, niſi Chriſtus, *Deut.* XVIII, 15. ceteris omnibus vero ipſum æqualem fuiſſe, immo ſuavitate, & claritate palmam præripuiſſe, nullus unquam in dubium vocare poterit, cujus omnis voluptas eſt in ejus canticis, eaque meditatur die, & nocte. Ipſum modo dicentem audivimus; *Spiritus Domini locutus eſt in me, & ſermo Ejus in lingua mea. Locutus eſt Deus Iſraëlis mihi, Rupes Iſraëlis dixit.*

§. 5.

Nolo etiam hic inhærere generaliori hujus vocis ſignificationi, qua ſumitur pro quovis homine, qui renovatus ad imaginem Dei, & Spiritus Chriſti, qui eſt Spiritus fidei, particeps redditus, talem fundit

orationem, qua proximi sui ædificationem promovere, eumque ad quævis pietatis officia, juxta normam Evangelii præstanda, compellere annititur; quo sensu Paulus ea voce utitur, quando scribit, ὁ δὲ προφητεύων ἀνθρώποις λαλεῖ οἰκοδομὴν, καὶ παράκλησιν, καὶ παραμυθίαν. 1 *Cor.* XIV, 3. Et quid mirum, qui enim *Spiritum fidei acceperunt, iis loquendum est: scriptum enim est, credidi, ideoque locutus sum.* 2 Cor. IV, 13.

Possemus enim in latissimum hic excurrere campum, ostendendo quas gravissimas locutus fuerit David, in *Psalmis* suis, veritates, quæ omnes ad veram infucatamque ducunt pietatem, quomodo nimirum omnibus, tum sub œconomia Veteri, tum etiam sub Nova, ambulandum sit, qui unquam ad arctissimam & indivulsam cum Deo pervenire communionem desiderant. Hanc tamen studio prætermittimus materiam, quia illam ex professo occuparunt alii ante nos Viri Docti: qui hæc avide scire desiderat, adeat Patres, & videat, quibus elogiis Psalterium ornaverint, & extulerint.

§. 6.

Inhæremus itaque isti vocis נביא significationi, qua propheta innuit hominem, qui instinctu quodam Divino futura prædicit, quæ justo tempore, ab ipso Deo determinato,

terminato, ſuum ſortiuntur implèmentum:

De plurimis vero rebus futuris vaticinatos fuiſſe prophetas, quotquot unquam ad populum ſuum miſerat Deus, ex ipſorum ſcripto conſignatis prophetiis palam eſt: præcipuum tamen eorum ſubjectum, de quo locuti fuerant, erat Chriſtus, Ejusque Regnum, quod ab Ipſo erigeretur, & non obſtantibus omnibus Ejus hoſtibus, longe lateque, qua patet orbis, extenderetur, & ſtabiliretur. Teſtimonium *Chriſti fuit Spiritus prophetiæ.* Apoc. XIX, 10. De iſta enim ſalute interrogaverunt, & inquiſiverunt Prophetæ, qui de gratia vobis data prophetarunt: inquirentes in quod, & quale tempus Spiritus Chriſti, qui in ipſis erat ſignificarit; ante teſtimonium præbens de paſſionibus in Chriſtum & glorias poſt illas ſequentes 1 *Pet.* I. 10. 11. Idem ille *Petrus* non erubuit dicere: *Et omnes Prophetæ a Samuele, & qui poſtea ſecuti ſunt, quotquot locuti ſunt, etiam prænunciarunt has ipſas dies,* Act. III, 24.

Ipſo illo ſenſu ſpeciatim *David* ab Apoſtolo *Petro* deſcribitur *Propheta*, quando ait προφήτης ἂν ὑπάρχων, καὶ εἰδὼς ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεὸς ἐκ καρπῦ τῆς ὀσφύος αὐτῦ τὸ κατὰ σάρκα ἀναςήσειν τὸν Χριςὸν, καθίσαι ἐπὶ τῦ θρόνυ αὐτῦ. Προϊδων ἐλάλησε περὶ τῆς ἀναςάσεως τῦ Χρι-

σῦ, ὅτι ὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ ἀυτῦ εἰς ᾅδυ, ὐδὲ ἡ σαρξ ἀυτῦ εἶδε διαφθοραν, Act. II, 30. 31.

§. 7.

Constringimur itaque heic *Davidis* enarrare *Prophetias*, quicquid unquam piissimus hic Rex locutus fuerat in Psalmis; sed quanti operis, & molis foret illas omnes hic congerere; hæcque nostra dissertatio sane a brevitate, quam nobis proposuimus, longissime deviaret; cum venia itaque Lectoris nostri non omnes ejus prophetias, futuro tempore implendas, enumerabimus. Quare enim Lectoris mei attentionem fatigarem, vel etiam quemquam in istam pertraherem suspicionem, quasi ex ingenio nostro prophetias formaremus, easque *Davidi* adscriberemus, de quibus ipsemet forsan nunquam somniaverat, & quæ exinde facillimo negotio explodi possent. Has tantummodo ex Psalmis excitabimus Prophetias, quas ipse Spiritus Sanctus, in scriptura Novi Testamenti loquens, digito monstravit, quæque Christum, Ejusque Ecclesiam sub Novo & meliori fœdere spectant una cum hostibus eam oppugnantibus.

§. 8.

Oculos nostros itaque vertamus ad ipsum Christum, ille enim est præcipuum obje-

objectum Prophètarum, qui Ejus desiderantes adventum de Ipso omnes, uno ore, vaticinati sunt. In genere itaque dicere possumus *Psalmos*, quorum plurimi *Davidem* agnoscunt auctorem, quasi nulli aliorum Psalmi his essent intermixti, immo ex observatione eruditissimi *Michaëlis* in sua in librum præfatione pag. mihi 8. *Æthiopibus* absolute *David* dicuntur, (cum enim Psalterium finitum dicere volunt, in fine ejus scribunt, *finitus est David*,) de Christo agere, Ejusque statum, tum humiliationis, tum exaltationis tam graphice pingere, ut *historiam*, non vero *prophetiam* hic sibi scriptam videri *Cassiodorus* olim censuerit, annotante *Michaelis* in modo dicta præfatione pag. mihi 11. Ipse enim Servator, qui est Doctor Veritatis, redivivus se Apostolis ostendens, eorumque congregationi inopinato se immiscens, inter alia hæc loquebatur verba; *isti erant sermones, quos ad vos locutus fueram, quando adhuc dum eram vobiscum, nimirum oportere omnia impleri, quæ scripta sunt de me in Lege Mosis, & Prophetis, &* PSALMIS *Luc.* XXIV, 44. conf. etiam *v.* 27.

§. 9.

In generalioribus istis non subsistendum nobis, sed ad specialiora transeundum, ut

ita clarius pateat, quid Psalmi, de Christo, unico salutis auctore, prædixerint.

Etenim *Davidem* vaticinatum esse de Christi adventu in mundum, qui omnem faceret Patris voluntatem, seque Ipsum Deo offerret in Sacrificium, quo oblato sacrificio, omnia, quæ ex præscripto Legis Mosaicæ offerebantur sacrificia, tolleret, & abrogaret, docet nos argumentum Psalmi XL. qui Davidem agnoscit auctorem; versibus enim 7.8,9. introducitur Christus ita loquens. *Sacrificium, & oblationem noluisti: aures autem fodisti mihi. Holocaustum, & sacrificium pro peccato non postulasti. Tunc dixi, ecce venio: in volumine Libri scriptum est de me. Voluptas mea est, ut facerem voluntatem tuam Deus mi: & Lex tua in medio viscerum meorum est.*

Davidem vero non de se, sed de *Christo* sermonem instituere arguunt emphatica Pauli Apostoli verba, quia illa omnia Christo applicat, atque exinde deducit totum illud sacrificiorum Choragium abolitum esse, & Hebræis credentibus incumbere, ut missis omnibus sacrificiis unico Christi sacrificio adhæreant, atque ab Eo omnem suam salutem exspectent. Videsis *Heb.* X, 5 - 10. Quando jam in mundum veniisset, se ostenderet magnum illum Prophetam, & justitiæ Doctorem *Ps.* LXXVIII, 1. 2. *Auscultа, popu-*

populo mi legem meam, inclinate aurem vestram ad verba oris mei: aperiam in parabola os meum, loquar ænigmata a principio. Hæc in Domino *Jesu*, parabolas ad turbam loquente, impleta esse docet nos *Matthæus c.* XIII, 34. 35.

Nequis vero regerat, *Davidem* non esse auctorem istius *Psalmi* LXXVIII. sed *Asaphum:* ast eodem illo, quo *David* agebatur Spiritu, actus etiam fuit Propheta *Asaphus*, ut quæ *Asaphus* de Christo vaticinatus fuerat, eadem illa *Davidem* de Ipso prædixisse statuendum sit: atque exinde in antecedentibus etiam observavimus totum Psalterium vocari *Davidis*, quia is plurimorum Psalmorum auctor fuit: atque eam ob causam istius Psalmi argumentum *Davidi* recte attribui posse; præprimis quia eadem dixisse *Davidem*, licet aliis verbis, alii arguunt Psalmi, confer modo *Ps.* XL, 10. 11.

Zelus domus Dei ipsum consumeret, præcinente *Davide* Ps. LXIX, 10. Discipuli vero Ejus, videntes, quo zelo e Templo omnes venditores &c. ejecerit, animadvertebant in eo implementum istius Prophetiæ *Joh.* II, 17.

De proditore Juda locutus fuerat David *Ps.* XLI, 10. *etiam vir pacis meæ, cui fidebam, & qui manducabat panem meum, magnificavit adversum me calcaneum:* ipsi

enim Servatoris explicationi & applicationi inhæremus, ad Discipulos dicentis, *non de vobis omnibus dico, ego novi, quos elegerim, sed ut Scriptura impleatur, qui manducat mecum panem extulit contra me calcaneum* Joh. XIII, 18.

Gratis ipsum odio haberent Judæi, ostendit ipse Servator ex *Davidis* prophetia, quæ occurrit *Ps.* XXXV, 19. Joh. XV, 25.

Prædictum etiam fuerat repudiaturos Ipsum ædificatores, sed postea extollendum in caput anguli: *Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, fuit in caput anguli. A Domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris* Ps. CXVIII, 22. 23.

Nonne ipse Dominus hæc sibi applicat, primores Judæorum Ipsum reprobaturos, sed a Deo, modo admodum mirabili, in caput Anguli elatum iri *Matth.* XXI, 42. unde *Petrus* & *Joannes*, maxima cum παῤῥησία exprobrant sacerdotibus, atque scribis: *notum sit vobis omnibus, atque omni populo Israëli, quod in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit ex mortuis, in illo stat iste coram vobis sanus. Hic est ille Lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli.* Act. IV, 10. 11.

Vaticinatus etiam *David* est tum de Ejus *potu* ante crucifixionem, & tum de eo,

eo, qui ipsi dabatur in ipso mortis agone: *probrum contrivit cor meum, & exspectavi, qui condoleret, & non fuit: & consolatores, & non inveni: & dederunt in escam meam fel, & in siti mea propinaverunt mihi acetum* Ps. LXIX, 21. 22. *post hoc Jesus animadvertens omnia jam consummata esse, ut Scriptura impleretur, dicebat, Sitio.* Joh. XIX, 28-30.

Ipsa etiam Ejus *ultima verba*, quæ ante mortem prolocutus est, prædixerat David, *in manum tuam commendo Spiritum meum* Ps. XXXI, 6. coll. cum Luc. XXIII, 46.

De Ejus *sepultura*, & insequenti *resurrectione* locutus etiam fuerat David: *propterea lætatum est cor meum, & exultat gloria mea, etiam caro mea habitabit confidenter. Quoniam non derelinques animam meam in sepulchro: nec permittes Sanctum tuum videre corruptionem. Scire facies me semitam vitæ: satietas lætitiarum est cum vultu tuo: jucunditates sunt in dextra tua in seculum* Ps. XVI, 9, 10, 11. videsis quomodo Domino *Jesu* illud applicuerit *Petrus* Act. II, 25-31.

Prædixerat præterea Christi *in coelos adscensionem* Ps. LXVIII, 19. *adscendisti in altum, captivam duxisti captivitatem, atque dona accepisti, ut distribueres inter homines*

gen-

Gentium Apostolus *Paullus* non neglexit illam *Davidis* prophetiam *Jesu* Domino applicare *Eph.* IV, 8 - 12.

Adde etiam Ejus *Sessionem* ad dextram Patris: *Dominus ad Dominum meum locutus est: sede ad dextram meam, donec posuero inimicos tuos scabellum pedibus tuis* Ps. CX, 1. idem ille Apostolus *Paulus* non erubescit etiam istam *Davidis* prophetiam Domino Jesu, utpote in quo illa suum sortiretur implementum, applicare, *Hebr.* X, 12. 13.

Immo ipse David vaticinatus fuit Christum fore *sacerdotem in æternum juxta ordinem Melchizedeki.* Ps. CX, 4. Quam materiam fuse pertractat idem *Paulus*, Ejusque implementum in solo Domino Jesu quærendum esse, pluribus ostendit *Heb.* VII, 1 -- Quum denique Apostolus Paulus scribit, *quando vero iterum introducit primogenitum in orbem, dicit, & adorent Ipsum omnes Angeli Dei* Heb. I, 6. Digitum intendit ad illam *Davidis* Prophetiam, quæ legitur השתחוו - לו כל-אלהים Ps. XCVII, 7.

§. 10.

Verum enim vero non tantum vaticinatus est *David* de *persona* Christi Ejusque *Statibus*, sed etiam de Ejus *Ecclesia*, erigenda, stabilienda, & confirmanda inter

Ju-

Judæos & *Gentes*, non obſtantibus continuis, quibus premeretur, perſecutionibus; immo etiam de Chriſti, & Eccleſiæ hoſtibus, & quæ ipſos manerent duriſſima fata.

§. 11.

Spectemus itaque primo loco *Davidis* Prophetias, quæ reſpectum habent ad *Eccleſiam erigendam*, & *confirmandam*, inter *Judæos*, & *Gentes*. Quantæ molis eſſet Eccleſiam condere patebat exinde, quia omnis caro tum *Judæorum*, tum *Ethnicorum* ſuam corruperat viam; quam univerſalem corruptionem illo tempore conſpiciendam graphice prædelineaverat David: *Dominus e cœlis proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, an ſit intelligens, quærens Deum. Omnes declinaverunt, pariter foetuerunt, non eſt faciens bonum, non eſt etiam unus* Pſ. XIV, 2. 3. nonne Paulus φερομενος ὑπὸ Πνέυματος Ἁγιε illam *Davidis* prophetiam explicat de univerſali illa Judæorum & Gentium corruptione? *quid tum? antecellimus? minime gentium: antea enim accuſavimus ambos, Judæos & Græcos, omnes eſſe ſub peccato, ſicuti ſcriptum eſt, nullus datur juſtus, ne quidem unus.* Nemo *eſt intelligens, nemo eſt, qui quærit Deum, omnes declinaverunt, inutiles ſimul facti ſunt, nullus eſt, qui bonum*

bonum facit, nullus est usque ad unum &c. Rom. III, 7 - 19.

Non obstante vero universali ista corruptione erigeret Dominus Ecclesiam suam, eamque extenderet super totum terrarum orbem, mediante præconio Evangelii. David illud prædixerat: *Domini est terra, & plenitudo ejus orbis, & habitantes in eo, quia Ipse super maria fundavit eam, & super flumina firmavit eam* Ps. XXIV, 1. 2. atque iterum: *non est sermo, nec sunt verba, ubi non audiatur vox eorum, in omnem terram exivit linea eorum, & in extremum orbis eloquia eorum* Ps. XIX, 4. 5. Paulus veterum oraculorum fidus interpres, hasce *Davidis* prophetias isti Oeconomiæ gratiæ applicat, sub qua ablatus est paries intergerinus, atque cuivis populo, absque discrimine Gentium, pax annuntiatur. Corinthiacæ enim Ecclesiæ persuadere volens, ipsam vocatam esse ad libertatem Novi Test., provocat ad illam *Davidis* prophetiam, *nam Domini est terra, & plenitudo ejus* 1 Cor. X, 26. atque demonstrare annitens Evangelium jam prædicari omni Creaturæ, digitum suum ad illam Davidis prophetiam Ps. XIX, 4. 5. intendit; *ast dico, nonne audiverunt? omnino, in omnem terram exivit sonus eorum, & ad extremitates orbis verba eorum* Rom. X, 18. Nonne etiam *David* vaticinatus fuerat de

gra-

gratioſa peccatorum remiſſione, absque operibus legis, qua jam beandus foret quisque qui crediderit, absque ullo gentium diſcrimine: *beatus ille, cui remiſſa eſt prævaricatio, cui tectum peccatum. Beatus homo, cui non imputat Dominus iniquitatem, nec eſt in ſpiritu ejus dolus* Pſ. XXXII, 1. 2: hoc vero ſenſu *Davidis* μακαρισμὸν accipiendum eſſe, edocuit nos *Paulus*, quando ait, *ſicuti etiam David beatum prædicat hominem, cui Deus imputat juſtitiam absque operibus. Beati illi, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir ille, cui Dominus non imputat peccatum* Rom. IV, 6. 7. 8.

Atque ita *Gentes*, ejusdem gratiæ cum credentibus *Judæis* participes, ſimul jubilarent. Præviderat meliora iſta tempora *David: laudate Dominum omnes Gentes, laudate Eum omnes populi, quoniam roborata eſt miſericordia Ejus & Veritas Domini in ſeculum Halelujah* Pſ. CXVII, 1. 2. *propterea confitebor tibi in gentibus, o Domine, & nomini tuo pſallam.* Pſ. XVIII, 50. Eo enim nos ducens Apoſtolus, ad binas illas prophetias provocat *Rom.* XV, 9. 11.

Primis illis credentibus, tum ex Judæis, tum ex Gentibus per multas tribulationes intrandum fore in Regnum Cœlorum, prædixerat iis *David*, illos ita loquentes introducens

troducens, *propter Te occidimur omni die: æstimati sumus ut pecudes ad jugulandum destinatæ* Ps. XLIV, 23. Paulus vero tribulationes delineans, quibus Ecclesia istius temporis premeretur, & tempore futuro adhucdum premenda foret, excitat illam *Davidis* prophetiam *Rom.* VIII, 36.

Licet vero Ecclesia premeretur variis & continuis tribulationibus, non tamen opprimeretur; illa enim imperterrita staret, soli Deo innitens, qui non deseret populum suum, & hæreditatem suam non derelinquet. De eo forti, & imperterrito populi animo mediis in angustiis & persecutionibus vaticinatus fuerat *David*, inquiens: *Deo fido, non timebo, quid faciet homo mihi* Ps. LVI, 12. *Paulus* vero Apostolus illud sibi, ceterisque sui temporis fidelibus applicat, αὐτὸς γὰρ εἴρηκεν. Οὐ μή σε ἀνῶ, οὐδ' οὐ μή σε ἐγκαταλίπω ὥστε θαῤῥοῦντας λέγειν Κύριος ἐμοὶ βοηθὸς, καὶ οὐ φοβηθήσομαι τί ποιήσει μοι ἄνθρωπος *Heb.* XIII. 5. 6.

§. 12.

Pauca nobis adhuc observanda restant, quæ etiam *David* vaticinatus fuerit, de *hostibus* Ecclesiæ, eorumque miserrimo interitu. *Judæi* & *Gentes* simul consilium inirent contra Dominum, Ejusque Unctum, ast frustraneum: quia ipse Deus irritas faceret cogitationes populorum. Illud vero jam prædixerat

dixerat David: *quare tumultuantur gentes, & populi meditantur inane. Conſtituent ſe Reges terræ & principes conſilium capiunt pariter adverſus Dominum, & adverſus unctum Ejus, (dicentes) dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis funes eorum. Habitans in coelis videbit: Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira Sua, & in furore Suo terrebit eos, dicens, & Ego unxi Regem meum ſuper Zion, montem ſanctitatis meæ* Pſ. II, 1 - 6. Implementum hujus Davidicæ prædictionis ſuis luſtrabant oculis illi, qui erant Eccleſiæ Chriſtianæ primordia, *Judæorum*, & *Gentium* perſecutionibus expoſiti, & liberationem quandam nacti, has ſimul fundunt preces: *qui per os Davidis ſervi tui dixiſti, quare tumultuantur gentes, & populi meditantur inania. Conſtituerunt ſe Reges terræ, & Principes congregati ſunt una contra Dominum & Chriſtum Ejus. Nam revera congregati ſunt contra Filium tuum Sanctum Jeſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſraelis* &c. Act. IV, 24 - 28.

Interea vero *Judæis* Evangelium gratiæ annunciabatur & ſummopere adigebantur, ut aurem iſti prædicationi præberent vacuam, ſuumque cor minime obdurarent; ſi enim audito Evangelii præconio ſe obdurarent, excludendi forent a requie, in quam Deus

decreverat suum introducere populum. Ea de re jam vaticinatus fuerat David: *hodie si vocem Ejus audieritis, ne obduretis cor vestrum sicut in Meriba, sicut in die Massa in deserto: in quo tentaverunt me Patres vestri, probaverunt me, etiam viderunt opus meum: quadraginta annis litigavi cum generatione hac, & dixi, populus errantes corde sunt, ipsi non cognoverunt vias meas. Propterea juravi in furore meo, si introibunt in requiem meam* Ps. XCV, 7 - 10. Quomodo hoc *Paulus* applicet *Judæis* immorigeris, atque ex eo fonte *Judæos credentes* adigat, ne se istis conformes reddant, videre possumus *Heb.* III, 7 13. *Judæ* proditoris miserrimum interitum, una cum populo Judaico, qui se Christo submittere noluerat, prædixerat *David* Ps. LXIX, 23 - 26. *Sit mensa eorum coram eis laqueus, & plenissima retributio in offendiculum; obscurentur oculi eorum, ne videant & lumbos eorum semper nutare fac. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos: sit palatium eorum desolatum, in tabernaculis eorum non sit qui habitet.*

Apostolus *Petrus* applicat hanc Christi maledictionem *Judæ* proditori *Act.* I, 16 --- *Paulus* vero universæ nationi incredulæ *Rom.* XI, 9. 10. Idem erit dicendum de *Davidis* prophetia *Ps.* CIX. ut quæ ferit *Judam*,

dam, quatenus ei ex ceteris Christi Discipulis successor dandus erat *Act.* I, 20. totamque obstinatam *gentem Judaicam*, uti patet ex versu 20, *hæc merces adversariorum meorum a Domino, & loquentium malum contra animam meam.*

§. 13.

Nullus itaque dubito, quin omnes, qui etiam vel minima erga scripta Novi Testamenti ducuntur reverentia, facile agnituri sint, *Davidem*, qui de omnibus istis rebus vaticinatus est, reapse se demonstrasse *verum Prophetam*, qui instinctu Divino ista omnia prædixit. Quis itaque mecum non libenter subscriberet, & utroque pollice approbaret, quæ *Brentius* ad 2 *Sam.* XXIII, 2. scripsit "Psalmi Davidici, inquit, non so-"lum hoc ipso a Spiritu S dictati sunt, quod "certæ sint veritatis, sed quod potissimum "longius multo respiciant, quam litera pri-"ma fronte ostendat. Nam David solet in "Psalmis suam personam præ manibus ac-"cipere, de suis hostibus, inimicis, ad-"versitatibusque differere, ut putares solum "Davidis negotium agi. Sed si penitius in-"trospicias, respicit potissimum in Christum "Jesum, Filium suum, cujus bella, tenta-"tiones, & victorias in Psalmis ita descripsit, "ut jure possint carmina Christi triumpha-

"lia, s. ἐπινίκια vocari. Nam & sic Christus "ait *Luc.* XXIV. *oportebat impleri omnia, "quæ de me in Psalmis scripta sunt:*" debeo hæc verba Eruditissimo *Michaelis* in præfatione in librum Psalmorum, qui, excitato *Brentio*, ita scribere pergit, "id quod ad- "versus insanam illorum diligentiam obser- "vandum est, qui, data veluti opera, id "agunt, ut, quæ oracula Veteris Testa- "menti per Christum, & Apostolos in N. "Test. clarissime exposita, ac demonstrata "habemus, ipsi perverso studio tenebris in- "volvant, spiritumque Prophetiæ, seu te- "stimonia de Christo, tanquam finem & "nucleum totius Scripturæ nobis eripiant.

§. 14.

Non autumo vero quemquam fore, qui sibi, aliisque persuadere conaretur, scriptores Novi Testamenti non recte excitare Davidis Prophetias, vel vero suo subjecto, quod ipse Spiritus S. intendit, non applicasse. Vellem sane, ut illi, qui talia sibi imaginantur, ostenderent, quidnam esset verum subjectum, quod Spiritus S. intenderit, contradistincte ad illud, quod Scriptores Novi Fœderis nobis in manus tradiderunt: nullus enim dubito, quin statim suam proderent dementiam: an ipse Spiritus S., in Novo Testamento loquens, ignoraret, quid

quid ipſemet, in illis ipſis Prophetiis, quas citat, intenderit? iſte Spiritus, qui Apoſtolos, & Evangeliſtas duceret in omnem veritatem, rectam Prophetarum intentionem non indicaſſet? decepti itaque ſunt Apoſtoli, ſuisque ſcriptis millenos alios, qui illis fidem adhibuerant, deceperunt; quis talia fando proferre unquam auderet, & de ſcriptis vere Θεοπνεύστοις aſſerere? Dominus Jeſus aperuiſſet diſcipulorum ſuorum mentem, ut ſcripturas, præcipue quæ agunt de Ejus ſtatu humiliationis, & exaltationis, intelligerent, & interim longe deviantem iſtarum Prophetiarum intellectum nobis protuliſſent: quæ vis tum etiam perſuadendi manſiſſet ipſi Domino Chriſto Jeſu, quando ex ipſis Pſalmis demonſtrabat Prophetas de Ejus paſſionibus, iisque inſecuta gloria, locutos eſſe *Luc.* XXIV? Si Apoſtoli non recte excitaſſent, & ex ipſo Spiritus Sancti ſcopo Prophetas explicaſſent, quæ vis perſuadendi ipſis ſuperfuiſſet Jeſum eſſe Chriſtum Patribus promiſſum?

Non ignoro incredulos Judæos, invidia actos, toties *Paulo* oblocutos fuiſſe; aſt quibus uſi fuerint argumentis, non liquet; an regererint *Davidem* de ſe ipſo, ſuisque canere fatis, & non reſpicere tempora futura, quibus Chriſtus veniret in mundum, & per paſſiones conſummaretur, ut fieret cau-

sa salutis omnibus, qui per Ipsum Deum adeunt; an vero alio modo se opposuerint, Spiritus Sanctus silentio pressit, ne quis arma exinde in posterum mutuaretur ad oppugnandam veritatem, sicuti illa est in Christo Jesu.

§. 15.

Verum enim vero quo fundamento demonstrarunt Apostoli Prophetias Davidicas spectare ad Christum Ejusque Ecclesiam sub nova, & meliori œconomia erigendam? Non sane ex Apostolica quadam auctoritate, qua injunxerint omnibus cæca quadam obedientia fidem habere eorum dictis: absit; voluerunt enim ut quisque salutis cupidus scrutaretur Scripturas, unde *Beroenses* εὐγενέστεροι describuntur, qui quotidie scrutabantur Scripturas, an hæc ita se haberent quæ ab Apostolo Paulo dicebantur *Act.* XVII. 11.

Sane si eo modo egissent Apostoli, ostendissent se velle κατακυριεύειν τῶν κλήρων, quod ipsis non licere noverant, aliosque exinde a tali superbiente indole serio dehortabantur: taceo, Judæos immorigeros, quibus Jesus crucifixus est scandalum tam longe abfuisse, ut vel minimam Apostolis concessissent auctoritatem, ut illam flocci habuissent.

For-

Forſitan dicet quisquam, Apoſtolos veſtigia preſſiſſe *Scholæ Propheticæ*, quæ a longo tempore inter *Judæos* floruerat, quæque ſolita fuerat, Pſalmos Davidicos de venturo Meſſia, Ejusque regno explicare: qui Apoſtolorum conſenſus cum ſchola Prophetica Judæis perſuadere debebat, Apoſtoſtolos ne latum unguem a veterum doctrina receſſiſſe, & obloquentem illam nationem cohibebat eorum explicationes ut novas & paradoxas exagitare, ſed volentes nolentes coacti erant palam profiteri, eodem modo Patres ſuos Pſalmorum Davidicorum mentem explicuiſſe. Lubens quidem concedo, iſtud multum contuliſſe ad tollenda iſta, quibus quam maxime laborabant *Judæi*, præjudicia: verum minime ſufficere poterant ad pleniſſimam mentis convictionem: Si enim *Schola Prophetica* hunc vel illum Pſalmum, non juſto fundamento, ad Chriſtum, Ejusque Regnum ſpectaſſe judicaſſet, Apoſtolorum conſenſus in tali explicatione arguere non poſſet, hanc fuiſſe veram Spiritus Sancti mentem. Aliquid majoris itaque ponderis accedere debet, quod nobis perſuadeat Apoſtolos veram Spiritus Sancti mentem explicuiſſe. Quod enim Paulus de ſe, ſuisque cooperariis teſtatur, illos *manifeſtatione veritatis ſe acceptos reddidiſſe conſcientiis hominum in conſpectu Dei*

2 *Cor.* IV, 2. illud sane in hoc negotio, de omnibus Apostolis quam maxime statuendum esse censemus.

§. 16.

Agedum videamus, an etiam Apostolis argumenta defuerint, quibus demonstrare potuerint, applicationem ad Christum, Ejusque Ecclesiam recte institui, ad suam, aliorumque plenissimam convictionem.

Apostolus *Petrus*, impletus Spiritu Sancto, excitat Psalmum XVI, ut ex eo tum Christi mortem & sepulturam, & tum etiam Ejus arguat resurrectionem: quibus vero argumentis contendit Psalmum istum agere de *Christi resurrectione*? Primo demonstrat, argumentum illius Psalmi de *Davide* intelligi non posse, quia *David* non tantum mortuus erat, verum etiam quia ejus sepulchrum etiamnum inter ipsos erat, in quo conditum ejus cadaver ad præsens usque tempus remanserat, atque ex eo fonte concludendum, quam maxime ipsum vidisse corruptionem, ejusque cadaver ad pulverem rediisse. Quod tamen expressis verbis negatur, de illo, qui est subjectum istius Psalmi. Ast hoc nondum sufficere poterat ad demonstrandum Davidem de *Christo* sermonem instituere: alterum itaque adducit argumentum, nimirum *Davidem* fuisse *Prophetam*, ipsi

ipsique a Deo revelatum fuisse, Christum quoad carnem originem ex ipso tracturum; Illud vera fide exspectabat, spequeinconcussa anhelabat: hoc ejus cor etiam impleverat maxima lætitia, unde ex abundantia cordis os ejus loqui debebat. Et de quo alio subjecto loqueretur, quam Christo, qui propter ejus moreretur peccata, & resuscitaretur in justificationem. En ipsa *Petri* verba: *Viri fratres, licet dicere palam ad vos de Patriarcha Davide, ipsum & mortuum esse, & sepultum, & sepulchrum esse apud nos usque ad hunc diem. Cum vero esset Propheta, & sciret Deum juramento ipsi jurasse ex fructu lumborum ejus, secundum carnem, excitaturum Christum, ut faceret ipsum sedere in Throno ejus, prævidens locutus fuit de resurrectione Christi, quoniam anima Ejus non derelicta fuit in sepulchro, neque caro ejus vidit corruptionem* Act. II, 29 - 31. Vellem jam scire, an ista argumenta, quibus usus est *Petrus*, in solum Psalmum XVI quadrent, an vero etiam applicari possint aliis Psalmis, ut eadem veritas, nimirum agere illos de Christo exinde arguatur? Quid enim prohibet, quod eodem modo applicari possint *Ps.* I, II, VIII, XVIII, XX, XXI, XXII, XXXI, XXXV, XL, XLI, LXIX, LXXXVIII, CIX, CX. &c. Quod si agnoscimus, statim animadvertemus mi-

nime in litera nobis subsistendum esse, sed oculis nostris subjiciendum illud objectum, quod Rex cum omnibus piis Regibus, & justis coram contemplari valde desiderabat.

§. 17.

Alterum, quod producimus, argumentum inde petimus, talia sæpius de subjecto hujus, vel illius Psalmi prædicari, quæ de ψιλῷ ἀνθρώπῳ prædicari nequeunt, atque ita arguunt de nullo alio subjecto intelligi posse, quam Θανθρώπῳ. Hoc argumentum subministravit nobis ipse Dominus Jesus: cum enim Primoribus Judæorum demonstrare vellet, Christum non tantum fore hominem, *Davidis Filium*, verum etiam, propter Ejus Divinitatem, *Davidis Dominum*; interrogat eos, qui potuerit David Filium suum, Messiam, vocare Dominum suum, quia Filius, qua Filius, nunquam Patris Dominus dici potest, sed Patri subjectus, ejusque capessere jussa fas sit vid. *Matth.* XXII, 42 44.

An itaque solus Psalmus CX. ex hoc fonte Christo applicandus, an non etiam ceteri omnes, in quibus nobis tam grande & magnificum describitur subjectum? uti *Ps.* VIII. ubi ille, qui propter passiones, brevi tempore, *fuerat minor Angelis*, *gloria & honore coronaretur*, & cujus *pedibus omnia* sub-

ſubjicerentur. Pſ. XVIII. ubi *caput gentium* vocatur XLV. ubi *Thronus Ejus eſſe dicitur in æternum, & Sceptrum regni Ejus, Sceptrum juſtitiæ*, qui non tantum eſt *hominum pulcherrimus*, verum etiam ipſo *Dei* nomine inſignitur ad indicium, ipſum *eſſe verum Deum, & vitam æternam.* Adde quæſo argumentum *Pſ.* CII, 26. 27. 28. & quomodo illud a Paulo Chriſto, Ejusque regno perenni & immutabili attribuatur *Heb.* I, 10-12. idem eſto judicium de *Pſalmo* II, XX, & LXXII.

§. 18.

En aliud adhuc argumentum, quo ipſe Paulus uſus eſt; nimirum ſedulo obſervandam eſſe ipſam temporis circumſtantiam, tum cum reſpectu ad Dei promiſſiones, tum etiam cum reſpectu ad Ejus comminationes: Promittit Deus populum ſuum introductum in requiem, & quidem poſtquam jam dudum populus iſte introductus erat in requiem: immo, licet populus jam a longo tempore introductus eſſet in requiem, comminatur tamen, ſe illum non introducturum. Patet itaque illam requiem diſtinctam eſſe a requie, qua etiamnum fruebatur iſte populus, & quæ futuro exſpectabatur tempore. Concludit itaque Apoſtolus hæc non poſſe intelligi de externa illa requie, in

quam

quam populus Israeliticus introductus fuerat, quando terram Cananæam hæreditaret, sed de illa, quam verus Israel exspectabat & anhelabat se fruiturum sub œconomia Nova, & meliori. Argumentum illud proponit Apostolus Paulus, *Heb.* IV, 7. 8. 9. πάλιν τινὰ ὁρίζει ἡμέραν, σήμερον, ἐν Δαβὶδ λέγων, μετὰ τοσοῦτον χρόνον (καθὼς εἴρηται) Σήμερον ἐὰν τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούσητε, μὴ σκληρύνητε τὰς καρδίας ὑμῶν. Εἰ γὰρ αὐτοὺς Ἰησοῦς κατέπαυσεν, οὐκ ἂν περὶ ἄλλης ἐλάλει μετὰ ταῦτα ἡμέρας. Ἄρα ἀπολείπεται σαββατισμὸς τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ.

Exinde itaque concludendum, Psalmum XCV. nos ducere ad ista tempora, quibus verus Israel jam introductus in terræ Cananææ requiem, aliam & futuram requiem adhuc exspectabat.

Quod argumentum, si non strinxisset, Apostolus eo non fuisset usus ad convincendos Hebræos credentes, ut soli Christo adhærerent, atque dum Ejus vocem audirent, cor non obdurarent, ut illam, quam promiserat Deus, requiem, hæreditarent.

Ista vero clavi solus aperiendus non est Psalmus XCV Verum etiam XLVII: legimus enim versu 4 & 5 in futuro, *ducet populos subtus nos, & nationes subtus pedes nostros Seliget nobis hæreditatem nostram, gloriam Jacobi, quem dilexit Sela!*

Quum

Quum vero hæc dicerentur, populus Iſraeliticus jam dudum introductus fuerat in hæreditatem terræ Cananææ; concludendum itaque Prophetam hic loqui tempore futuro ad indicium, quod aliam reſpiceret hæreditatem, futuro tempore adeundam ſub œconomia Novi Fœderis.

Ipſo illo argumento uſus fuit Apoſtolus, quando vult ut ſerio animadvertamus illam temporis circumſtantiam, qua *fides Abrahami ipſi fuerit imputata ad juſtitiam*, an illud contigerit *ante*, vel *poſt ejus circumciſionem*? Videor mihi audire quemquam dicentem, quid iſtud ſane ad nos, an Abrahamo ante vel poſt circumciſionem fides ejus imputata ſit ad juſtitiam? Apoſtolus gentium non tantum illam temporis circumſtantiam obſervat, verum oſtendit etiam exinde maximam illam concludendam eſſe veritatem, nimirum Abrahamum futurum Patrem non tantum credentium ex *Judæis*, ſed etiam ex *Gentibus*. Quis ſane tale exinde deducere, & exſculpere myſterium auderet, niſi ipſemet Apoſtolus rotundis locutus fuiſſet verbis, inquiens; *dicimus enim imputatam eſſe Abrahamo fidem ad juſtitiam: Quando vero imputata fuit, in circumciſione exiſtenti, vel in præputio? non in circumciſione, ſed in præputio. Et ſignum accepit circumciſionis (in) ſigillum juſtitiæ fidei, quæ*

ei

ei imputata fuit in præputio, at eſſet Pater omnium credentium in præputio, ut ipſis etiam imputaretur juſtitia. Et pater circumciſionis, illis non ſolum ex circumciſione; verum etiam eorum, qui fidei veſtigiis patris noſtri Abrahami inſiſtunt, quæ in præputio ipſi imputata fuerat *Rom.* IV, 9-12.

§. 19.

Colophonis loco liceat nobis hiſce argumentis & aliud addere: nimirum, quando Spiritus S. loquitur de gratuita illa peccatorum remiſſione, quæ excludit omne illud opus, quod œconomia priſca olim poſtulabat ab omnibus, qui veniam peccatorum anxie deſiderabant, tum ſermonem non inſtitui de illa peccatorum remiſſione, quæ locum habebat ſub œconomia veteri, ſed nova. Arguit hoc iterum Paulus Apoſtolus, quando Pſalmum XXXII. excitans, ita fatur. *Sicuti etiam David beatum prædicat hominem, cui Deus imputat juſtitiam absque operibus: beati, quibus remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui Deus non imputat peccatum.* Rom. IV, 5. 6. 7. 8.

Effatum illud Pſalmiſtæ eſt generale absque ulla gentis diſtinctione: concludit itaque Apoſtolus illum μακαρισμὸν non ſolum pertinere ad credentes ex *Judæis*, ſed etiam ex *Gentibus*, unde pergit idem Apoſtolus,

ὁ μα-

ὁ μακαρισμὸς οὗτος ἐπὶ τὴν περιτομὴν, ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυσίαν.

Tuto itaque concludendum nobis Pſalmum XXXII. reſpicere ad œconomiam novi fœderis: Et quia hic Pſalmus cum ſequenti XXXIII. indivulſe cohæret, quare etiam ille XXXIII. ἀνεπίγραφος eſt apud Hebræos, & recte LXX. Interpretes *Davidem* agnoverunt ejus eſſe Auctorem, cum Pſalmus XXXII. in fronte nomen *Davidis* gerat, ſequitur illum XXXIII. reſpicere tempus Novi Teſtamenti, quod, Deo volente, alia occaſione latius, ex ipſo Pſalmi argumento, demonſtrabimus.

§. 20.

Stant itaque hæc argumenta firmo talo, ſtabuntque in perpetuum, quamdiu Dei Scriptura ſuam ſervabit auctoritatem. Forſitan tamen non nullus hanc aut illam moveret adhuc difficultatem, quam tollere nobis incumbit, antequam manus de tabula.

Et quidem primo regeret nobis aliquis, ſi eo modo procedendum ſit in explicatione Pſalmorum, tum a fidelibus œconomiæ veteris auferri, quod ipſis privum, maximumque fuerat privilegium: aſt ſerio hoc negamus. Quid detrimenti capiebat pia Gens Judaica, quæ, inter ſacrificia, audiebat Cantica, Chriſtum, Ejusque Eccleſiam delineantia;

neantia; qua via clariori, & suaviori duci poterat ad Christum, finem Legis unicuique credenti; quid magis fidem in Christum excitare poterat, quid populum istum magis anhelantem reddere ad tempora illa, quibus ipse Mediator & Servator, manifestatus in carne, æternam illam justitiam adduceret? Et quare sane hoc alicui videretur paradoxum, cum ipse Apostolus *Petrus* non erubescat dicere, prophetis priscis revelatum fuisse, ὅτι οὐχ ἑαυτοῖς, ὑμῖν δὲ διηκόνουν αὐτὰ, ἃ νῦν ἀνηγγέλη ὑμῖν διὰ τῶν εὐαγγελισαμένων ὑμᾶς ἐν Πνεύματι Ἁγίῳ ἀποσταλέντι ἀπ' οὐρανῦ 1 Pet. I, 12.

Alter vero dicet, dari Psalmos plurimos, qui tinsam accipiunt, ab ipsis *Davidis* casibus; an itaque tum in litera non erit subsistendum? in tali casu lubentes concedimus, primo explorandum esse, quo usque illa, quæ dicuntur de Davide fuerint in ipso vera, & tum, summa cum attentione, expiscandum, quid illa in antitypo pingant, an ad ipsam Christi personam, an vero ad Ecclesiam referenda sint? qui enim utrumque hoc arctissime conjungunt, omne tulisse punctum nobis dicendi erunt. Nisi dissertatio hæc nostra ad finem vergeret, quæ diximus, uno atque altero illustraremus exemplo. Dicam paucis aliquid de Psalmo XCVI. Ansa componendi hunc Psalmum *Davidi* fuit nata a reducta arca, e terra Philistæorum,

liſtæorum, quando illa in tentorio quodam a Rege fuit poſita, uti conſtat ex 1 Chron. XVI. Hicce caſus graviſſimus neceſſario, ſecundum literam iſtius Pſalmi, explicandus erit: tum porro explorandum, quid ſenſus typicus nos erudiat, et quomodo pleniſſimum ejus implementum ſub Oeconomia nova, quærendum eſſe ſtatuat.

§. 21.

Quæ licet urgeamus, tamen a nemine dici volumus nos *Coccejanorum partes* ſequi; deteſtamur nomina hominum, ſed ſequimur ipſum Doctorem, et Ductorem Spiritum Sanctum, qui nobis iſta ſubminiſtravit argumenta, quæ clariſſime arguunt de Chriſto, Ejusque Regno prophetaſſe, & ceciniſſe *Davidem*: noſtram vere dolemus inſcitiam, ut qui minima tantum novimus momenta: aſt qui interim plura noſcendi ſummo tangimur deſiderio, ut πολυποίκιλος Dei ſapientia clariore luce conſpiciatur, ad Dei T. O. M. & ſumme ſapientis gloriam: anhelamus ex eo fonte iſta tempora, quibus *lumen Lunæ erit ut Lux Solis, & Lux Solis erit ſeptuplex, ſicuti lux ſeptem dierum!*

TANTUM.

IV.

DAVIDIS MEIER,

V. D. M.

IN HAM RT FRANZVM GRONINGANORVM.

OBSERVATIO

AD EPHES. VI, 10 seqq.

QVA PROBATVR,

PAVLVM IN HOC EPILOGO NON VNIVERSVM COETVM EPHESINVM,

SED

MINISTROS ET ANTISTITES EJVSDEM COETVS EPHESINI ALLOQVI.

§. 1.

Epilogus Epistolæ Pauli ad *Ephesios a v. 10. Cap. 6* ad finem, ab omnibus, quotquot mihi licuit adire, Interpretibus, ut seria allocutio ad totum coetum Ephesinum explicatur, in quo eosdem, quos in proxime antecedentibus seorsim compellaverat, ab hoc *v.* 10. ad finem cap. 6. ad officia debita generali quadam paræneſi instigare incipiat.

Verum

Verum attenta mente hanc pericopam inſpicienti patebit, perſonas alias a prioribus diverſas, objecta eſſe ſermonis Paulini, & illa officia quæ his inculcantur, ab antecedentibus toto cælo differre non ſolum, ſed ea quoque officia iſtius eſſe indolis, ut ad omnia ſine diſcrimine membra coetus non queant referri. Phraſium & vocum ſenſus emphaticus hac explicatione etiam non exhauritur. Spiritualem pugnam a confeſſoribus Epheſinis exercendam Interpretes heic inveniunt, cum nullibi fere in ſacris ad ſtabiliendam hanc ſententiam phraſes ejusdem indolis occurrant. Nimis longe petitæ hinc mihi viſæ ſunt hæ interpretationes, & quidem ex eo errore, quod ad orationis Paulinæ objecta non attenderint Interpretes. In confeſſo autem eſt apud omnes, ab accurata objectorum determinatione pendere ſenſum verborum a ſcriptore intentum, multasque S. S. partes, majori gaviſuras luce, ſi ſemper conſtaret, quinam ſint, ad quos ſermo dirigitur.

§. 2.

Hærens dubius ad explicationem Interpretum huic loco lucem affundere ſtudentium, animadvertebam, Paulum in proxime antecedentibus ſtylo ſimplici, plano, verbis propriis, varias confeſſorum claſſes

ad officia excitantem, ſubito ſermonem mutare, ac zelo quaſi percitum, ſtylo graviore, ſublimi, verbis ac phraſibus impropriis, novum quaſi Orationis genus inchoare, quibus res altioris indaginis & majoris momenti ab Apoſtolo intendi nullus poteram dubitare. Accedebat, quod non ſolum alias res Apoſtolus videretur tractare, ſed etiam ad alias perſonas verba dirigere. In anteced. enim diverſos pro diverſa conditione ætatis aut officii erat allocutus, ſubito orationem mutans alloquitur *Fratres* ſuos, modo tam gravi, ut pateat, ſe, priusquam Epiſtolæ finem imponat, ſeria adhortatione pro temporum circumſtantiis, hos, quos Fratres appellat, excitaturum ad officia illis incumbentia. Hæc & multa alia, in ſequentibus enarranda, in eam me traxerunt ſententiam, Pauli verba in hoc loco ſolum eſſe directa ad *Miniſtros* & *Antiſtites* Eccleſiæ Eſeſinæ, quos ultimo loco ad conſtantiam, vigilantiam & certamen heroicum in Miniſterio permovere ſtudet, ad averruncanda pericula graviſſima, Eccleſiæ Epheſinæ ejusque membris a falſis doctoribus, veritatisque hoſtibus infenſiſſimis imminentia. Huic hypotheſi applicans phraſes nervoſas, tum demum mentem Apoſtoli exhaurire mihi videbantur. Quam hypotheſin placido aliorum examini ſubjicio, ſi fortean

fortean aſſenſum quorundam queam impetrare.

§. 3.

Animus non eſt totam hanc pericopam perpetuo commentario illuſtrare, ſed ea tantummodo in medium proferre, ex quibus ſolidiora argumenta peti poſſe judico, ad aſſerendam meam hypotheſin. Fata ejus cœtus, in iſto temporis articulo, quemadmodum in ſequentibus patebit ulterius, talem paræneſin ad Antiſtites ejus cœtus efflagitabant; graviſſima enim pericula a falſis doctoribus illi imminebant, æque ac ab aliis infenſiſſimis Chriſti & confeſſorum hoſtibus. Illi veritates ad ſalutem ſcitu credituque neceſſarias explodere allaborabant; confeſſores in Apoſtaſiæ diſcrimen hac via ducebantur, dum fidem eorum, amorem & conſtantiam, hoſtes illi, Diaboli inſtrumenta, callidiſſime exſtinguere ſtudebant. His adverſariis graviſſimis ut Antiſtites ſeſe pro virili opponerent, veritatem ſartam tectam tuerentur, confeſſores corroborarent, machinationes Diaboli & inſtrumentorum ejus intrepide amolirentur, ut Heroes induti potentia ex alto, nihil intentatum relinquentes, nullis minis aut periculis deterriti his phraſibus ſignificantiſſimis, Apoſtolus vult monere, atque ad zelum pro cauſa glo-

rioſi capitis Eccleſiæ excitare ſtudet. Hunc finem & ſcopum hujus pericopæ aſſerturus, rogo, ut Lector argumenta non ſeorſim, ſed in complexu velit ponderare.

§. 4.

Primam occaſionem huic hypotheſi dedit methodus Apoſtoli in ultimis hujus Epiſtolæ, diverſos, diverſa ratione monentis, ut fructus fide dignos ferrent, id quod jam incipit a *v.* 22. cap. 5. αι γυναικες. *v.* 25. οι ανδρες. cap. 6, 1. Τα τεκνα. *v.* 4. Οι πατερες. *v.* 5. Οι δουλοι. *v.* 9. Οι κυριοι. His monitis pergit. Το λοιπον αδελφοι μου. Omnia ſuadent, Paulum his verbis perſonas compellare ab antecedentibus diverſas, illosque velle adhortari ad alia officia ac in proxime antecedentibus injunxerat. In neminem autem allocutionem hanc quadrare, quam in *Preshyteros* hujus coetus, tota orationis indoles ſuadet. Inficiari nolo per τους Αδελφους ſæpius intelligi confeſſores ſine diſcrimine, nihilo ſecius tamen per τους αδελφους *miniſtros* Eccleſiæ ſæpius intelligi extra omnem dubitationem collocatum videtur: Multa etiam N. T. loca in clariori luce verſarentur, ſi abſque hæſitatione aſſerere liceret, quibus in locis, per τους αδελφους miniſtros intendi. Paulus Timotheum emphatice nuncupat αδελφον. Coloſ. I, 1. Ad Phi-

lippen-

lippenſes Epiſtola inſcripta eſt πασι τοις αγιοις εν Χριςω Ιησυ τοις ουσιν εν Φιλιπποις, συν τοις επισκοποις και διακονοις cap. I, 1. Quis poteſt dubitare, Paulum hos Epiſcopos & Diaconos intendere, quando cap. 3, 1 legimus ipſiſſimis verbis in noſtro loco obviis: Το λοιπον αδελφοι μου. Hos objecta orationis Paulinæ eſſe probare annisus eſt Cel. HEISEN *Programmatibus* Bremæ *editis*. Eadem ratione judico, Paulum heic των αδελφων κατ' εξοχην mentionem facere, utpote ſecum in eodem opere Domini conſtitutorum, quos idcirco ſingulari amore proſequens, exhortari allaborat, ut gloriam Domini, Redemtorum ſalutem, Evangelii propagationem & confirmationem, contra inſultus hoſtium pro virili defendere curam gerant ſtrenuam.

§. 5.

Primum argumentum ad tuendam hanc hypotheſin in phraſi maxime emphatica deprehendi ενδυναμουσθε εν κυριω. Eruditi interpretes Galli, BEAUSOBRE & L'ENFANT emphaſin inveniunt in voce Κυριω ad h. l. In hac enim & illa ad Coloſſenſes Epiſtola, inter quas magna intercedit affinitas, ſæpius mentio injicitur *Chriſti* ut *Capitis Eccleſiæ*, quam veritatem, ut fundamentalem Paulus repetitis vicibus inculcat. Vi hujus

veritatis primariæ Christus agnoscitur *Dominus* per passiones consummatus & in gloriam evectus, omnis salutis, omnium beneficiorum gratiæ & gloriæ autor, cui fides possit inniti, & idcirco dignus amore, obedientia, adoratione omnique cultu Divino. Hæc veritas impetebatur a falsis Doctoribus, qui cultum Angelorum invehere studentes gloriam Servatori soli debitam obfuscare tentabant ϗ κρατωντες την κεφαλην Coloss. 2, 19. In hoc ergo Domino, ecclesiæ Capite glorioso atque potentissimo, atque a veris Doctoribus pro tali agnito, serio adhortatur ενδυναμεσθαι. In quo verbo fortissimum pro mea sententia argumentum latere autumo. In toto N. T. hoc verbum nunquam occurrit nisi de primariis fidei Heroibus, & quidem præprimis quando sermo est de *Ministris* N. T. primi ævi, donis haud vulgaribus, pro ratione istorum temporum, exornatis. Adhibetur de ministris potentia Spiritus ornatis Act. 9, 22. Phip. 4. v. 13. in Epistolis ad Timotheum æpius 1. Tim. 1, 12. cap 3, v. 1. in epist. post. & cap. 4, 17. De Heroibus fidei primariis Rom. 4, 20. de Abrahamo & de aliis Hebr. 11, 34. pluribus in locis non inveni. Quibus omnibus locis rite pensitatis apparet, unicum generalem sensum huic verbo adhærere, ubivis applicandum, nempe:

pe: agi animo heroico ſub auſpicio Dei aut Capitis glorioſi, Eccleſiæ per gratiam Spiritus indulto, ad exantlanda omnia impedimenta & contemnenda graviſſima pericula. Ea quippe in annuntiatione Evangelii, in plantandis aut confirmandis cœtibus, aut in defendenda Veritate frequentia occurrebant.

§. 6.

Colligo hinc, Paulum miniſtris hujus cœtus calcar velle ſubdere, ut ſub auſpicio glorioſi Capitis, cui immori adhærebant, dona Spiritus ipſis eo tempore indulta impenderent, animo heroico ad amolienda hoſtium molimina, quibus Chriſti gloriam, confeſſorum in amore & fide conſtantiam, aut Evangelii veritatem & Divinitatem exagitare audebant. Hæc Fides heroica inter dona extraordinaria Apoſtolis conceſſa recenſetur 1 Cor. 12, 9. & licet ibi ſolum de miniſtris primariis mentio fiat, eadem tamen Fides heroica aliis Miniſtris cœtui cuidam adſtrictis denegari non poteſt, ob rationem iſtorum temporum imo nec membris aliis Eccleſiæ. Naturam hujus Fidei heroicæ inter dona Apoſtolis conceſſa pro more ſuo egregie delineavit Vir Pl. Rev. ac longe Celeb. N. NONNEN, ad cujus pedes olim ſediſſe inter feliciſſi-

liciſſima vitæ meæ fata reputo, in diſſert. ſecunda *de donis Spiritus S. extraordinariis, ſigillatim de Miniſtris N. T.* §. 3. Adjuncta in noſtro loco ſuadent, Paulum hanc virtutem heroicam intendere phraſi ενδυναμουσθε εν τω κρατει της δυναμεως αυτου. Verba quæ & inveniuntur cap. 1, 19. hujus Epiſt., ex quo loco conſtat, phraſin hanc depingere omnipotentem Dei Vim in operibus miraculoſis maximi momenti conſpicuam, v. c. in reſuſcitatione Servatoris ex mortuis, quæ potentia ibi audit το υπερβαλλον μεγεθος της δυναμεως *) Eandem potentiam Deus illu-

*) Locus ad Epheſ. I, 19 attentionem meretur, quia cauſæ meæ inſervit. Interpretes in illo inveniunt potentiam Dei, quæ in genere in converſione & fide redemtorum demonſtratur. Verum nexus alia ſuadet, *v.* 18 occurrit in allocutione vox υμας, *v.* 19 mutat orationem, ημας inquiens, quæ mutatio ſuſpicionem movet, Paulum aut loqui de aliis perſonis, ſe nempe et ſuis collegis, aut de longe alia re, in certis tantummodo confeſſoribus conſpicua. Si prius, Paulus declarat ſe precibus a Deo efflagitaſſe, ut Epheſii convincerentur de immenſa Dei potentia, operante in Miniſtris ejus ævi, intrepide perſeverantibus in officio inter tot pericula tremenda, & obſtacula, in quibus plus quam Victores deprehendebantur. Intererat enim confeſſorum, ut convicti eſſent, Apoſtolos eſſe Dei, Soſpitatoris exaltati

illuſtrabat in omnibus charismatibus eximiis, ſæpius & in miraculis dona illa comitantibus, ex quibus exſplendeſcebar το κρατος της ισχυος αυτυ, dum Miniſtri in iſto ævo intrepidi, nullisque impedimentis deterriti perſeverabant. Implementum promiſſionis Servatoris in cœlos adſcendentis conſpiciebatur, quod δυναμει εξ υψης erant induendi Luc. 24, 49. De felici ſucceſſu Evangelii eiſdem fere verbis loquitur Lucas Act. 19. 20. Hæc eſt illa υπερβολη δυναμεως, in qua Paulus cum collegis gloriabatur 2 Cor. 4, 7. Eo igitur tendit oratio Apoſtoli, ut miniſtri hujus cœtus curam gererent, ne Spiritus fortitudinis ſufflaminaretur, ſed potius excitaretur.

§. 7.

altati Legatos. virtutemque in illis conſpicuam & ſapientiam, eſſe effectus Dei, potentiſſimi Spiritus, cumque recenter converſi non legitime ob aciem adhuc obtuſam id comprehenderent, precibus id a Deo quæſiverat. Si poſterius, absque omni dubio aſſerere licet, Paulum loqui de Fide Heroica diebus in illis conceſſa & miniſtris & quibusdam confeſſoribus, prouti cuivis ejus menſuram impertiri Spiritui S. placuit. Eisdem phraſibus utitur Paulus ad hanc virtutem declarandam. Col. I. 11. 2, 12. Vide & Rom. 8, 35. ad fin.

§. 7.

Modo laudatus Vir Celeb. N. NONNEN, monet in diſſ. cit. verba ad heroicam illam virtutem excitantia a palæſtra eſſe petita, id quod hac phraſi confirmatur. Verba a Clariſſ. Viro adducta ſunt γρηγορειτε, ανδριζεσθε, κραταιουσθε ex 1 Cor. 16, 13. quibus adderem phraſin in loco noſtro obviam ενδυναμουσθε. Præprimis autem attentione dignum eſt, quod phraſes a palæſtra aut re militari petitæ nunquam frequentiores ſint in ſacris, ac quando ſermo eſt de Doctoribus & miniſtris Eccleſiæ, animo forti bella Jehovæ gerentibus; de aliis confeſſoribus gregariis ejusmodi phraſes haud occurrant. Qua obſervatione haud leve fulcrum ſententiæ noſtræ accreſcit, præſertim dum verba ſequentia Paulum nobis ſiſtunt, qui ad inſtar belli Ducis milites ad arma capeſſenda provocat, ad apprehendendam Πανοπλιαν. Hanc Πανοπλιαν, quantum ſcopo noſtro inſervit, poſtquam explicuero, hoſtesque contra quos arma capienda erant, indicavero, patebit, Paulum Miniſtros Eccleſiæ Eſeſinæ incitare ad virtutem illam heroicam. Acre & periculoſum certamen adeſſe, ad quod Fortitudo & Magnanimitas requirebatur, omnia ſuadent verba. Has phraſes dum Interpretes applicant ad inſidias, quas Diabolus animis piis

ſtruit,

ſtruit, mire ſe torquent, ut verbis talem ſenſum affricent, qui his notionibus reſpondeat. Animus mihi non eſt in refellendis aliorum explicationibus deſudare, ſed tantummodo meam corroborare, Lectori judicium relinquens, rem acu tetigerim nec ne.

§. 8.

Quid ſit Πανοπλια ab Interpretibus emendatum eſt, nempe *Armatura gravis, corpus univerſum tegens.* Talis armatura nullibi fere in ſacris confeſſoribus ſine diſcrimine applicatur, niſi excipias quod vox αγων & verbum αγωνιζειν adhibeatur, aut quod 1. Theſſ. 5, 8 mentio injiciatur *Thoracis amoris & fidei* atque *Galeæ*, in reliquis, quantum mihi conſtat, *tantum de Miniſtris* Evangelii uſurpatur. Audi Paulum ſermocinantem de ſe & ſuis collegis ejus ævi 2. Cor. 6, 7 *quod ſeſe omnibus probatos & acceptos ſiſtere ſtudeant* εν λογω αληθειας, εν δυναμει δια των οπλων της δικαιωσυνης, των δε δεξιων και αριστερων. Οπλα ſibi applicat & collegis, connexa cum λογω αληθειας και δυναμει Θεκ. Idem Paulus 2. Cor. 10, 3. 4 aſſerit de ſe & collegis ſuis. Τα γαρ οπλα της στρατειας ημων ου σαρκικα, αλλα δυνατα τω Θεω κ. τ. λ. Paulus Timotheo ſuo officium in memoriam revocans, inquit: Συ ουν κακοπαθησον ως καλος

κυλος

καλος στρατιωτης Ιησυ Χριστυ 2. Tim. 2, 3. ut & 1. ad Tim. 1, 18. monet στρατευειν την καλην στρατειαν. Paulus ipſe morti proximus, poſt tot exantlatos labores exclamat τον αγωνα τον καλον ηγωνισμαι 2. Tim. 4, 7. Jam periculum fac, B. L. num in univerſo N. T. tot exempla occurrant, in quibus phraſes a militia aut palæſtra deſumtæ ſine diſcrimine de omnibus confeſſoribus adhibeantur. Toties igitur cum ejusmodi phraſes de Apoſtolis & aliis Miniſtris extent, concludo hinc, etiam in noſtro loco *Miniſtros* eſſe objecta orationis Paulinæ, admonitionesque, ipſis, in noſtro loco phraſibus a re militari mutuatis, & quidem tam diffuſe ac nervoſe ac in ullo alio, injunctas eo fine adhiberi, ut pateat illam ſapientiam, fortitudinem, animumque impavidum, ad bella Jehovæ requiſita, demonſtranda eſſe a Viris, donis & charismatibus ad id exornatis in iſto ævo, in quo opera difficillima & pericula graviſſima erant ſuperanda, quod absque *Fide Heroica* fieri non poterat.

§. 9.

Hanc Πανοπλιαν propius contemplandi occaſio erit attendendo ad prælium, in quo ejus uſus requirebatur. *Dimicare* jubet contra μεθοδειας του διαβολου. L. BOS ad *hunc locum* animadvertit, nomen του διαβολου hic non

non ſolum occurrere ad denotandam *fraudulentiam* & *decipiendi libidinem* mali genii, ſed mentionem μεθοδειας fieri, ut fraudulentiæ notio in *emphaſi* urgeatur. Μεθοδειαι ſiquidem apud profanos, eodem *Viro Celeb.* notante, ſignificant *artes callidas*, quibus luctatores adverſarios circumveniebant, ſeu in palæſtra ſeu in bello. Artes Diaboli fallaces ſeu ejus ſtratagemata ergo hic in cenſum veniant; Errores ſcil., quos ſumma cum fraudulentia & aſtutia illis in diebus, in quibus Eccleſia Epheſina in prima verſabatur juventute, ſpargere ſtudebat, modo ad fallendum compoſito quam maxime. Diabolus ſibi ſemper ſimilis, dolo malo, quo uſus eſt in mundi principio, quoque utebatur in iſtis diebus, tentans per blandiloquentiam & verborum lenocinia animos ſimplicium fallere. Vid. 2. Cor. 11, 3. Rom. 16, 16. In Eccleſia Epheſina eandem inflectebat viam ſpargendo errores virulentiſſimos, mortiferos ictus confeſſoribus incautis inflicturus, præſertim ſi aſtutiam in his diſſeminandis attendas.

Hos errores per Μεθοδειας hic intelligit Apoſtolus, quos malus genius per inſtrumenta ſua ſtudebat in vulgus diſſeminare in hoc loco. Vox enim hæc in N. T. δις λεγομενη in noſtro loco & cap. 4, 14. huj. Ep. tantum occurrit, in quo ultimo loco Paulus

lus diſerte errorum mentionem facit, illos nuncupando μεθοδειαν της πλανης. Nexus loci docet, Paulum velle dicere: Inſtitutionem Miniſterii a glorioſo Eccleſiæ capite illum in finem quoque eſſe factam, ut erroribus obex poneretur. ινα μηκετι ωμεν νηπιοι κλυδωνιζομενοι και περιφερομενοι παντι ανεμω της διδασκαλιας εν τη κυβεια των ανθρωπων εν πανουργια προς την μεθοδειαν της πλανης. Hunc Miniſterii ſui finem, ut Miniſtri hujus coetus decenter intenderent, hortatur ſerio, ſcil, ut ſpreto omni timore, fraudulentiſſimi Spiritus errores maxime noxios exploderent. Orationis ergo hujus totius indoles digito quaſi monſtrat, ad quos ſermo dirigitur, cum non omnium ſit confeſſorum, errores virulentos tecte ſparſos cum aſtutia, detegere & refutare, ſed Miniſtrorum verbi.

§. 10.

Ut huic hypotheſi, ſermonem eſſe de erroribus, majorem fidem conciliem, liceat pauliſper excurrere & ex hiſtoria illius ævi, quantum pote oſtendere, periculoſa Eccleſiæ fata ob errores & ſtratagemata, quibus veterator confeſſores a Chriſto ſtudebat abalienare. Hunc in finem Lectori in memoriam revoco quæ leguntur Act. 20, 30. ubi Paulus e Macedonia Syriam petens, Melite Presbyteris Eccleſiæ Epheſinæ ad ſe accerſitis,

tis, curam, qua ipſe exagitabatur, exponit per Spiritum Propheticum prædicens: e medio ipſorum Miniſtrorum orituros Lupos, gregi haud parcituros, Viros λαλοντες διεσραμμενα. Quid autem callidius, quam errores diſſeminare per Viros ſeſe Chriſti miniſtros mentientes, quibus ſimplices ſine ulla doli ſuſpicione credebant. Tales ſeductores in hoc coetu revera extitiſſe ſecundum Pauli vaticinium, ex diſertis verbis ad Angelum Eccleſiæ Epheſinæ Apocal. II, 2. patet. Teſtimonium Petri, qui, ſcribens ad Eccleſias Aſiaticas, talium falſorum Doctorum mentionem injicit, hanc rem confirmat. Porro legimus exemplum μεθοδειας Diaboli Actor. 19, 13 ſeq., quod ſcil. Judæi circumforanei, ad decipiendos ſimplices, chariſmata Apoſtolorum imitari ſtuduerint. Multi eruditorum, qui in hiſtoria hujus Eccleſiæ deſudarunt, huc etiam referunt Impoſtorem Apollonium Thyaneum, artes ſuas Epheſi exercentem, miraculaque Apoſtolorum imitari ſtudentem, quo convictio de Divina Miniſtrorum legatione & argumenta pro gloria & potentia Θεανθρωπε exinde fluentia, debilitarentur. Cl. VAN TILL in *Introd. ad h. Epiſt.* τας μεθοδειας ad hanc hiſtoriam Apollonii Thyanæi refert, Paulumque eo reſpicere in Epiſt. 2 ad Tim. cap. 3. *v.* 8.,

ubi hunc Apollonium intendi docet, quando Paulus homines quosdam sui ævi confert cum præstigiatoribus Ægyptiacis, legationem Mosis Divinam per fraudulentam miraculorum imitationem obscurare annitentibus. Vid. etiam Cel. WITSIUS in *Meletem. Sect. VIII.* agens de iis, quæ a Paulo gesta sunt Epheſi. Denique ad illam μεθοδειαν πλανης in isto ævo merito referimus, quod homines ingenio pollentes, sed asseclæ principis tenebrarum, difficillimas & subtilissimas objectiones faciebant confessoribus simplicissimis. Hæc sunt tela illa ignita, de quibus in sequentibus mentionem facit. 1. Tim. 4, 1. in medium profert homines προσεχοντες πνευμασι πλανοις και διδασκαλιαις δαιμονιων. Timotheum autem antistitem hujus Ecclesiæ fuisse apud multos extra dubitationem collocatur, hinc Paulus Timotheum hortatur Efesi manere, ut obicem poneret divulgationi errorum, et prohiberet ετεροδιδασκαλειν 1 Tim. 1, 3.

§. III.

Cum modo dictis si comparamus indolem adhortationis sequentis, patebit, non ad omnia membra cœtus, sed solummodo ad Ministros eam dirigi. Ad instar belli ducis ad fortitudinem adhortatur Paulus ob certamen grave hostesque tremendos, cujus

jus certaminis indoles, ut ſequentia docebunt, hypotheſi meæ favorem conciliabit. οὐκ ἐστιν ἡμιν πάλη κ. τ. λ. *v.* 12. Otia nobis fecerunt interpretes, qui per αἷμα καὶ σαρξ homines in genere intelligunt, quatenus ſcil. debiles ſunt, haud comparandi cum hoſtibus quibuscum hic erat pugnandum, ſic ut Apoſtolus Principatus & Poteſtates carni & ſanguini non opponat, ſed evehat ut multo majori vi pollentes. Verba FLACII ab HANNEKENIO in *explicat. huj. Ep.* ad hunc loc. adducta ſenſum egregie explicant: Sermo talis eſt, ac ſi dux quispiam, excitans ſuos ad fortiſſimam pugnam diceret: Certamen illis fore, non cum calonibus & lixis, non etiam cum tyronibus, ſed cum fortiſſimis Veteranis cum præſtantiſſimis Ducibus & Gigantibus, hactenus *Flacius.* Mearum partium non eſſe judico, prolixe enodare & demonſtrare, quod per omnes illas phraſes Diabolus ejusque inſtrumenta intelligantur, aut rationes afferre, ob quas his inſigniantur nominibus. Sufficit hic acquieſcere in ſententia multorum Interpretum, quos adeat, cui lubet. Id tandem moneo omnia eo tendere, ut his phraſibus poteſtas Tyrannica depingatur, quam Diabolus in orbis incolas etiam poſt detritas per victorem vires exercere conatur, quam poteſtatem brevibus depingit per ἐξουσιαν τε

σκοτος Col. 1, 13. Fortitudine ergo & potentia ex alto opus erat ad certamen illud arduum, non cum carne & sanguine, sed cum hoste longe potentiori ineundum, qui omnem vim in mundo exercebat per tenebras hujus seculi. In hocce tmemate ergo duo nobis consideranda veniunt, hypothesi nostræ inservientia. Prius est, quod hostes heic occurrant ut *insignes* principatus, potestates & Dominatores τε σκοτος τε αιωνος τετε. Alterum, quod hostilia ejus molimina contra regnum Christi inter Ephesios audiant τα πνευματικα της πονηριας εν τοις επουρανιοις.

§. 12.

Depingitur Diabolus cum instrumentis ut late dominans in orbe per tenebras. Tristissimam mundi imaginem inter gentes per tenebras intelligi in confesso est. Quanta autoritate, potentia & tyrannide in tuendis his cimmeriis tenebris utebatur, neminem istorum temporum gnarum fugere potest. Foediſſima Idololatria, ignorantia summa in rebus Divinis & salutaribus, ut & omnium turpissimorum scelerum late dominans agmen, fuere tenebræ illius ævi, quibus Tyrannidem exercebat Veterator longe lateque. Ephesios in his omnibus versatos appellat idcirco Apostolus *Tenebras* cap. V, 8.

V, 8. ob illam autoritatem & potentiam, qua miſeros ejus ævi premebat, audit ὁ Θεὸς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ, ὁ ἐτυφλωσεν τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων 2 Cor. 4, 4. Epheſiorum ante converſionem ad Chriſtum ſtatum graphice depingit Epheſ. 2, 2. ſub dominatione principis tenebrarum. Graviter regnum tenebrarum erat concuſſum per victoriam a Θεανθρώπῳ recenter reportatam. Victoria iſta per varios caſus & varia rerum diſcrimina ad ſummum erat perducenda faſtigium, cujus finis erit in conſummatione ſeculorum 1 Cor. 15. In iſto intervallo tenebrarum princeps omnem movebat lapidem, eo præprimis in ævo, ut autoritatem vacillantem confirmaret, cum per ſplendidiſſimum Evangelii jubar tenebræ diſpellerentur, & ſi pote, glorioſi Θεανθρώπȣ molimina in fundando Lucis regno eluderentur. His moliminibus obex erat ponendus, id quod per Miniſtros, milites ſub duce Chriſto regnum ejus tuentes, erat perficiendum, vigilando, pugnando & reprimendo omnes veteratoris artes.

§. 13.

Pauca hæc de hoſte hoc potente monenda duxi, ut pateret clarius veritas hypotheſeos, atque ejus molimina eo facilius contemplationi ſubjecta hypotheſin in clariori

riori luce collocarent. Molimina audiunt Πνευματικα της πονηριας εν τοις επουρανιοις. Interpretum cogitata videri possunt apud WOLFIUM in *Curis ad h. locum*. Per illas *malitias spirituales*, indolem insidiarum seu artium & fraudum, quibus veterator incrementa regni Lucis impedire allaborabat, indigitari existimo. Has appellaverat in anteced. Μεθοδειας, in sequentibus audiunt βελη πεπυρωμενα, heic audiunt malitiæ spirituales. Illæ malitiæ exercentur εν τοις επουρανιοις, cujus vocis verus sensus omnia illustrat. LUTHERUS interpretatus est per Lufft, BELGÆ per *Lugt*, JUNIUS & TREMELLUS per *spirituales improbitates*, *quæ in sublimi*, GALLI, *dans les lieux celestes*. Quod ad priores, perspicere nequeo, quæ notio toti orationis nexui conveniens inde queat emergere. Quænam sunt illæ malitiæ spirituales in aëre, quodnam periculum inde metuendum? Imo quocunque demum sensu ab interpretibus recensitis capiatur, quomodo πανοπλια contra illas malitias capienda, aut quomodo hæc omnia ad internas Diaboli tentationes referantur ego non capio. WOLFIUS ad h. l. vocem esse ellipticam recte asserit, etiam a *Lutherò* ut elliptica capitur cap. 1, 3. cap. 2, 6. uti idem *Wolfius* ad *h. l.* monet, subintelligendum esse τοποις vel χωμασι, posterius

Wolfio

Wolfio placet, non renuo, τα επουρανια autem, uti ille, vel per *bona coeleſtia* verterem, vel per *res ad Regnum coelorum ſpectantes*. L. BOS in *Ellipſibus Græcis p. m.* 137 animadvertit τα επουρανια ſæpius ſignificare *bona N. T.* ſeu regni coelorum, quæcunque demum illa ſint. Ad illa bona regni coelorum referendæ ſunt illæ benedictiones, quarum mentio injicitur cap. 1, 3. Mens Pauli per πνευματικα της πονηριας εν τοις επουρανιοις eſt ut exprimat: Malitiam ſpiritualem contra regnum coelorum, ſeu contra bona aut res N. T. Præpoſitio εν cum ablativo ſæpius adhibetur ad exprimendum affectum erga objectum, ſic 1 Joh. 4, 11 εφανερωθη η αγαπη θεϱ εν ημιν. Vide 2 Cor 7, 8 Regnum coelorum & quicquid ad illud regnum ſpectat, eſt objectum, contra quod malitia ſpiritualis exercetur.

§. 14.

Ut autem mentem clarius explicem, & verba hypotheſi favere oſtendam, per illas res ad regnum coelorum ſpectantes intelligo *veritates* illas *fundamentales*, quibus ſtantibus cadentibusve, ſtat caditque regnum coelorum in hac terra, etiam omnia *opera Divina*, quibus regnum coelorum aut confirmatur aut illuſtratur, v. gr. Doctrinam de Chriſto capite glorioſo, exaltato poſt

consummationem operis salutis, de veritate & Divinitate Evangelii, de charismatibus Spiritus, ministros Christi ævo exornantibus, ad probandam Divinam legationem: de bonis gratiæ & gloriæ, eorum dignitate & ad salutem necessitate. Has veritates coelestes obscurare, evertere, fidem & amorem erga illas extinguere, sicque cursum Evangelii sufflaminare studebat vererator; eximia sane malitia spiritualis contra regnum coelorum. Quænam enim est ratio, ob quam Paulus confestim monelam adjicit: ut fortes in Domino, cingulum veritatis sibi applicent, ut Thoracem justitiæ, ut galeam spei induant, ut prompti paratique sint ad prædicationem Evangelii, ut apprehendant clypeum fidei & gladium spiritus, quam ut ipsi illi ministri immoti perseverantes in fide harum veritatum regni coelorum, illas tuendo, stabiliendo, contra hostium insultus defendendo, confessores confirmarent: ut sua charismata non negligerent, & pugnarent ut Heroes fidei decet, ut hoc pacto omnia prava Diaboli molimina contra regnum coelorum nullum crearent detrimentum Ecclesiæ Ephesinæ. Ex eo itaque patet Pauli exhortationem eo tendere, ut veritates, quibus regnum coelorum innititur, sartæ rectæ conservarentur, ut refellerentur errores pestilentissimi, mendacia & malitiæ

litiæ Diaboli detegerentur, ſicque confeſſores corroborarentur. Hoc autem opus eſt miniſtrorum Eccleſiæ, quos tali modo ad certamen exhortando, armis inſtruere vult, quibus dextra lævaque muniti miniſtri ſeſe acceptos reddunt, ut Paulus loquitur, 2 Cor. 10, 4. 5. Hæc ſunt illa arma per Dei potentiam efficacia ad deſtruendam omnem cogitationem, inſurgentem contra doctrinam de Chriſto 2 Cor. 10, 4. 5. Hoc opus, hic labor erat miniſtrorum in illo cœtu, cui ſi pro virili non invigilarent, conclamatum erat de felici ſtatu Eccleſiæ Epheſinæ. Illa autem molimina Diaboli contra regnum Lucis ſub N. T. veniunt ſub notione malitiæ *ſpiritualis*, ut diſtinguantur a corporalibus, ſeu perſecutionibus, quæ contra Chriſti confeſſores ad vaſtandum ſi pote regnum coelorum excitabantur.

§. 15.

Argumentum hujus Epiſtolæ non obſcure eo tendit, ut has veritates regni coelorum tali modo explicet, ac ſi contra adverſarios ipſi pugnandum erat. Vidimus ex cap. 1, 19, quod Paulus precibus a Deo efflagitaverat pro Epheſiis eam illuminationem mentis, ut fidem heroicam per Dei potentiam in ipſis operantem Apoſtolis crederent, ſicque de illorum Divina miſſione

convicti, immoti in veritatis fide perfeverarent. Veritates regni coelorum ad oeconomiam N. T. ſpectantes, in antecedentibus memoratas paſſim ita tangit, ac ſi illas contra hoſtes defendat, ne Epheſii hominibus perverſa loquentibus patulas præberent aures. Multus eſt Apoſtolus in doctrina de Chriſto conſummato, Eccleſiæ capite, autore omnium benedictionum, argumento totius Evangelii. Ακρογωνιαιον illum appellat, cui doctrina Prophetarum & Apoſtolorum innititur cap. 2, 20. Doctrinam de reconciliatione, & emendatione ſoli Chriſto acceptam referendam in hoc ipſo capite fuſe docet. Inſtitutionem Miniſterii & Miniſtrorum ut & conceſſionem Chariſmatum exaltato Soſpitatori adjudicat. cap. 4. De ſpe gloriæ ab hoc exaltato capite expectanda cap. 4, 5. invenies. Quænam autem eſt ratio, ob quam Paulus ſerio hortatur ad unanimitatem in uno ſpiritu, ad concordiam in unitate fidei ſub uno Domino, ſi veritates in h. Ep. occurrentes non verſarentur in periculo? Has veritates per totam Epiſtolam in uſum totius coetus enodatas & confirmatas, ſerio defendendas commendat in Epilogo hujus coetus miniſtris.

§. 15.

Cauſæ meæ non minus inſervit, quod in

in epiſtolis Pauli ad Timotheum, Eccleſiæ Epheſinæ antiſtitem, mentio fiat ſeductorum, has præprimis veritates infringere ſtudentium. Monelam Pauli ut Timotheus Epheſi maneret ad prohibendum το ετερο-διδασκαλειν cap. 1, 3. ſupra jam tetigimus. cap. 3. 16, 17. veritates fundamentales enumerans, Chriſti capitis exinaniti & exaltati meminit, eamque veritatem, eo tempore a ſeductoribus in periculum eſſe deductam, verba ſtatim ſequentia cap. 4, 1. docent. Quando mentionem facit *Alexandri* & *Hymenæi* blasphemias evomentium, colligimus merito, hos doctrinæ Chriſti jubar extinguere vel obnubilare ſtuduiſſe cap. 1, 20. Teſtimonia ex 2da Ep. petita tanto magis attentionem merentur, quia Cl. GUDIUS in libro *de ſtatu Eccleſiæ tempore Apoſtolorum Sect. II. cap. 6. §. 3* afferit, quod LIGTFOTUS ad annum Chriſti LIX probet: Timotheum Epheſi vixiſſe, cum hæc ultima ad ipſum data eſt. In hac tangit Apoſtolus Hæreticos, reſurrectionem inficiantibus, qua veritate ſubruta cadit ſpes gloriæ æternæ 2 Tim. 2, 18. Producit homines obloquentes viris, Spiritus donis exornatis, qua impudentia tota ſalutis doctrina in periculum deducebatur; hos vocat πλανωντες και πλανωμενους. Dum tali ratione Epiſcopo cura coetus commendatur, manifeſtum eſt ſum-

ſummam miniſtrorum vigilantiam requiri, quam Paulus ex noſtra mente in fine hujus epiſtolæ excitare ſtudet.

§. 16.

Nauſeam crearem Lectori, ſi per ſingulos irem articulos ab Apoſtolo recenſitos in hoc epilogo, oſtendendo malitiam ſpiritualem erga quemvis horum articulorum, ut exinde evincerem, arma a Paulo commendata cuivis coetus membro ſine diſcrimine æque minus applicari poſſe, quam gravis armatura Davidi cum Goliatho in arenam deſcenſuro.

Bina tantum ſeligam, quæ hypotheſi & robur & lucem concilient. Primum eſt ex v. 15. καὶ ὑποδησάμενοι τὰς ποδὰς ἐν ἑτοιμασίᾳ τὸ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. Nonne illæ phraſes inculcant promtitudinem & alacritatem in annuntiatione Evangelii pacis ut & defenſione contra hoſtium inſultus? Nonne continent adhortationem, ut ſpretis omnibus obſtaculis, fortes in Domino ſe demonſtrarent, curſumque Evangelii magnanimiter promovere ſtuderent? Non quadrant ejusmodi admonitiones in univerſum coetum. Omnes ſine diſcrimine confeſſores nec facultate, nec poteſtate pollebant Evangelium annuntiandi aut defendendi. Phraſis miniſtris eſt propria. Horum pedes amoeni dicun-

dicuntur, qui Evangelium pacis annunciant. A Servatore diſcipulos inſtituente phraſes ſimiles adhibentur Matth. 10, 10 & Marc. 6, 9. quod an unquam de confeſſoribus ſine diſcrimine occurrat, mihi non conſtat. Cel. WOLFIUS *in curis ad h. l.* utitur verbis, quæ ſatis clare manifeſtant quam difficultatem hæ phraſes ipſi creaverint, dum illas de omnibus coetus membris capit: Apoſtolus, *inquit*, h. l. arma ſpiritualia enumerat, quæ omnibus & ſingulis credentibus ſunt neceſſaria, non tam ad aliorum quam propria commoda provehenda. Jam vero non ſingulorum erat nec eſſe poterat prædicatio Evangelii proprie ſic dicta. Hactenus *Wolfius*, ex cujus verbis liquet, quomodo phraſes trahantur in ſenſum nexui haud reſpondentem, quod cel. Vir ſenſum ſibi obluctantem evitare ſtudeat; Omnia autem in vado ſunt, ſi ſtatuatur Pauli orationem ad miniſtros eſſe directam. Ejusdem indolis eſt explicatio FLACII in *clave S. S. ad h. l. p. m.* 963 qui poſtquam monuiſſet, has phraſes ab his referri ad prædicationem, ab aliis ad confeſſionem Evangelii, nodum hunc ita ſecat: *Uterque ſenſus eſt pius ac fidei analogus. Ad quod & illud adjici poteſt, quod tunc ob paucitatem miniſtrorum & multitudinem meſſis, ut Chriſtus loquitur Matth.* 9, 37 *ſeu numeroſitatem*

conver-

convertendorum, ferme omnes pii per occasionem docebant & Evangelium pacis propagabant. Notantur alioqui Evangelistæ per pedes Rom. 10, 15, *quam pulchri sunt pedes Evangelizantium pacem, & ob discursionem per orbem terrarum, quæ propagandæ veritatis causa fiebat, oportebat eos habere pedes valentes & probe munitos.*

Verum quod omnes pii per occasionem docebant, seriæ admonitioni Pauli ad Timotheum, neminem nisi prius tentatum ad Ministerium admittere, repugnat, & monela Jacobi cap. 3, 1 cum sententia *Flacii* minime consentit. Cessant omnia dubia ex hypothesi, quam defendere annitor: habeo pollicem prementem in hac causa GLASSIUM in *phil. S. ad h. l. pag. m.* 1802. *Pedes*, inquit, *significant ministerium Evangelii, quos calceari oportet, hoc est, muniri ocreis, ut per spinas, sentes & tribulos, hoc est, omnia pericula transire possint, docendo & confitendo Evangelium.*

§. 17.

Aliud argumentum adhuc in armis, quæ Paulus monet ut induant, pro mea hypothesi invenio scil. *v.* 16. επι πασιν αναλαβοντες τον θυρεον της πιστεως &c. Fides justificans locum hic non habet; commendaverat illam, suadendo ut induerent thoracem Justi-

Juſtitiæ. Eandem ſupra laudatam fidem heroicam Apoſtolus intendit, & in qua occaſione illa erat exercenda. Fides hæc erat demonſtranda in defenſione & prædicatione veritatis Evangelicæ abſque ullo timore & formidine. Ignea enim tela Satanæ ſunt virulentiſſimæ objectiones contra regni cœlorum fulcra motæ, quæ ignis ad inſtar velociſſimi animos feriebant & pungebant confeſſorum ſimplicium, qui in fluctuationem conjecti, abnegationis periculo exponebantur, dum objectiones inimicorum Chriſti & Eccleſiæ ingenio abutentium refellere non poterant. Hæc tela ignea repellere animo forti, nixi bona cauſa, freti auxilio Soſpitatoris, nullo palleſcentes periculo, nullum hoſtem aut hoſtium minas verentes, ſed conſtantes in defenſione & propagatione doctrinæ coeleſtis has malitias retundere tentarent, parati omnia experiri Evangelii cauſa, intuendo mercedem promiſſam. Hinc confeſtim additur admonitio ad aſſumendam galeam, ad tegendum caput, ſpem ſcil. ſalutis æternæ. Hæc eſt illa fides, quæ eſt ὑποστασις ἐλπιζομένων, quam Paulus laudat in fidei heroibus Hebr. XI. Hæc eſt fides illa heroica, quæ tam in Apoſtolis quam aliis miniſtris ejus ævi conſpiciebatur, nullum aliud emolumentum inter hæc graviſſima pericula intuentes, quam gloriam cœleſtem

leſtem; ſic audimus Paulum loquentem Rom. 8, 35 ſeq.

§. 18.

Verba ſequentia vim hujus argumenti elucidant: & capientes την μαχαιραν τυ πνευματος. Dei verbum emphatice audit *gladius Spiritus*, quia verbo Spiritus utitur in efficaciſſima cordium compunctione & hoſtium proſtratione. Verba Pauli Ebr. 4, 12 ſunt emphatica, in manu Soſpitatoris hinc gladius anceps. Perſonæ, quibus Spiritus ut inſtrumentis utebatur, erant miniſtri & Apoſtoli, non omnes ſine diſcrimine confeſſores. Exempla habemus in Apoſtolis die Pentecoſtis; homines pavidi illiterati, poſt dona Spiritus illis conceſſa, magnalia Dei eloquuntur, tantaque parrheſia hoſtes incuſant & convincunt ore graviſſimo, ut compungebantur corde Act 2. Idem invenimus in Stephano, cujus verba gladii ad inſtar ancipitis hoſtes diſſecabant, ita ut fremebant ob convictionem, qua Stephanus πληρης πιςεως και πνευματος illos perſtringebat.

Poſſet mihi quidem objici, magnum diſcrimen intercedere inter miniſtros coetui cuidam adſtrictos & inter Apoſtolos mundum paragrantes; interim temporum circumſtantiæ flagitabant, ut & hic chariſmatibus ad fidem heroicam requiſitis, ut & ad demon-

demonſtrationem ſpiritus in ipſis operantis gauderent. Omnes ergo phraſes clamant, miniſtros hujus coetus eſſe objecta orationis Paulinæ.

§. 18.

Quæ reſtant in hoc epilogo tam luculenta teſtimonia pro hac hypotheſi non largiuntur, interim ſequentia non pugnant, ſed facile cum illis conciliantur. Luſtratis armis miniſtrorum adjungere jubet Apoſtolus *preces & ſupplicationes cum omni vigilantia*, εν πασῃ προσκαρτερησει και δεησει. Officia his verbis injuncta cuivis membrorum ſine diſcrimine imponi poſſe confiteor, ſimul tamen negari nequit, preces & ſupplicationes poſſe accipi de publico miniſterio, in quo precibus præibant miniſtri: phraſin αγρυπνειν εν προσκαρτερησει invenimus adhibitam de Apoſtolis indefeſſis in ſacro miniſterio. Act. 1, 14. cap. 2, 46. Nexui enim convenienter Paulus per hæc verba miniſtros excitatos ad defendendum regnum coelorum magnanimiter & heroice ſimul inſtigat, ut ardentibus etiam votis ad Deum accederent, ſupplicesque efflagitarent a Deo omnia auxilia, requiſita ad ſtabiliendum & dilarandum coelorum regnum, ut & ad confortandos Legatos Domini in opere graviſſimo.

His omnibus ut finem imponam, quasi per saltum tandem in ultimis hujus Epilogi verbis pedem figo, in quibus aliquid pro nostra sententia deprehendere autumo, scil. v. 23 & 24. Paulus fratres, quos modo allocutus erat a reliquis coetus membris distinguere videtur. Apprecatur Paulus ειρηνην τοις αδελφοις v. 23 & 24. inquit: χαρις μετα παντων, idque cuivis pro suo statu istis in diebus apprime convenire videtur. Ministris, quibus inter multa pericula Heroum ad instar pro incolumitate coetus erat vigilandum, unanimitatem, amorem & fidem apprecatur. Χαριν autem apprecatur omnibus illis confessoribus, ut inter omnes malitias, seductiones & blasphemias in Christum & Ecclesiam eructatas instar marpesiæ cautis per Dei gratiam immoti perseverarent, Christumque amarent εν αφθαρσια.

§. 19.

Discedere ab hac materia nequeo, quin adjiciam meditationes, in quas incidi inter hosce labores, pervolvens animo fata regni coelorum in hac terra. Princeps tenebrarum, θεανθρωπος & Redemtorum inimicus, non semel mihi visus est eodem modo tentasse, ut Ecclesiam Christi vastaret, ac Ephesi, tempore, quo Paulus has exarabat litteras: imo absque

absque errore poſſe profiteri autumo, Diabolum voti ſui apud quosdam compotem eſſe factum, apud illos nempe, qui gloriam θεα:θρωπε contumaciter negant, honorem redemtionis ipſi competentem enervant, doctrinam de juſtificatione eludunt, imo veritatem coeleſtem omni vera conſolatione exuunt. Nonne in eodem luto hærere judicandi ſunt, qui caput viſibile Chriſto adjungunt, cingulum veritatis confeſſoribus eripiunt, thoracem juſtitiæ infringunt, & ſpem gloriæ, ſi non negant, ſaltem obfuſcant. Ea quoque vivimus tempora, in quibus Satanas non quieſcit, eisdem armis ac olim Chriſti regnum impetere. Quid moliuntur Deiſtæ, Naturaliſtæ ejusque furfuris homines? quam Chriſtum, ſi pote, coelo ejicere, gloriaque, qua gaudet, exuere, doctrinam de gratia, de redemtione, juſtificatione & ſpe gloriæ explodere, idque multis verborum lenociniis, veritatis ſpeciem mentientibus, quibus homines hujus ævi aures facillime præbent patulas, quo, absque conſcientiæ reprehenſione aut caſtigatione, cupiditatibus hujus mundi eo liberius ſe queant ingurgitare. Talia fata præluſit Petrus 2 Ep. 2, 1. 2. & Paulus 2 Tim. 4, 3. Fata hæc Chriſti Eccleſiam noſtri ævi non leviter exagitant, nunquam tamen hi malitiarum patroni lucem in tenebras

transformabunt. Chriſtus exaltatus adhuc dominatur in medio hoſtium, Zelus miniſtrorum adhuc viget. Utinam omnes totam armaturam induerent, in Domino confidentes, quo malus ille genius experiretur caput ſibi detritum, ſuaque molimina, quibus bona coeleſtia contemtui ſtudet exponere, diſſipari & retundi per vigilantiam & magnanimitatem Antiſtitum Eccleſiæ glorioſi Soſpitatoris. *)

*) Aſſenſum meum facile impetravit pl. Rev. & Doct. Diſſertationis hujus Auctor, nec ullus dubito, quin plerique Eruditorum, qui in Exegeſi ſacra principia ſaniora ſequuntur, calculum ſuum daturi ſint. Gratulor Ipſi de hoc ſpecimine ex animo, quo oſtendit ſe non eſſe levis armaturæ in militia Spirituali Ducem. Faxit Deus, ut porro veram verbi Divini ſapientiam detegere, ejusque honorem contra obtrectatores & fanaticos tueri pergat. N. B.

V.

V.

L. KULENKAMP,

PHIL. PROF. PUBL. ORDIN. ET COETUS REFORM. GOTTING. V. D. M.

SPECIMEN EMENDATIONUM ET OBSERVATIONUM IN ETYMOLOGICUM MAGNUM,

MAXIMAM PARTDM PETITARUM EX

CODICE GUDIANO,

QUI GUELPHERBYTI IN *SERENISSIMORUM DUCUM BRUNSUICO-LUNEBURGENSIUM BIBLIOTHECA* ADSERVATUR.

Etymologicum, quod vocant, *magnum*, maxime semper, neque immerito, feciſſe, viros in republica literaria principes, eorum ullum, qui primoribus ſaltem labris, græcarum literarum attigerunt delicias, latere nequit. Licet enim, quod ne-

gari minime poteſt, a vero ſæpiuscule aberraverit operis hujus auctor, quin & ineptiores, quam fas eſt, ſæpe dederit vocum origines, ſua tamen laude haudquaquam privandus erit; neque omnis errorum culpa in ipſum ſolum derivanda, verum in eos potiſſimum, quorum obſervationes exſcribebat tantum, ſtudioque, quod ineptiis frangi non poterat, in opus ſuum transferebat. Quos interim vel ipſe commiſit, vel ex aliis hauſit errores etymologicos, a quibus ne præſtantiſſimi quidem Græcorum, *Socrates* v. c. & *Plato*, in indagandis vernaculæ originibus, fuerunt liberi 1), abunde compenſare videtur auctor, eruditione utique haut vulgari, quam ubivis oſtendit: doctis præterea plurimarum vocum, exemplis veterum munitis, illuſtrationibus: præceptis denique grammaticis, interiorem linguæ faciem demonſtrantibus, ſuaviſſimaque hinc inde antiquitatum, & rerum mythologicarum explicatione, ad pleniorem, veteris ævi monumento-

1) Vide ſis modo *Platonem* in *Cratylo*, Op. T. I. edit. *Serr.* p. 402. ſeq. origines nominum Diis impoſitorum, ex mente *Socratis* recenſentem, & invenies, ſagaciſſimum cæteroquin virum, revera nugas agere, derivationesque proferre, iis quas Etymologus exhibet, ne hilo meliores.

mentorum, intellectum, cognitu quam maxime neceſſariarum. *Præclaram* enim, ſunt verba *I. A. Fabricii* 2), *exhibet ſyllogen obſervationum omnis generis, grammaticarum, etymologicarum, mythologicarum & lexicarum, ex variis grammaticis, etymologicis & lexicis congeſtarum; diverſas præterea viginti quinque vel triginta circiter populorum voces, Æolum ſcilicet, Alexandrinorum, Arabum, Perſarum* &c. manifeſto indicio, auctorem, quisquis tandem is fuerit, veriſſime de ſe affirmare potuiſſe, *nihil ſe ſtudii & laboris intermiſiſſe, quo minus, preſſus licet egeſtate, variisque, fidemque fere omnem ſuperantibus jactatus moleſtiis & calamitatibus, opus præclarum atque utile elucubraret, ſuoque dignum ingenio monumentum poſt ſe relinqueret* 3). Hæc itaque cum ita ſe habeant, mirum nemini videri debet, eruditos egregium hoc opus, magno cum labore, multaque induſtria concinnatum, maximi ſemper æſtimaſſe, &, cum propter exemplorum penuriam in pauciſſimorum manibus

2) *Biblioth. Gr.* L. V. c. 40. §. 5. ſive T. X. p. 20.

3) Verba auctoris habes p. 417. 10. ſeq. ed. *Sylb.* Obſervandum in tranſitu, verba in initio paginæ occurrentia, nimirum ιστεον ὁτι το ἀχ, &c. ab antecedentibus ſecernenda eſſe. Peculiarem enim titulum conſtituunt.

bus hodie verſetur, digniſſimum, ſi quod aliud, reputaſſe, ut typis denuo repetatur 4).

Dictis modo, primo quidem intuitu, obſtare videntur repetitæ *Etymologici* editiones, quarta jam vice lucem dudum cum viderit. Prodiit enim primo *Venetiis* 1499. forma præcellenti, opera *Zachariæ Calliergi*, *Nicolao Blaſto* ſumtus miniſtrante. Hanc editionem excepit altera a *Frid. Turriſano* curata, qui eam additamentis quibusdam, haud magni momenti, auxit, itidem *Venetiis* 1549. Sequebatur *Sylburgiana* εκδοσις, ex Typographeo *Hieronymi Commelini*, *Heidelb.* 1594. & tandem noviſſima, curante *Panagiota Sinopenſi*, iterum *Venetiis*, 1710. Verum diſtractis penitus omnibus omnium editionum exemplis, toties iterata εκδοσις, novæ curandæ conatum ac ſtudium, minime prohibere valet, adeo rara cum ſint priorum exempla, ut non niſi bibliothecas intrent exquiſitiores, pretioque ſatis caro coëmenda ſint 5). Hinc vel is ſibi

4) Vid. *Lamb. Bos* in Diſſ. de *Etymologia Græca*, *Exercitationibus Philol. in N. T.* adjecta, p. 3. *Franeq.* 1713. 8.

5) De raritate omnium, quæ prodierunt, editionum *Etymologici M.* & præſertim *Venetæ* anni 1499. & *Sylburgianæ* 1594, pluribus agunt

ſibi ſummopere devinciret eruditos, qui absque ullo alio labore in utiliſſimum hoc opus impenſo, illud in græcæ linguæ ſtudioſorum usus, ne fructibus, exinde hauriendis, amplius careant, denuo recudi curaret: licet hac ratione parum commodi in ipſum *etymologicum* redundaret, digniſſimum ſane, ut cunctis, quæ reperiri poſſunt, adminiculis adhibitis, in priſtinum, ipſique debitum ſplendorem reſtituatur.

Inter omnes nimirum veri nominis eruditos conſtat, *Etymologicum*, ſi quod aliud opus, ab exſcriptoribus peſſime habitum, & plurimis tandem titulis depravatum eſſe. Teſtantur hoc tot virorum doctrina præſtantium, *Hemſterhuſii*, *Albertii*, *Valckenaerii*, *Abreſchii*, *Pierſoni*, *Ruhnkenii*, *Erneſtii* & aliorum 6), emendationes, quas ſcriptis ſuis inſeruerunt, & quibus id demonſtratum iverunt, ſe auctorem hujus operis ſua, id eſt ſumma, animi attentione haud eſſe dedignatos. Nullum præterea eſt dubium, quin mutilatum ſit *Etymologicum*, atque integris hinc inde titulis orbatum,

agunt *Dau. Clement*, & auctores ab ipſo laudati, in *Biblioth. Cur. Hiſtor. & Critique*, T. VIII. p. 128. 131.

6) Referendæ huc ſunt *Obſervationes in Etymol. M.* inſertæ *Miſcell. Obſerv. in Auctores Vet. & recent.* T. I. ad IV. *Amſt.* 1732. ſeq. 8vo.

quod vel ex illo apparet hiatu, qui initio literæ *M*, in impreſſis exſtat, omnibus, a verbo inde μακρυνω ad vocabulum usque μεγα, (*Turriſani* enim additamenta non moror,) vocibus omnino exulantibus, quod quidem a nemine, quod ſcio, hactenus obſervatum eſt. Medicinam igitur operi parare, tot mendis obſito; —— titulos deperditos poſtliminio reſtituere; —— loca auctorum, quæ vel explicat *Etymologus*, vel quibus tanquam exemplis utitur, quibus ſententiam ſuam munire ſolet, inveſtigare; —— *Veterum* denique *Grammaticorum* & *Scholiaſtarum* ſcripta, ex quibus ſua plerumque hauſit auctor, ſcrutari & evolvere; —— nimirum hoc nihil fere aliud eſt, quam novum plane condere *Etymologicum*, atque adeo opus arduum, cujus moleſtiæ haud niſi ſummo cum labore, maximaque diligentia ſuperandæ ſunt. Atque conclamatum certe eſſet, in re adeo deſperata, niſi vel adeſſent, vel ſperanda eſſent adminicula, tanto labori tantoque oneri ferendo, ſufficientia. —— Hæc ne vane dicta eſſe aliquis judicet, ſtrictim quædam de codicibus tradam, ex quibus *Etymologicum* emendari poſſet & reſtitui, ſi viris eruditis, quibus occaſio Bibliothecas, hujus generis χειμηλιοις repletas, perſcrutandi, haud denegata eſt, placeret, aliquam in hoc opus operam

operam impendere: dein adminicula referam, quibus hactenus uti mihi licuit; eum in finem, ut, ſicubi doctrina eminentibus viris, qui iſtiusmodi incepta promovere valent, conatus mei innoteſcant, conſilia illi ſua, imo auxilia, quod maximopere rogo, benivole ſuppeditare, non dedignentur.

Latent ſcilicet in Bibliotheeis quamplurimi, iique præſtantiſſimi *codices Etymologici*, quos niſi omnes, eorum ſaltem aliquos conferre, operæ pretium eſſe, quemvis hujus rei æquum æſtimatorem judicaturum eſſe cenſeo. Præter eos enim quos *Fabricius* profert codices 7), alii *Florentiæ* exſtant in incluta *Mediceo Laurentiana*, alii *Patavii*, in *S. Johannis in Viridario*, alii *Venetiis* & *Mediolani*, diverſis in Bibliothecis, alii denique in *Vaticana*, *Regia Pariſienſi*, *Cæſarea Vindobonenſi*, & *Anglicanis*, quos ſingulos recenſet *Bernh. Montfaucon*, locis in fine paginæ notatis 8). Ut jam eos taceam, qui tum *Leidæ*, cujus tamen uberiorem notitiam nondum habeo, tum *Trajecti*

7) *Bibl. Gr.* T. X. p. 22. 23.

8) Vid. ejus *Biblioth. Bibliothecarum Manuſcriptorum nova*, duobus Voluminibus in Folio *Pariſiis* 1739. edita: & quidem p. 348. *a*, *E.* & *b*, *D.* 471. *a*, *D.* 480. *b*, *A.* 485. *b*, *D.* 676. *a*, *D.* & alibi.

jecti ad Rhenum & *Guelpherbyti* adſervantur, de his enim amplius agendi occaſio mox dabitur. Verum mirabile dictu! ex tot codicibus, ne unicus quidem adhuc adhibitus eſt, quo *Etymologicum* impreſſum aliquid lucis inde acciperet: ne quidem a poſtremo hujus operis editore *Panagiota Sinopenſi*, qui ſaltem iis qui in promtu erant, Venetis nimirum uti debuiſſet, ſi opera ſua, jam fere inutili, eruditos demereri, ipſi animus fuiſſet 9). His codicibus jungenda merito ſunt *Gloſſaria & Lexica Græca inedita*, quorum tanta eſt copia, ut eorum numerum inire, difficile ſit, docentibus viris præſtantiſſimis *Montfauconio* & *Fabricio*

9) Recenſetur *Panagiotæ* ἔκδοσις, in *Act. Erud. Lipſ.* anni 1713. p. 484, ſeq. eum quidem in modum, ut pateat illam haud adeo magni æſtimandam eſſe. *Primo* enim editor, absque ullo indicio hac de re facto, plerasque *Sylburgii* caſtigationes, in textum recepit, ſæpius licet vulgari lectione deteriores. *Secundo* Aſteriscos illos, qui in *Sylburgiano* paſſim conſpiciuntur, & additionum *Turriſani* ſigna ſunt, prætermiſit; licet non levi de cauſa fuerint additi. Videntur enim pleræque illæ additiones indignæ *Etymologo* noſtro, ut e re ſit, admoneri de iis lectores. *Tertio* Indices etiam *Sylburgiani* omiſſi ſunt, qui tamen in evolvendo hoc libro admodum utiles ſunt. Conf. *Fabric. B. Gr.* T. X. p. 22.

bricio libris infra laudandis 10). Si quis ergo & hæc diligenter examinaret, debitaque perſcrutaretur induſtria, plurimum utique commodi inde in *Etymologicum*, utpote in opus cognatum, redundaret: atque ſic tandem, ab innumeris, quibus contaminatur, mendis purgatum, ſereniori, quam hactenus fieri potuit, vultu, publicam in lucem prodiret.

Hæc mecum reputans, inveſtigare, quæ ad novam *Etymologici M.* editionem adornandam eſſent apta, ac, quantum fieri potuit, comparare cœpi. Felicem quoque ſatis haćtenus eſſe mihi licuit. Etenim

I. *Sereniſſimi & Clementiſſimi Brunſvicenſium Ducis* favore, ante ſesquiennium circiter, ex *Bibliotheca Guelpherbitana*, commodatum accepi celebre illud *Etymologicum Manuſcriptum*, cujus *Marquardus* olim *Gudius* poſſeſſor fuit, quo vita functo, pretioſiſſimum opus *Bibliothecam Guelpherbytanam* intravit. Pluribus ſtatim de hoc codice agetur. Heic ſaltem monendum, eum, utut vitiis ſcateat a ſcriba commiſſis, ob inſignem tamen, quem in emendando & ſupplendo *Etymologico M.* præſtat uſum, maximi æſtimandum eſſe. Atque hanc ob rationem

10) Alter in *Biblioth. Coisliniana* p. 231. ſeq. 457. ſeq. & alibi: alter libri ſæpius jam laudati T. X. p. 51. ſeq.

tionem *Sereniſſimi Principis*, qui, eximii codicis uſum mihi concedendum eſſe, clementiſſime decrevit, gratiam & in literas amorem, ſumma cum gratiarum actione publice veneror.

II. Communicatum mecum eſt *Lexicon Manuſcriptum*, ſub nomine *Cyrilli* eruditis cognitum. Adſervatur iſtud inter *Goldaſtiana*, in *Bibliotheca ampliſſimi Senatus Bremenſis*, cujus Conſul ſenior *Volchardus Mindeman*, literarum egregius fautor, id mihi utendum conceſſit, qua de re *viro illuſtriſſimo* debitas itidem gratias, ea qua par eſt obſervantia, rependo. Notitiam hujus codicis aliqualem, (eſt autem membranaceus in forma octopartita ſcriptus, Sæculi vel XIII vel XIV,) ante hos viginti quinque annos, dedit *Joh. Chriſtianus Biel, Brunſvicenſium Theologus*, in præfatione, *Exercitationi de lignis ex Libano*, præmiſſa 11). Magis autem innotuit ex ejusdem viri doctiſſimi *notis ſelectioribus in Heſychium*, plurimam partem ex *Cyrillo Bremenſi* deſumtis, editionique, quam *Joh. Alberti* curavit, inſertis. Ut tamen quod res eſt fatear, autorem hujus Lexici eſſe *Cyrillum*, minime videtur probabile. Titulus enim, Κυριλλ̃ου εις τας απορεμενας λεξεις της θειας γραφης, non

11) Prodiit iſta Exercitatio *Brunsvici*, 1740. in 4to.

non ſolum ab altera, & longe recentiori manu eſt additus: verum quod gravius eſt, minime huic gloſſario convenit. Ipſo enim *Bielio* fatente, *præter voces ſcripturæ, multæ*, (dicere debuiſſet Vir doctiſſimus, plurimæ,) *etiam ex profanis ſcriptoribus græcis, in illo explicantur*, quod primo ſtatim oculi conjectu, cuivis inſpicienti, patebit.

III. Apographum celebratiſſimi illius *lexici*, quod *Photium* auctorem agnoſcit, quodque olim *Thomæ Galei* erat, jam vero in *Bibliotheca Bodlejana*, quæ *Oxonii* eſt, conſervatur, ſponte ſua mihi ex parte jam conceſſit, reliqua in poſterum conceſſurus, Vir prænobiliſſimus & eruditiſſimus *Simon de Vries, Daventrienſis*. Familiaritatem Viri doctiſſimi, qui, nullo diſtrictus publicæ dignitatis negotio, *ſibi ſoli, Muſisque & Apollini litat*, mihi, ante quatuor & quod excurrit annos, *Daventriæ* per aliquot dies commoranti, paravit Vir M. Rev. *Abrah. Rückersfelder*, Theol. D. ejusdemque in Lyceo *Daventrienſi* Profeſſor celeberrimus, cujus quoque ſtudio *Apographum Photianum* obtinui. Lexici hujus notitiam, atque excerpta quædam ipſe *Thomas Galeus* dedit *Marquardo Gudio*, in epiſtola ad Virum doctiſſimum ſcripta, ex qua laudatus modo *I. C. Bielius* ea hauſit, quæ in *Actis Er. Lipſ.* 12) cum

12) Supplement. T. VI. p. 253. ſeq.

cum erudito orbe communicavit. Plura nuperrime dedit celeberrimus apud *Brunsvicenſes* Theologus, *I. C. Harenbergius*, in *Diatribe epiſtolica de Photii Etymologico Magno* 13), inter alia referens: *transmiſiſſe viros quosdam græce doctiſſimos, ex Academia Oxonienſi, exemplar fideliſſime ex codice Galei deſcriptum, ad viros græce eruditos Brunſvicum, opusque*, Etymologicorum aliorum & MS. codicis Bodlejani ope, *ita emendaſſe, ut prelo tandem poſſit ſubmitti, & glorioſe in lucem exire publicam.* Nullus dubito, quin eruditus orbis, gratiſſimum ſibi munus, ingenti cum voluptate ſuſcepturus ſit: atque adeo optandum eſſet, ut partes editoris ipſe S. Ven. *Harenbergius* recipere, operique *indicem auctorum in Photii lexico laudatorum*, addere velit. Confecit eum *I. Alberti* V. Cl. & cum Gloſſario Græco, in Sacros N. Fœd. libros, edidit 14).

IV. Denique, aliud adhuc gloſſarium ineditum uſurpandum mihi conceſſit, excellentioris ingenii juvenis *Abrah. Kail*, *Ioh. Chriſtophori*, *Hebr. Ling.* apud *Hafnienſes* pro-

13) Scripta eſt *Diatribe hæc epiſtolica* ad M. Rev. *Nic. Barkey*, Theologum *Bremenſem*, amicum meum optimum ac deſideratiſſimum, qui eam *Biblioth. Brem. Novæ*, cujus ipſe curam gerit, inſeruit: *Claſſis* V. *Faſciculo* II. p. 280. ſeq.

14) *Lugd. Bat.* 1735. 8vo.

professoris celeberrimi, filius, studiis, in hac nostra academia, summa cum laude incumbens. Fuit quondam codex hic *Thomæ Bartholini.* Bombycinus est, scriptusque forma quam vocant octava, a *Nicodemo Monacho*, anno 6804, sive *Christi* 1296, adeoque tribus tantum annis *Gudiano* inferior. Titulus quem gerit, Ερατος λεξεων, ab altera manu adscriptus, inde mihi ortum traxisse videtur, quod in *Biblioth. Regia Parisiensi* Glossarium sub hoc titulo exstat 15). Hunc igitur & suo adscripsit, vel *Bartholinus* vel priorum possessorum aliquis, utpote libro convenientissimum. Recensentur in eo voces ordine quidem Alphabetico, ita tamen ut primo αρσενικα, dein θηλυκα, tandem ουδετερα referantur, quibus demum ῥηματα junguntur, & postremo επιρρηματα: ista nimirum ratione, ut duæ priores vocum literæ, v. c. Aβ, quinquies de novo repetantur, priusquam ad sequentem τὸ Aγ, ordinem recensendum, progredi fuerit licitum. Eundem ordinem servare videntur *Glossaria* quædam *Biblioth. Coisilinianæ*, quorum specimina exhibet *Montfaucon* 16). Servat eum certissime, quod *Iohanni Damasceno* tribuitur *Lexicon MS.* cum *Bom-*

15) Teste *Fabricio* T. X. p. 51.
16) *Bibl. Coisl.* p. 238. & p. 499. seq.

Bongarſianis codicibus, in *Bibliothecam Bernenſem* translatum, cujus cognitionem *Ioh. Rod. Sinner* in *Catalogo Codicum MSS. Biblioth. Bernenſis*, nuperrime primus ſuppeditavit 17). Quumprimum ſpecimina a V. Cl. exhibita, cum *Bartholiniano* conferre mihi datum erat, ſtatim perſpexi, utrumque codicem per omnia fere convenire. Literis ergo ad Virum eruditiſſimum datis, humaniſſime non ſolum, quod gratus profiteor, reſpondit, verum & loca, quæ ex *Bartholiniano* excerpta miſeram, cum *Bernenſi* conferri curavit, benivole promittens, ſe lubentem, quæ inceptum meum promomovere valent, eſſe ſuppeditaturum. *Suidam* autem atque *Etymologum* ut plurimum ſequitur tum *Bartholinianum* tum *Bernenſe Lexicon*; digna idcirco, diligenter cum utroque ut conferantur.

Ex indicatis libris MSS. quos mihi præſto eſſe commemoravi, uti mole reliquos ſuperat, ita plurimum quoque ad emendandum & reſtituendum *Etymologicum* impreſſum conducit, *codex Gudianus*, dignus adeoque ut uberius deſcribatur. Ex profeſſo jam de eo egerunt duumviri Brunſvicenſium ſuperius laudati, *I. C. Biel*, & *I. C. Harenberg*, ad quorum igitur ſcripta lectorem

17) Pag. 504. ad 507. Prodiit Catalogus hic *Bernæ*, 1760. 8vo.

ctorem remittere liceat 18). Addam tantum quæ ulteriori illuſtrationi inſervire poſſunt, maculamque *Etymologico Gudiano*, ab *Harenbergio* V. Cl. adſperſam, conabor abſtergere *).

Conſtat *codex Gudianus* duobus Voluminibus forma quadripartita ſcriptis, quorum prius 162, alterum 145 folia, duabus ut vocant columnis diſtincta, continet, quibus ſex alia adjecta ſunt, ſyntaxin quandam, ſecundum ordinem Alphabeticum conſcriptam, exhibentia. Simile huic opuſculum in *Biblioth. Mediceo Laurentiana* exſtare videtur, cujus titulus eſt, *Conſtructiones, ſive Lexicon verborum juxta Alphabetum, indicans caſum quibus verba junguntur, & brevia exempla conſtructionum apponens*; docente *Montfauconio* 19): imo & aliud, ejusdem fere inſtituti, diverſum tamen a noſtro,

18) V. *Act. Erud. Lipſ. Suppl.* T. VI. p. 253. & *Biblioth. Brem. Nov. Claſſ.* V. *Faſc.* II. p. 280. conf. *Fabric. Bibl. Gr.* T. IX. p. 566. ſeq.

*) Rogavit me *S. V. Harenbergius*, hoc loco ſignificarem, *quoad adſperſam maculam*, ſe reſponſionem parare placidam, *Kulenkampio*, Viro Cl. oppoſitam. Huic rogatui deeſſe non potui, eandem, quam primum recepero, Biblioth. huic novæ inſerturus. N. B.

19) in *Biblioth. Bibliothecarum MSS. Nova.* p. 307. *b*, *A.* T. I.

ſtro, obſervare licet, in *Biblioth. Coisliniana*, cujus excerpta ab eodem viro præſtantiſſimo exhibentur 20). Scriptus eſt *codex Gudianus* charta bombycina admodum craſſa, ex tenuioribus foliis, duobus vel tribus coacervatis, ad inſtar chartarum luſoriarum conglutinata. Annus quo exſcriptus eſt, in fine *Etymologici* indicatur, eo, ut N. IV. Tab. æneæ videre eſt, modo: ſcil. τελος πεφυκεναι αληθως ρηματων, μηνος φευρουαριου ιη, ημερᾳ δ, της ινδικτιωνος ς, ετους ϛωα. Sive; abſolutus eſt menſis Februarii 18, feria 4, indictionis 6, anni 6801: id eſt Salvatoris noſtri 1293. Quid ſibi velint verba αι, *ſive* ναι αληθως ρηματων, augurari nequeo. Id ſaltem addere liceat, *Gudianum* hunc codicem optime conſervatum, & ob hanc quoque rationem, in pretio habendum eſſe.

Diſputatum eſt de auctore hujus *Etymologici*, ſitne nimirum *Photius Conſtantinopoleos Patriarcha*, nec ne? Inter omnes conſtat, *Gudium* auctorem operis *Photium* venditaſſe, ſibique perſuaſiſſe, quem poſſidebat codicem, *Galeano*, qui certiſſime Lexicon exhibet, *Photium* auctorem agnoſcens, eſſe ſimillimum. Refutaverunt quidem hanc aſſeverationem viri docti *Bielius* & *Harenbergius*, recte ſtatuentes, eam ne mini-

20) *Biblioth. Coislin.* p. 496. ſeq.

minimo quidem argumento confirmari poſſe. Ad id autem adduci ſe paſſus eſt Vir doctiſſimus ab *Heuſingero*, ut cum eo adfirmet, *codicem nomen* Photii *nusquam præferre, niſi quod Bibliopegus, fortaſſe* Gudii *juſſu, literis auratis illud ligaturæ impreſſerit, & ſchedulæ frontibus voluminum adglutinatæ*, Gudii *ejusdem ſine dubio manu ſcriptæ*, Photio *iſtud opus tribuant* 21). In hoc inquam erraverunt viri doctiſſimi. Diſerte enim in addendis, literæ Ω adjectis, in fine vocis Κρονος, verba, ἑυτως εγω ΦΩΤΙΟΣ ὁ πατριαρχης, reperiuntur: quæ *Gudio* obſervata ipſi fortaſſis anſam præbuerunt, *Photio* integrum opus ut adſcriberet. Licet autem verba hæc illic reperiantur, non tamen inde conſequitur *Photium* univerſi operis auctorem eſſe. Obſervavi enim, compilatores ſive *Etymologicorum* ſive *Lexicorum*, aliquando auctorum, ex quibus obſervationes ſuas hauriebant, nomina adjeciſſe, quando auctores de ſe loquentes, pronomen primæ perſonæ demonſtrativum uſurpaverant. Ad hujus aſſerti probationem commode ſe offert, *Lexicon Bibliothecæ Bremenſis*, ubi voce παραδεισος ſequentia verba inveniuntur: Τινες μεν ουν τον παραδεισον αισθητον εφανταθησαν, ἑτεροι δε νοητον· πλην εμοιγε Ιωαννη τῳ Δαμασκηνῳ δοκει: *Nonnulli quidem* Paradiſum *ſenſibilem*

 eſſe

21) *Biblioth. Brem.* l. c. p. 286.

eſſe putaverunt, alii intelligibilem. Mihi autem Johanni Damaſceno *videtur* &c. 22). Habent eadem hæc verba, omiſſo tamen nomine *Johannis Damaſceni*, et *codex Bartholinianus*, et *Suidas*, v. παραδεισος, ad quem *Kuſterus* ait: *Totus hic articulus excerptus eſt ex ſcriptore aliquo, qui nunc non amplius exſtat.* Fallitur Vir doctiſſimus Totus enim articulus iſte excerptus eſt, ex *Johannis Damaſceni*, de *Fide Orthodoxa* L. II. c. XI, ubi de *Paradiſo* abunde diſſeritur. *Damaſcenus* igitur aliorum de Paradiſo ſententiam recenſens, ait, nonnullos eum ſtatuiſſe ſenſibilem, alios intelligibilem; addens πλην εμοιγε δοκει, verum ex mea quidem ſententia, et ſic porro. Compilator ergo *codicis Bernenſis* cum haud ignoraret, hæc verba *Damaſcenum* auctorem agnoſcere, demonſtrativo εμοιγε ipſum nomen, parentheſi quaſi includendum, addidit, quo ſignificaret, excerptum hoc ex *Damaſceni* ſcriptis petitum eſſe. Similiter cum verbis comparatum eſt, ex *Etymologico Gudiano* productis. Habet certe articulus κρονος *Photium* auctorem, atque ex ejus ſcriptis in *Etymologica* translatus eſt. Poſtquam igitur aliorum de hoc nomine ſententias recenſuerat, ſuamque epicriſin adjecerat *Photius*, addidit ουτως ἐγω; (uti v. c. *Etym M.* p. 454. 28. ουτως ευ-

ρον

22) V. *Struveri Catal.* p. 506.

ϱον εγω) quibus verbis *Gudiani codicis* compilator, quisquis tandem is fuerit, illa φωτιος ὁ πατριαρχης superaddidit, significans illud εγω *Photium Patriarcham* indicare, articulumque istum ex illius scriptis esse desumtum: quod neque auctori *Etymologici* impressi ignotum fuit, apud quem articulus κρονος, omissis verbis prioribus, solis φωτιος πατριαρχης explicit. Meridiana hinc luce clarius est, ejusmodi allegationes nihil facere, ad verum *Etymologici* vel *Lexici* alicujus auctorem detegendum, aliis argumentis, majore virtute præditis, si destituamur.

Ex quo vero tempore observationes, quas Viri eruditissimi *Relandus*, *Alvreschius*, *Ruhnkenius*, alii, ex *Etymologico Ultrajectino*, (quod ni fallor *Antverpiensis* apographum est,!) & *Regio Parisiensi*, in scriptis suis passim exhibent, cum *Gudiano codice* conferre mihi licuit, statim suspicatus sum, omnes hos libros parum nihilve a se differre. De priori saltem nullum amplius mihi dubium supereſt, posteaquam S. Ven. *Ravius* Theologiæ apud *Ultrajectinos* Professor celeberrimus, pro humanitate sua tres quatuorve ex eo plagulas describi, & ad me deferri curavit, ex quibus perspexi, utrumque codicem satis accurate convenire, alterumque ex altero illustrari & emendari posse, dili-

gens eorum collatio ſi inſtitueretur. De *Pariſino* idem teſtatur *Ruhnkenius*, ſeque illum diligenter excuſſiſſe perhibet 23). Eruditum ſibi orbem maxime ſane devinciret vir doctiſſimus, obſervationes ſuas prelo ſi vellet committere.

Atque hac quidem ratione tres ad minimum habemus codices, in plurimis ſibi ſimiles, quorum ope *Etymologicum M.* egregie emendari, augeri, reſtitui poſſet, viris eruditis ſi placeret ſymbolas ſuas in hoc opus conferre. Quod enim *Harenbergius* V. Cl. pretium *Gudiani*, et conſequenter reliquorum etiam ipſi ſimilium, nimis deprimit, in eo iniquior, quam fas eſt, eſſe mihi videtur. *Primo* enim, meo quidem judicio ſtatui nequit ſimpliciter, quod tamen V. D. contendit, *codicem Thomæ Gale Gudiano præferendum eſſe* 24). Nam cum, quod ipſe agnoſcit 25), *diverſiſſimi* ſint, minime in ejusmodi venire debuiſſent comparationem, qua pretium unius, alterius laude, deprimitur. Maximi habeo *Lexicon Photii*, ſed in ſe ſpectatum, non relative ad *Etymologicum*. Huic enim illuſtrando, *Gudianus codex* magis confert, quam plura Lexica

23) in Epiſt. ad *Heuſingerum* V. C. data, anno 1763. V. *Harenb. Diatr.* in *Bibl. Brem. Nov.* p. 287.
24) Ibid. p. 293.
25) Ibid. p. 285.

Lexica, *Photiano* ſimilia. *Secundo* quæ doctiſſimus *Havenbergius* propinat, ut demonſtret *Gudianum codicem* magni pretii haud eſſe, ita comparata ſunt, ut in *Etymologicum* quoque impreſſum cadant, adeoque & hujus exiſtimationem deprimant, quod tamen alibi 26), debitis laudibus evehit. Attendat modo lector ad ea, quæ vir doctus de voce βελονη (*acum* denotante, non *Deam Bellonam*, & hinc recte a verbo βαλλειν derivata,) item de nominibus *Byzantium*, *Brunduſium*, & de verbo βαλλειν *jaculandi* ſignificatum habente 27), profert, & perſpiciet, ſimilia plane, imo eadem, in *Etymologico M.* inveniri, quæ *Gudiano* ut propria & priva objiciuntur. Maneat igitur huic codici ſuus honos ſuumque pretium, utut mendis, quod nullo modo negaverim, obſito, utut erroribus, tum etymologicis, tum geographicis repleto. Maneat & *Gudio* ſua integritas, cujus manes falſi poſtulare, quin tanti flagitii inſimulare nolim, ut eum, nulla licet preſſum rei domeſticæ anguſtia, quæſtui inhiaſſe prorſus illiberali, dicam 28).

26) Ibid. p. 281. 27) Ibid. p. 292. 293.

28) Ibid. p. 285. ubi diſerte dicitur, *Gudium* eo, quod *Photium* codicis ſui venditaverit auctorem, vel *inhiaſſe quæſtui*, vel ab alio ad hanc aſſeverationem fuiſſe *imperite* inductum.

Quo vero lector cognoſcat, qua ratione cum *codice Gudiano* comparatum ſit, ex eo argumenta quædam, in æs incidi curavi. Selegi ejus generis ſpecimina, ex quibus, tum characterum figuræ diverſæ, & ſcripturæ compendia, lectu ſatis difficilia, poſſunt cognoſci, tum, quæ properantiam exſcriptoris, vel ejus oſcitantiam oſtendunt, mendorum omnium, quæ operi inſident, ſcaturigine.

Tab. I. 1. *Primum* exemplum initium totius operis exhibet, & cum *Ultrajectino* fere convenit. Titulus, Συν θεω αρχη της κατα στοιχειον ετυμολογιας, in *Ultraject.* deeſt. Αρχη τϛ Α στοιχειου.

Αβαλε, (*Ultraj.* ſemper αβαλαι, & ſic quoque *Turriſanus* p. 2. 54. *edit. Sylb.*) σχετλιαστικον επιρρημα, παρα το βαλλω, και μετα τϛ επιτατικου α, επιρρημα αβαλε.

\A, (*Ultraj.* habet Βαλ, omiſſo initiali A. Sæpiſſime evenit, ut literæ initiales, quæ plerumque colore rubro pingebantur, omiſſæ ſint. Vid. Exempl. III. lin. 7. init. ubi Φανθησαν pro Εφανθησαν, et I. 11. init. Φειμενον pro Εφειμενον. Leg. igitur cum impreſſo p. 1. 54. Αβαλ.) επιρρημα, παρα το αβαλε.

Α, σχετλιαστικον αναφωνημα, και συσημα ὑδατων. (Conſentit *Ultraj.* Deest in impreſſo. *Heſychius* habet Αα, et ὑδατος. Auctoribus,

ctoribus, *a J. Alberti* excitatis, adde *Ion. Ramum* de *Ulyſſe et Outino*, p. 151. 29.).

Ααδειν, οχλειν (*Ultraj.* male οχλαν) απορειν.

Ααδεμ, ὑιεια ορθρος (Male. *Ultraj.* ααδεν ὑεια κοπρος, quod propius ad *Heſychium* accedit. Habet is ααδενη, ὑεια κοπρος).

Ααθην, ὑπατηθην. (*Ultraj.* recte ηπατηθην. το υ centies cum τω η permutatur.

Αακατος, τριακας κυπριος. Αακραγες συος κοπρος.

Αακτον, αθραυσον. Ααλιον, απληκτον. (Deficiunt in *Ultraj.* et impreſſo).

Tab. Speciminis *ſecundi*, initium ad vol. 2. cem αινεσις referendum eſt, cujus explicatio iisdem verbis, ſed turbato ordine in *Etym.* impreſſo occurrit. Ita enim habet p. 36. 14. Αινεσις, παρα το αινω, αινεσω, τυτο παρα το αινος, τυτο παρα ἰαινω. (omnia hæc verba ex *Gudiano* exulant. Sequitur) ὁ μελλων ἰανω, και εξ αυτυ ἰανος, και εν ὑπερβιβασμῳ και κρασει αινος. (Hactenus congruunt. Vereor autem, ne, quæ in impreſſo ſequuntur, ſeparate ſcribenda ſint, ita ſcil. ut vox αινος repetatur, et cum addita interpretatione γνωμη — ad — ψηφισμα, novum articulum conſtituat. Hoc ut credam, *Gudiani* auctoritas mihi perſuadet. Addit enim) σημαινει δε δυο. (Et hæc cum ſequentibus in impreſſo

29) Prodiit *Rami* tractatus, *Hafniæ*, 1716. 8vo.

ſo exſtant. Verum turbato, ſut dixi, ordine, explicationi verbi αινειν inſerta ſunt, p. 36. 24. Sed cum loca, ex *Homero* producta, aperte ad vocem αινος pertineant, lectionem *Gudiani* præferendam, et verba, σημαινει δε δυο, cum reliquis, ab articulo αινειν ſecernenda, et lin. 16. poſt αινος inſerenda eſſe, exiſtimo. Vides, Lector! vel hoc ſolo exemplo, *Etymologicum* impreſſum ex *codice Gudiano* optime refingi, adeoque hunc relative *Galeano* eſſe præferendum. Pergit *Gudianus*) ὁποτε μεν τον επαινον, ὡς τὸ Αντιλοχου μεντοι αινος μελεος ειρησεται αινος. (*Etym. M.* αντιλοχου μεν σοι μελος ειρησεται αινος. Uterque male. *Sylburgius* ad hæc verba, pro μελος ειρησεται inquit, et metrum et ſententia poſtulant, vel μεγαλος ειρησεται, vel μεγας ειρηθησεται. Peſſime. Locus ex *Iliad. XXIII.* 795, reſtituendus eſt. Lege igitur: Αντιλοχ', ου μεν τοι μελεος κ' ειρησεται αινος. Sequitur:) ποτε δε γνωμη, (L. γνωμην) παραμυθιας ηαι παραβεβλημενην προς ὑπερκειμενον. αινος μεν των (L. τοι) αμυμων ὀν κατελεξας. (Differunt ab edito, ubi pro ὑπερκειμενον melius eſt ὑποκειμενον. De reliquis videat Lector, num MS. lectio præferenda ſit. Locus allegatus exſtat, *Od.* XIV. 508. Καταλεξεις impreſſi, in κατελεξας, quod recte habet *Gudianus*, mutandum eſt).

Αινε-

Αινεσις και αινετος απο τ῀ αινω αισεσις, τ῀το παρα τὸ αινος, τουτο παρα το ἰαινω το ευφραινομαι. (Dele alterum illud αινεσις, verbo αινω additum, & omnia plana invenies).

Αινος παροιμιας διαφερει· ὁ μεν γαρ αινος εϛι λογος μυθικος, εκφερομενος ὑπο αλογων ζωων η φυτων, προς ανθρωπων παραινεσιν· παροιμια δε, την απο κεφαλης (in antecedentibus eſt κεφαλαιου, quod & in *Ammonio* exhibetur) επι χειρον αναφοραν εχει, ενδεουσαν τ῀ αινου. (Obſervandum, *Etymologum Gudianum*, plurimos ex *Ammonio* titulos in ſuum opus contuliſſe, plurimis aliis additis, qui neque in hujus, neque in *Ptolemæi Aſcalonitæ, de differentiis vocum*, libellis, reperiuntur: oſtendente *Bielio*, T. VI. *Suppl. Act. Er. Lipſ.* p. 258. 259. De voce αινος vide *Valcken. Obſervat.* ad *Ammonium* c. 3.)

Tab. II. 3. Specimen *tertium* ob compendia ſcripturæ notabile eſt, quæ fidem facere videntur, plures, ad codicem abſolvendum, manus fuiſſe adhibitas. Exemplum hoc lectu cum ſit difficile, miſſis obſervationibus, illud tantum transſcribere liceat. Characte̅re itaque vulgari ita legitur.

Εφαμιλλος, ὁ συναγωνιζομενος και εις την ἁμιλλαν εξ ισου.

Εφαν, ειπον· οἱ βοιωτοι επι των μη εχοντων την μετοχην εις σ *) οξυτονον, εβημεν] εβαν ποιουσιν. ὁυτως

*) Corr.

οὗτας καὶ εφαν, Εκ του φημι ὁ παρατατικος εφην. το πληθυντικον εφαμεν· αλλ' εσι τα παρατατικα των εις μι, το γ (i. e. τριτον, ſcil. προσωπον) εφασαν, καὶ βοιωτικως εφαν.

Εφανεν, εις το εξεφηνεν.

Φανθησαν, εις το Φανεν.

Εφασκον, ελεγον παρατατικος· το θεμαφασκω. γεγονε δε παρα το φω, το λεγω, εξ οὗ καὶ φημι ου ὁ μελλων φασω, καὶ κατα πλεοναςμον τα κ, φασκω.

Εφη, απο τα φημι, αοριςος β. (ſive δευτερος φειμενον, εντεταγμενον, προςεταγμενον, απο τα εφιημι· ὁ μελλων εφησω, ο παρακειμενος εφεικα ὁ παθτικος εφειμαι, ἡ μετοχη ὁ εφειμενος, το ουδετερον εφειμενον.

Εφειντο, ἑω εσι ἐημαι, και σημαινει το κορεννυω.

Tab. II. 4 *Quartum* exemplum notam ſcribæ continet, annum et diem indicantis, quo codicem abſolverat. Ejusmodi notas frequentiſſime codicibus ſubjiciebant ſcribæ, docente Montfauconio 20). *Gudiani* ſupra jam a me explicata eſt. Alteram adhuc addere liceat, eam ſcil. quam *Bartholiniani* transſcriptor, codici ſubjecit. Nimirum: ετελειωθη το παρον δελταριον, δια χειρος εμου τα ταπεινα μοναχου Νικοδημα, μηνι Νοεμβριῳ κβ, Ινδικτιωνι θ, ετει ςωδ, ἡμερᾳ τετραδι. Ευχεσθαι (L. ευχεσθε), αυτον οι αναγινωσκοντες δια τον κυριον, καὶ μη μεμφεσθαι (L μεμφεσθε) τα αμαθια αυτα.

Abſo-

30) *Palæogr. Græc.* L. I. p. 37. ſeq.

Absolutus est præsens liber, mea, humilis monachi *Nicodemi*, manu, mensis Novembris die 24, indictione 9, anno 6804 (i. e. 1296) feria quarta. Precamini pro illo, quotquot legeritis, per dominum, neque illi succensete ob imperitiam suam. Cæterum *Nicodemus* hic, cum alio ejusdem nominis, et Monacho et scriba sæculi XV. cujus apud *Montfauconium* mentio fit 31) non est confundendus.

Tab. II. 5. *Quinti* denique speciminis, ob fugam vacui a Calligrapho additi, mentem non assequor.

Atque hæc fere sunt, Lector! quæ de *codice Gudiano* mihi dicenda erant. Vt autem egregii libri usus, in emendando et restituendo *Etymologico M.* magis appareat, age! speciminibus quibusdam illud demonstrabo. Ea vero promam, quæ mihi primo sese offerunt.

P. 303. 18. Ειρεσιωνή pro εχεσα *Gudianus* εχων. Recte. V. 19. corrigenda venit vox κλωνας, eneros flexilesque ramos indicans, qui huc minime pertinent. *Sylburgius* vult φοινικας aut simile quid. Rescribo ex *Gud.* κολλυρας, quod unicum verum est: ut patet ex *Suida* de ειρεσιωνη dicente, quod sit *oleæ vel lauri ramus, lana circumplicatus, in*

31) ibid. p. 86. 104.

in quo ſuſpenſus eſt panis. etc. ſunt autem κολλυραι panes vel placentæ pueris dari ſolitæ. Vid. *Suid.* et *Heſych. v.* coll. *Schol.* ad *Comici Pac.* 122. et *Steph. Theſ. ind.* p. 1256. ſeq. Hinc quoque *Pollux*, τας κολλυρας inter panis ſpecies recenſet. I. 248. et VI. 72.

Lexicon Cyr. Brem. κολλυριτης, αρτος αζυμος. Reſpicit ſine dubio ad *I Chron.* XVI. 3. διεμεριτε —— τω ανδρι αρτον ἑνα αρτοκοπικον και αμοριτην, *diſtribuit* —— *ſingulo* —— *tortam panis et frixam oleo ſimilam*, ubi pro αμοριτην Complutenſia habent κολλυριτην. Obſ. *Steph. Theſ. ind. v.* αμορα.

Hæc cum ſcripſeram, vidi lectionem τα κολλυρας egregie confirmari, a *Schol. Ariſtoph. Plut.* 1055, ipſum vocabulum licet in eo jam non reperiatur. Ait enim, ειρεσιωνη, ϛεμματα περι των πυλων, περιειλημενα πλακουντικοις τισι κολυροις. Omnino inſueta mihi videbantur hæc verba. Conſulens igitur in *Ariſtophanis Plutum*, viri in his rebus ſummi *Hemſterhuſii*, commentarium, ſequentia ex eo excerpenda duxi. Πλακουντικος, *etſi analogia non adverſetur, nondum reperi, neque adeo, ſicuti* πλακουντωδης, *in uſu fuiſſe credo: nec forte quisquam eſt, qui* κολυρα, *vel* κολυρης *cognoverit. Emendandi via duplex: primum* πλακουντιοις τισι και λυραις. *Multum juvat egregius* Suidæ *locus ex* Menecle *in* Διακονιον.

Αθη-

Αθηναιοι τῳ Απολλωνι την καλουμενην ειρεσιωνην ὁταν ποιωσι, πλατοντες λυραν τε καὶ κοτυλην, καὶ κλημα, καὶ αλλα τα, (*melius leges* τινα) κυκλοτερη πεμματα, ταυτα καλουσι, διακονιον· *unde liquido patet* λυρας *ab* ειρεσιωνη *non esse alienas. Tum altera quoque conjectura præsto est, quæ nec ipsa parvam habet veri speciem,* πλακουντιοις τισι καὶ πολυραις *vel* κολλυραις, *nisi quis* κολλυριοις *præferendum putet.* Κολυρας *quidem, quæ tamen rectius* κολλυραι *scribuntur,* Hesychius, *exponit,* αρτιδια μικρα καθαρα, *a* Suida *docemur* κολλυρια *vel potius* κολλυρια, εστιχωριως *esse* τα λαλαγγια, *&* κολλυριζειν το τας λαλαγγας τηγανιζειν· *ex quibus liquet, eas esse* κολλυρας, *quæ cum cæteris scitamentis ad* ειρεσιωνην *itidem adpendi mereantur: utra lectio sit anteponenda, codex forte aliquis decidet.* Hactenus ὁ πανυ. Atque hunc jam codicem habemus, *Gudianum* scilicet, qui pro lectione τε κολλυρας decidit.

V. 21. απηρτισμενους. Leg. cum *Sylb.* απηρτημενους. *Suidas* p. 28. 22. προσκρεμαμενους & p. 93. 3. αρτον εξηρτημενον. Prius ex *Pansaniae* lexico est, ex quo et *Eustathius* sua depromsit; p. 1283. 6. conf. *Phavorinus*, p. 240. *b.* edit. *Venet.* 1712.

V. 25. seq. Versus hos, a pueris, in festo Pyanepsiorum cani solitos, omittit *Gud.* Exhibent eos Lexicographi *Suidas*, *Etymologus* & *Phavorinus*; item *Scholiasta*

Ariſtoph. Pl. 1055. & *Equit.* 725. & *Euſtathius*, p. 1283. 12. nec non *Plutarchus* in *Theſeo*, p. 18. T. IV. edit *Steph.* & *Mich. Apoſtolius*, *Proverb.* centur. XXI. 24. Duo priores quoque exſtant, apud *Clement. Alexand. Stromat.* L. IV. p. 477. ed *Colon.* 1688. Varie autem leguntur. *V. 1.)* apud *Plutarch.* eſt φερειν, tum in *Stephan.* tum in *Wecheliana* anni 1599. edit. reliqui omnes auctores φερει legunt, quod melius. *V. 2.)* *Schol. Ariſt.* καὶ μελι εν κοτυλη· & ſic quoque *Plutarchus*, *Clemens*, *Apoſtolius*, *Suidas* & *Phavorinus*, p. 240. *a. Euſtathius* vero cum *Etymol. noſtro*, καὶ μελιτος κοτυλην. Porro; pro απψησαθαι, quod cum noſtro habet *Suidas* & *Apoſtolius*, apud *Plutarch.* & *Clement.* eſt αναψησαθαι, apud *Comici Schol.* ad *Equit.* 725. ανεψησαθαι. Apud eundem ad *Plutum* & *Phavor.* p. 240. *a*, ὑποψησαθαι: ibid. p. 240. *b*, επαρυσαθαι, quod tamen pro επικρησαθαι, quod *Euſtathius* habet, poſitum eſſe videtur. Ultimum hoc unice ad verum accedere exiſtimat *Kuſterus*, legendumque cenſet επιχρισαθαι, *ad ungendum.* in not. ad *Ariſtoph.* p. 16. Sed conf. *Hemſterh.* p. 387. 26. cum *Sylb.* ad *Clement.* l. l. vel απψησαθαι retinens, vel επιψησαθαι corrigens; ut ſignificet *oleum ad fricandum corpus*, quod ad vim verbi propriam, ut addit V. Cl. adcommodatius eſt, quam quod

Caſtel-

Caſtellanum ſecutus *Gatakerus* dedit, *Adv. Miſc. Poſth.* p. 922, *oleum quo te ungere poſſis:* aut quod alii multo peius, *oleum ad abſtergendum ſordes. V. 3.*) pro ευζωρου οινου μεθυσσα καθευδει, vel legendum eſt, ut apud *Plutarch.* & *Schol. Ariſtoph.* ευζωρον, ως αν μεθυσσα καθευδης: vel cum *Valckenario* V. Cl. ευζωρε, ινα καὶ μεθυσσα καθευδη Vid. ejus animadv. ad *Ammon.* L. II. c. 11. conf. Hemſterh. l. l. p. 388.

V. 36. pro οιον ικετηριας *Gud.* habet, οιονει ικετηρια Απολλωνος. malim, ικετηριαν Απολλωνι. conf. *Apoſtolius* p. 270.

De ειρεσιωνη, i. e. ramo, in Pyanepſiorum feſto, geſtari ſolito, quem dein, ante fores erectum ſtatuebant, pro amuleto habentes, quo depellerentur annonæ caritas & penuria, plura qui cupit, adeat auctores, qui ex profeſſo de *Græcorum feſtis* egerunt ſcil. *Pet. Caſtellanum*, p. 648. & *Ioh. Meurſium*, in *Græcia feriata*, p. 844. ſeq. Tom. VII. *Theſ. Gronov.* Conf. *Joſ Barnes.* ad *Homeri de* ειρεσιωνη *Epigramma* p. 96. T. II. & *Iob. Potterus*, *Archæol. Gr.* p. 398.

P. 498. 30. Κεασε, συνετριψε, διεσχισεν. Vid. *Brev. Schol. Il.* XVI. 347. unde hæc deſumta ſunt. Corrigendum tamen ex noſtro videtur το περιεσχισε, quod ibi occurrit; utpote explicationi τω κεασε vel κεασσε, minus conveniens. Conf. ad *Od.* XIV. 418. Ve-

rum hæc in tranſitu. Alleganda tantum hæc verba putavi, ut indicarem, poſt διεσχισεν nomen Κεας excidiſſe, ad cujus explicationem ſequentia referenda ſunt. Revocetur igitur hoc nomen, & peculiarem in poſterum articulum conſtituat. *Gudianus* quæ hic habentur, v. κλευας exhibet. Addit in fine, ζηται εις τον πρωτον κανονα τε Χοιροβοσκε· ad quem noſter quoque provocat, p. 517.24.

P. 4.35. Αβροδιαζομεν. Quod *Sylb.* jam monuit, legendum ſcil. eſſe αβροταξομεν, id directe confirmat *Gud.* qui omiſſis reliquis ſimpliciter habet, αβροταζομεν, παρα το βροτῳ μη τυχειν. & alibi, αβροταζειν, το μη συναντᾶν. *Barthol.* veſtigiis *Etymologi* preſſius inſiſtens, exhibet, αβροταζομεν κυριως απο των τοξοτων του (editi το) βροτε αποτυχειν, ὡς εν πολεμῳ. Λεγεται γαρ το ἁπλως αποτυχειν, αβροταζω. *Lex: MS. Cyr. Brem.* αβροταξομεν, διαμαρτησομεν, αποτυχομεν. Conf. *interpr. Heſych.* v. αβροταζωμεν. Hemiſtichium: μηπως αβροταξομεν αλληλοιϊν, ut alii jam monuerunt, exſtat, *Il.* X. 65. ubi in *Schol.* recte διαμφοδησαι legitur, quod verbum *Sylb.* pro διαναφοδησαι reſtitui debere, exiſtimavit. Conf. *Euſtath.* p. 769. 49. ſeq. Vtrumque & αβροταξομεν & διαμφοδησαι, *Panagiota* in textum recepit. V. *Act. Er. Lipſ.* 1713. p. 485.

V.

V. 38. Ημβροτες δ' ετυχες, exſtat *Il.* V. 287.

P. 34. 19. Αἷμα, παρα το αἱμα τι ειναι τυ σωματος Locus eſt corruptus. *Sylb.* ſcribendum videtur, παρα το αἴσμα τι ειναι, ex eo quod ſit fomes quidam & ardor. Cl. *Bielius* in *Act. Er Lipſ. Suppl.* T. VI. p. 255. ex *Gud.* codice legendum ſtatuit παρα το ἅμμα ἡ συναμμα (in cod. eſt συνδαιμα. An συνδεμα? το δεμα enim pro δεσμος uſurpatur. An vero το συναμμα, ut gloſſa, prorſus eliminandum?) τι ειναι τυ σωματος, *quod ſit nexus & vinculum corporis.* Sequentia minus feliciter tetigit *V. Clar.* Ait *Etymologus.* Εμπεδοκλης. αἷμα γαρ ανθρωποισι περικαρδιον νοημα. *Gud.* ἢ ὁ Εμπεδοκλης· αἷμα γαρ ανθρωπωποιησει (minime) ανθρωπῳ ποτησει, ut vult *Bielius:* natum autem eſt monſtrum illud vocabuli, ex compendio ſcripturæ, & perverſo pronuntiandi more, ſecundum quem vocales η & ι, cum diphtongis οι & ει unicum tantum fundunt ſonum), περικαρδιον νοημα τυ ανθρωπυ λεγει αυτο. Hinc *Bielius* corrigit: Εμπεδοκλης· αἷμα γαρ ανθρωπῳ ποτισει· Περικαρδιον νοημα λεγει. Ne caſſa quidem nuce hæc emerim. Corrigendus eſt locus ex *Stobæo*, *Eclog. Phyſ.* p. 131. docente, *Empedoclem* ſtatuiſſe *ſanguinem prudentiæ eſſe organum.* Hanc hypotheſin, ipſius dein Philoſophi carminibus confirmat, canentis:

Αἵματος ἐν πελαγεσσι τεθραμμενῳ ἀντιθρώντος,
Τῇ τε νοημα μαλιστα κικλησκεται ἀνθρωποισιν.
Αἷμα γαρ ἀνθρωποις περικαρδιον ἐστι νοημα.

id eſt ex verſione vulgari:

Sanguinis in fluviis, ubi habet prudentiæ mentem:
Sanguis enim, cor complectens, prudentia cuique eſt.

Vides ergo ultimum horum verſuum *Etymologis* eſſe reſtituendum. Quæ *Gud.* addit, repetito nomine αἷμα, deletoque τῳ αὐτο, legenda eſſe cenſeo, αἷμα το νοημα τε ἀνθρωπῳ λεγει.

Cæterum hypotheſeos hujus, poſt *Platonem Phæd.* p. 96. *B.* opp. T. I. mentionem quoque injicit *Cicero Iuſc. Diſput.* I. 9. *Empedocles*, inquiens *animum eſſe cenſet cordi ſuffuſum ſanguinem*: quæ verba, carminis ab *Etymologis* allati, ipſiſſimam interpretationem exhibent. Plura dabunt *Daviſius* ad loc. ex *Cic.* adductum: *Th. Mangey* ad *Philon.* T. I. p. 480. *not. f.* & T. II. p. 356. *not. l. Moshem.* ad *Cudworthi Syſt. intell.* p. 1039. it. interpretes, atque inter eos imprimis *Grotius* ad *Levit.* XVII. 11.

P. 561. 11. Λεσχη. *Gud.* nomini Βοιωτοις jungit præpoſitivum τοις· παρα τοις Βοιωτοις.

V. 12. pro τα φευγια *Gud* τα καταφυγια. Optime, καταφυγια enim heic ſunt *confugia, ad quæ confabulandi cauſa ſe recipiebant.*

bant. Opportune ad hanc lectionem ſtabiliendam ſe offert, locus *Aeliani*, V. H. III. 1. de *Tempis Theſſalicis* dicentis : εν αυτοις δε τοις λειοις και καθημενοις αλση τε εσι ποικιλα, και ὑποδρομαι συνεχεις, εν ὡρᾳ θερους καταφυγειν ὁδοιποροις ἡδισα καταγωγια, ἁ και διδωσιν ασμενως ψυχαθαι. *In ipſa vero planitie & convalle varia ſunt nemora & receptacula continua, æſtivo tempore ſuaviſſima* ad confugiendum *viatoribus diverſoria, quæ etiam ſuaviter refrigerandi dant copiam.*

V. 14. Pro συναιρειν, quod & *Gud.* habet, *Sylb.* legendum ſtatuit συνειρειν, nectere ſermones, quod probo. Phraſis συναιρειν λογους longe aliud quid ſignificat. ſcil. *conferre rationes.* Vid. *Matth* XVIII. 23. De *Leſchis*, ſive publicis confabulandi locis, quorum 360 *Athenis* exiſtebant, vid. auctores ab interpretibus *Aeliani* excitati *V. H.* II. 34. 3. conf. *Barnes.* ad *Od.* XVIII. 327.

P. 235. 3. Πχρα Αριϛοφανει - γλυσσονα συκα Non exſtant hæc verba in *Ariſtophanis*, quæ ſuperſunt, comœdiis : neque unquam forte, ſi *Gudiano* fides habenda, in illius ſcriptis exſtiterunt. Hic enim diſerte *Xenophanem* laudat, v. καρρων, inquiens : κεχρηται δε Ξενοφανης τω ονοματι (γλυσσων nimirum), οιον, γλυσσονα συκα. De *Xenophane*, ejusque ſcriptis agit *Fabricius Bibl. Gr.* T. I. p. 757. ſeq.

P. 618. 21. Οινος, οινας τις ων. Legendum puto οιονας. Videtur enim alludere *Etymologus* ad derivationem, quam *Socrates* apud *Platonem*, hoc de vocabulo dedit: οινος δ', ὅτι οιεσθαι νων εχειν ποιει των πινοντων τας πολλας, ουκ εχοντας, οιονας δικαιοτατ' αν καλεμενος. *Nomen* οινος *inde deductum, quod efficiat homines* οιεσθαι, (i. e. opinari), *poſtquam biberint, ſe* νων εχειν, (i. e. mente & intelligentia præditos eſſe), *cum tamen minime ſint, quaſi* οιονας *commodiſſimo vocabulo.* Aliam derivationem, quæ tamen eodem fere redit, exhibet *Gudianus.* οινος, παροτι πινομενος οιει τον νων, τυτ εϛι φυσιοι ἡ αμβλυοπει, (L. αμβλυωπειν) ἡ εν ἡμερᾳ ὡς εν νυκτι διαγειν ποιει. Οινος *dicitur, quod, cum biberimus,* efferat mentem, hoc eſt, inflet, & cæcutire, noctemque diemque peragere faciat.

V. 23. Pro επινοιαν. *Sylb.* mavult απονοιαν. Non evolvit Vir doct. locum *Ariſtoph.* ab *Etymologo* allegatum. Exſtat is *Equit.* 90, ſeq.

Οινον συ τολμας εις επινοιαν λοιδορειν;
Οινου γαρ εὑροις αν τι πρακτικωτερον;
Ὁρᾳς; ὁταν πινωσιν ανθρωποι, τοτε
Πλουτουσι, διαπραττουσι, νικωσιν δικας.

Tune vinum audes vituperare, ut inutile ad aliquid boni peragendum? Potesne vino aliquid invenire efficacius? Vides? cum potant homi-

homines, tunc diteſcunt, negotia peragunt, vincunt lites. Secundus horum verſuum vel conſulto ab *Etymologo* omiſſus eſt, vel culpa transſcriptoris excidit. *V. 4.)* pro νικωσιν *Etymologus* κρινωσι.

V. 26. Locus allegatus eſt *Il.* VI. 260.

V. 29. Pro τον δημητριακον καρπον, in *Gud.* eſt, τον οινον ηγουν τον διονυσιακον καρπον. Omiſſis tribus verbis prioribus, ſequentia *Etymologo* reſtituenda eſſe cenſeo.

Ibid. v. 36. Οἱο κασιγνητοιο. Vid. *Il.* III. 333. cum gloſſa *Scholiaſtæ.* Canonem ſtatim ſequentem plenius exhibet *Gud.* Οἱ Ιωνες. ηγουν οἱ Θετταλοι τας εις ου γενικας, τας απο των εις ος ευθειων γινομενας, δια του οιο προφερουσιν.

P. 294. 33. Ε᾽ δασυνεται. melius cum *Gud.* leges δασυνομενον. το εγκλινομενον, deleto puncto minori, uno ſpiritu cum ſequentibus legendum. Loca excitata invenies *Il.* V. 625. XXIII. 203.

Ibid. V. 55. Εἰαται, ῥημα παραταικα. Leg. cum *Gud.* παθητικον, quod ipſum *Etymol.* exhibet, infra p. 308. 1.

P. 295. 1. Ει μεντοι απο παρακειμενε φυσει μακρᾳ παραληγεται ταυτι. Corruptiſſima certe, verum ex *Gud.* facile emendanda. Ita enim ille, tam in Ἑαται, quam εἰαται. Οἱ μεντοι (intelligendum puto πληθυντικοι), απο περισπωμενων, φυσει μακρᾳ παραληγομενοι,

ταυτην συσελλεσι προ τε αται. Hac ratione αποκαθεαται, it. ειρεαται pro ειρηνται, cum innumeris aliis uſu venit, v. *Euſtath.* p. 234. 16. 1885. 42. ſeq.

V. 2. Οιον δη νυν ἑαται σιγῃ. L. εἰον. οἱ δη νυν &c. ex *Il.* III. 134.

V. 4. Ειωθεν ὁ ποιητης επι των δυο ῥηματων λεγειν κεινται. Nullum omnino hæc verba ſenſum fundunt. Facili tamen negotio a *Sylburgio* potuiſſent emendari, ex v. ἑαται p. 308. quæ cum *Gud.* exacte conveniunt, niſi quod hic plurali numero utatur, ειωθασιν οἱ ποιηται. Verba p. 308. 5. δοιαι γαρ τε πιθοι καταχειαται ενδον· *ex Il.* XXIV. 527. petita ſunt. Hinc ενδον, quod *Sylb.* jam monuit, in εν διος ουδει. mutandum.

P. 576. 16. ὑποτονον· *Gud.* ὑπερτον. Leg. ὑπερτονον· ita enim *Euſtath.* p. 249. 20. & *Phavor.* qui ex illo hauſit: ubi tamen, ſaltem in edit. *Veneta*, 1712, male, κειωθαι pro καλειωθαι, legitur.

V. 18. αιθαλοεσσαι, male pro αιθαλοεντος, quod *Gud.* agnoſcit. Puto reſpici ad *Od.* XXII. 239. 240.

Αυτη δ' αιθαλοεντος ανα μεγαροιο μελαθρον
Ε'ζετ' αναϊξασα.

Eund. hunc *Homeri* verſum adducit *Schol. Apoll.* II. 1089

V. 19. poſt τινες δε, *Gud.* addit ἁπλως.

P.

P. 16. 9. Αδελφος, λεξφυς λεγεται ἡ μητρα. *Barthol.* Αδελφυς λεγεται, etc. manifeſto errore, ex concurſu ſimilium ſyllabarum orto: reliqua ad, εκ της δελφυος conveniunt. *Gud.* eadem habet, verum aliis verbis et mutato ordine. Nimirum: αδελφος, παρα το εκ της αυτης δελφυος, ηγουν μητρας, ἡ γαστρος το γαλα θηλασαντα. (M. θηλαζειν.) ἡ παρα το δελφυς, ὁ σημαινει την μητραν, και το α, σημαινον το ὁμου. Addit ſtatim.

Αδελφειος, διφθογγῳ· και γαρ αδελφεος εστι, και πλεοναςμῳ τῳ ιωτα, αδελφειος, qui titulus ex editis exulat. Poëtice ſcil. αδελφεος & αδελφειος uſurpatur pro αδελφος. v. *Il.* V. 21 & *Brev. Sch.* coll. *Il.* II. 586. alibi. Conf. quoque *Dan. Scott. Append.* ad *Theſ. Steph.* p. 31. T. I.

V. 12. Ισεον ὁτι τα εις δους ληγοντα, κ. τ. λ. Verba hæc quæ ex *Gud.* exulant, in *Barthol.* peculiarem articulum conſtituunt. Ita enim ille:

Αδελφιδους, ὁ ανεψιος. ισεον ὁτι &c. Itaque & editis, duce *Barthol.* verba, quibus hactenus caruerunt, reſtituenda, & ab antecedentibus ſeparanda ſunt. In fine articuli idem codex loco περισπωμενων rectius habet περιεχονται.

P. 228. 42. Τερρα, περσικα μεν εσιν ὁπλα, δερματινα κυριως. Vereor, ne το δερματινα

in

in mendo cubet. Clypei enim *Perſarum* ex *viminibus* quidem noti, non item *coriacei*. Suſpicor hanc vocem ex ſequenti verſu in hunc irrepſiſſe, adeoque deleri debere, præſertim, cum neque codices *Gud.* & *Barthol.* eam agnoſcant, neque *Harpocration*, qui iisdem cæteroquin verbis, quibus *Etymologus*, utuntur. Falſæ lectionis originem, haud obſcure, indicare videtur *Gud.* ita habens, Γερρον· περσικον μεν εϛιν ὁπλον κυριως το γερρον· καταχρηϛικως δε &c. ſimili modo *Etymologici M.* auctor procul dubio ſcripſit, niſi quod plurium numerum adhibuit. Γερρα. περσικα μεν εϛιν ὁπλα κυριως τα γερρα, etc. Exſcriptor vero, diſtinctionem, poſt γερρα in initio ponendam, negligens, ne bis eadem vox uno commate occurreret, ultimum illud γερρα in δερματινα mutavit. Cel. *Relandus*, *Diſſ. Miſcell.* P. II. p. 186. refert, in *Etym. Ultraj.* ſcribi, γερρακον περσικον αμεν εϛιν ὁπλακον, quæ ut in edito legenda eſſe cenſet γερρα περσικα μεν εϛιν ὁπλα. Imo vel hoc modo, vel in ſingulari legi poſſunt. Codex enim, ex quo *Ultraj.* transſcriptus eſt, ſine dubio utrumque indicare voluit: ον ον ον γερρα περσικα μεν εϛιν ὁπλα. quæ ſuperſcribendi unam alteramve ſyllabam methodus, in MSS. haud raro obvia, exſcriptori autem non obſervata, eum induxit, ut cuncta una

ſerie

ſerie ſcriberet. Præter *Relando* l. l. excitatos, vide etiam, de *clypeis Perſarum viminеis* agentes auctores, quos nominat *Weſſel.* ad *Herod.* p. 720. 74. Conf. *Salmaſ. Exerc.* de *Homonymis Hyles Iatric.* p 100. *b. D.*

P. 326. 48. ελεγος, Quæ *Ruhnkenius* V. Cl. in notis ad *Callim. Fragm.* p 439. ex *Orione Thebano* & *Etymol. MS. Pariſ.* profert, itidem in *Gud.* exſtant; verum corrupte. Etenim poſt vocem κατοιχομενης, (cui inſulſe lectio κατηχουμενης ſubſcripta eſt), pergit *Gud.* Ευρετεις (male *Reg. Pariſ.* ευρετην), δε της ελεγειας, (deeſt φασιν) οι μεν τον Αντιλοχον (Reg. Αρχιλοχον), οι δε Μιμνερμον, οι δε καλλινον πτελαιοτερον· Και πενταμετρον το συνηπτον, ουχ' ομοδρομος τη τε πρωτερω δυναμει, αλλ' οιον συνεκπνεοντα συν απεσβυγγυμενον ταις τε τελευτησαντος· reliqua deſunt. Supplenda igitur et emendanda ex *Orione Biblioth. Reg.* Pro συσβεννυμενον tamen, quod in *Regio* exſtat, inſerto και malim cum *Gud.* legere συναποσβεννυμενον, cujus verbi uſum exemplis probat, *Dan. Scott. Append.* ad *Steph. Theſ.* p. 1080. T. II. Teſtimoniis de *Callino*, a viris doctiſſimis *Pet. Burmanno Sec.* ad *Valeſ. Emend.* IV. 14. et *Ruhnkenio* l. l. prolatis, adde *Euſtath.* p. 1885. 51.

Ibid. V. 56. εις επικηδειαν γαρ ελεγοντο· *Gud.* εγραφοντο· Addit ſtatim: Δημοκλεων δε εν τω πε-

ρι

ϱι μετϱων, παϱα το ευ (Leg. puto cum editis, εε,) λεγειν τϰς τεθνεωτας. etc.

P. 404. 44. Εχινος, χεϱσαιον ζωον. *Gud.* ſtatim addit: και ἡ παϱοιμια· πολλ' οιδ' (ſcribebatur male ηδ', ex mala τϰ οι & η, tanquam ιωτα pronuntiatione,) αλωπηξ, αλλ' εχινος ἑν μεγα· *multa novit vulpes, verum echinus unum magnum:* de quo proverbio vid. *Zenobius Centur.* V. 68. *ibique Andr. Schottus.*

V. 49. 50. και ὁ λεβης &c. convenit *Gud.* cum *Etym. MS. Biblioth. Reg. Pariſ.* ita enim habet. Και ὁ λεβης ὁμοιως εχινος. Καλλιμαχος. (ſic diſerte. Reg. καλλικην. In *Callimachi* nomine ſæpius erratum. V. *Bentl.* ad *Fragm. Callim.* p. 475. 103. 531. 252.) Εζηνται (male Leg. αξονται) δ' ουχ ἱππον αεθλιον, ου μεν εχινον βϱαδοκον· αντι τϰ λεβητα. Conf. *Erneſti* ad *Callim. Fr.* p. 530. 250. Quæ ſequuntur ex *Gud.* exulant, usque ad p. 405. 2. ειϱηται δε εχινος &c. quorum loco habet; ὁταν δε θαλασσιον, ὁμοιως απο τϰ εχειν εν ἑαυτῳ (editi ἑαυτον,) αφανων των σαϱκων ουσων, η εχινος κατ' αντιφϱασιν &c. ut in editis.

Cæterum alia adhuc de ipſa hac voce exhibet *Gud.* eum in finem proferenda, quo videant viri docti, quibus hoc datum eſt, num in *Ultraj.* etiam & *Reg. Pariſ.* quod nullus dubito, inveniantur.

Εχι-

Εχινος, το ζωον, παρα το συνεχειν ἑαυτο στρογγυλουμενον. Το δε θαλασσιον καθ' ὁμοιοτητα των ακανθων, και των ορνιθων, (an χοιρων?) κατα ποιοτητα σχηματος. Κακως δε Καλλιμαχος των βοων τας κοιλιας ειπεν.

Εχινος, διὰ τὸ ἰωτα, τῷ λογῳ των διὰ τὸ ινες περισπωμενων. Το δε εχινος πολλα σημαινει. τον θαλασσιον εχινον, και τον χερσαιον, τον λεγομενον ακανθοχοιρον. Εστι δε και ειδος χυτρας και λοβητος, και μερος γαστρος· ἡ παρα το εχειν πολυν εχινον· ἡ παρα το ανεχεθαι πλησιον αλληλων.

P. 588. 5. Μινθη. Fragmentum illud *Orphei*, quod ex *MS. Reg. Pariſ.* produxit *Ruhnkenius*, quodque editioni *Orpheorum Geſnerianæ* inſerendum curavit, in *Gud.* emendatius exſtat. Hic enim loco το Πρινιον, quæ vox nihili eſt, exhibet πριν εον Atque leviſſima hac mutatione inducta, αποσπασματιον hoc jam non amplius mutilum eſt: το πριν εον μεγα δενδρον επι χθονι, και φερεκαρπον.

V. 8. Μιθρον *Gud.* μινθον optime. Μινθος pro μινθη occurrit apud *Theoph. Hiſtor. Plant.* L. VI. c. 7. alibi. Indicante *Stephano in Theſ. indice*, v. Μινθα.

P. 740. 40. Ασωπον βαθυσχοινον. *Gud.* Ασωπον δ' ικοντο βαθυσχοινον· & ſic *Il.* IV. 383. Porro, quæ Cel. *Relandus* Lib. add. p. 212, ex *Ultraj.* promit, iisdem verbis in *Gud.* v. σχοινοφορος quoque exſtant. Obſervandum interim,

interim, vocem παραπαγγης, quam Vir doctiſſimus e ſerie *Perſicarum* eliminandam cenſet, & quæ in *Etymol. M.* editione principe, nec non *Turriſani* obtinuerat, jam a *Sylb.* rejectam, & in παρασαγγης mutatam eſſe.

V. 41. απο μεταφορας· ηγουν ἡ κατευθυντηρια καθετος. ηγουν ὁ ψαλμωδος φησι. κ. τ. λ. Notandum verba, απο μεταφορας, minime ad præcedentia trahenda eſſe: uti fit in tribus prioribus editionibus; noviſſimam nondum vidi. In eo enim, quod *Paraſange Perſica* dicatur σχοινος, nulla quidem ineſt metaphora. Diſtinguendum igitur cum *Gud.* qui poſtquam dixerat, ηγουν μετρον γεωμετρικον περσικον, ὁ ηγουν παρα περσαις παρασαγγης καλουμενος (M. ὁ —— καλειται, vel το —— καλουμενον) punctum ſtatuit. Pergit dein. λεγεται δε απο μεταφορας ηγουν ἡ κατευθυντηρια. Vocabulum hoc obvenit in *Brev. Schol. Il.* XV. 410. ubi vox σαθμη explicatur: quod ſcil. ſit inſtrumentum fabri lignarii, quo ligna dirigunturtur, κατευθυντηρια quoque appellatum: adeoque *amuſſis*. Quæ in *Sylb.* ſequitur vox καθετος, a viro doct. pro καθοδος ſuperiorum editionum ſubſtituta, omnino a *Gud.* abeſt, ſcribente, καθως ηγουν ὁ ψαλμωδος φησι. &c. Locus exſtat *Pſ.* CXXXVIII. 3.

P.

P. 512. 45. εν τοις αδοκιμοις εαυτων ονομασι. Rectius cum *Gud.* leges νομισμασι, quod & confirmat *Schol. Ariſtoph. Av.* 158.

P. 513. Κικις. In hac voce explicanda, edito uberior eſt *codex Gud.* cujus verba eo lubentius referam, quo digniora videntur, ut cum reliquis MSS. conferantur. Ait ſcil. κικυς ἡ δυναμις. Απολλοδωρος ικμας. Αλλ' ου γαρ οι ενηεις εμποδος ουδε τακτικοις. (Corruptiſſime. Quis enim crederet, carmen aliquod *Homeri* in his verbis latere. Lege interim ex *Od.* XI. 372.

Αλλ' ου γαρ οι ἑτ' ην ις εμποδος, ουδε τι (M. ουδ' ετι) κικυς.

Verum non amplius illi aderat vis firma, non amplius robur.

Miſere ſcil. *Homeri* carmina ab exſcriptoribus paſſim habita ſunt; cujus rei innumera exempla, ipſum *Etymologicum* ſubminiſtrabit. Sic verbi cauſa: p. 138. 34. ενθ' αρεθη διαειδεται ανδρα, ex *Il.* XIII. 277. legenda ſunt, ενθα μαλις' αρετη διαειδεται ανδρων. P. 279. 52. διχα φρεσιν ηνδανε βυλη, ex *Il.* XVIII. 510. coll. *Od.* III. 150. διχα δε σφισιν ηνδ. βυλη. P. 306. 35. καδδεισεν εν θαλασσῃ, ubi *Sylb.* haud ſcio an verius, inquit, καδδ' ἐισ' εν θαλαμῃ. Imo θαλαμῳ, ex *Il.* III. 382. P. 450. 2. εκβαντες επι θινα, ſine dubio ex *Od.* XVI. 358. reſtituendum, ubi ανσαντες εβαν επι θινα θαλασσης. *Ibid.* v. 36. θινι Φοινικοεντι, ex *Il* XXIII.

693. θιν' επι Φυκιοεντι. P. 458. 17. εξας ὡ θυμῳ μιγη φιλοτητι και ευνη, ex *Od.* V. 126. ᾧ θυμῳ ειξασα &c. *Ibid.* v. 18. ἑνα θυμον εχοντες και επιφρονα βουλην, ex *Od.* III. 128. ἑνα θυμον εχοντε νοῳ, και επιφρονι βουλῃ φραζομεθ'. P. 627. 30 H, και νεωτερον υἱον οπασσατο κυδος. ex *Il.* XIX. 238. H, και Νεσορας υἱας οπασσατο κυδαλιμοιο. Reliqua ut taceam, in aliud tempus reſervanda. Pergendum cum *Gudiano:*) απο τε ανακικυειν· πολυς δ' ανεκικυεν ἱδρως. (Leg. ανακηκιειν & ανεκηκιεν, ex *Il.* XXIII. 507. coll. VII. 262. ubi *Br. Sch.* το ανεκηκιειν explicant, ανεθορεν, ανεβαλλεν, ανιει. conf *Euſtath.* p. 680. 20. ſeq.) Και Αισχυλος εν Σισυφῳ· και θανοντων εισιν ουκ ενεσιγμασει, τα σοι δ' ουκ ενεσι κικις, ουδ' αἱμορρυτοι φλεβες. θανοντων φησιν αψυχοις. Και παρα πινδαρῳ· εσι δε τοι χεκων ακνει καπνος. (Inedita ſunt hæc *Aeſchyli* & *Pindari* fragmenta, abſque codicum ope haud facile reſtituenda.) ο' δε Ομηρος κατα τουναντιον τον αθενη ακικυν λεγει· νυν δε μ', εων ολιγος τε, και βτιθανος, και ακικυς (*Od.* III. 515.) Ο δε Αλκαιος, ὁμοιως Ομηρῳ τον ισχυρον (legendum puto, την ισχυν, reſpicit enim verſum *Od.* XI. 392. ſupra allegatum *Heſych.* κικυς, δυναμις.) κικυν καλει· και το κικιδιον, το εκθλιβομενον εκ τε κροτωνος λιπασμα. Hactenus *Gudianus*. Obſerva quæſo, verba και το κικιδιον &c. ad illuſtrationem τε κικυς nihil facere. Exciditne igitur vocabulum aliquod? Nihil certius. Inſere το κικι, quod

quod eſt fruticis ſpecies, *Crotoni* vel *Ricino* ſimile, ex quò *oleum Cicinum* exprimebatur. *Heſych.* Κικη, (L. Κικι,) Φυτον. *Suidas*, Κικι, ειδος ελαιου· ελαιῳ κικινῳ αναμιξαντες, *cum id oleo cicino miſcuiſſent.* Hujus plantæ, indeque expreſſi olei, meminit *Herodotus*, cujus verba omnino digna ſunt, ut recenſeantur. Ait p. 146. init. Αλειφατι δε χρεωνται Αιγυπτιων οἱ περι τα ἑλεα οικεοντες, απο των σιλλικυπριων τε καρπε, το καλευσι μεν Αιγυπτιοι Κικι, ποιευσι δε ωδε· παρα τα χειλεα των τε ποταμων και των λιμνεων σπειρουσι τα σιλλικυπρια ταυτα, τα εν ἑλλησι αυτοματα αγρια φυεται. Ταυτα εν τῃ Αιγυπτῳ σπειρομενα, καρπον φερει πολλον μεν, δυσωδεα δε. Τουτον επεαν συλλεξωνται, οἱ μεν κοψαντες απιπτουσι· οἱ δε και φρυξαντες απεψουσι, και το απορρεον απ' αυτε συγκομιζονται. Εσι δε πιον, ϗ ουδεν ἡσσον τε ελαιου τῳ λυχνῳ προσηνες· οδμην δε βαρεαν παρεχεται. Aegyptii *qui paluſtria accolunt, unguento utuntur ex fructu* Sillicypriorum, *quod appellant* Aegytii ΚΙΚΙ, *hunc in modum conficientes.* Sillicypria hæc, *quæ apud* Græcos *ultro agreſtia naſcuntur, ad labra fluminum ſtagnorumque* Aegyptii *ſerunt, eaque in* Aegypto *multum quidem fructum ferunt, ſed graveolentem. Hunc ubi collegerunt, alii frictum coquunt, & quod ex eo defluit excipiunt, pingue quiddam, & non minus ad lucernam idoneum quam oleum, ſed graveolentiam exhibens.* Conf. ibi

Weſſel. &, quem adducit, *Salmaſ.* ad *Solin.* p. 704. 705. το κικιδιον legere me non memini. Legendum citra dubium ex *Suidæ* loco add. & *Dioſc.* L. IV. c. 164. κικινον ελαιον, oleum quod ex *cici* fructu απεθλιβεται, exprimitur. Vid. *Steph. Theſ. ind.* v κικι.

Ex diſputatis abunde, puto, liquet, *Gudianum codicem* in emendando *Etymologico M.* operam præſtare minime contemnendam, modo quis eum diligenter excutere, varietatesque debita animi adtentione perpendere velit. Neque tamen in hoc ſolum illius conſiſtit uſus, verum et inſigne præbet auxilium, in reſtituendis integris articulis, qui ſive exſcriptorum incuria, ſive injuria temporis, ex codice, quem *Callier-gus* prelo commiſit, exciderunt. Neminem enim infitiaturum confido, una altera-ve de cauſa, plures titulos ex *Etymologico* exulare, qui modo reputat, omnem vocabulorum ſeriem, inde a verbo Μακρυνω ad vocem usque Μεγα, ut in antecedentibus jam monui, ex editis penitus excidiſſe. Commode hunc hiatum ſupplent codices *Gudianus* et *Ultrajectinus*, vocabulorum circiter centum, *Etymologico* inſerendorum, ſeriem exhibentes. Exſcribi illa meo rogatu et ad me deferri curavit, *S. Ven. Ravius*, quo ea commode cum *Gudiani* excerptis con-

conferre poſſem: quo facto non tantum, quod cuivis ſtatim in oculos incurrit, deprehendi, *Gudiano* ſimillimum eſſe *Ultrajectinum*, ſed et comperi, diligentem utriusque collationem, altero alterum emendante et illuſtrante, bono cum fructu poſſe inſtitui, adeoque ob inſignia, quæ inde redundatura ſunt, emolumenta, imprimis neceſſariam eſſe. Hoc ut pateat, allatis exemplis monſtrabo.

Μανια, μανον ελεγον το αραιον, ὡς και Αισχυλος· εμμανοις ϛυλοις επιπλοις· τϐτ· εϛιν αραιοις. (Similia habet *Ultrajectinus*, niſi quod verba *Æſchyli*, efferat, εμμανος ϛημοις πεπλοις. Vterque corrupte. Servat tamen *Ultraj.* veſtigia veræ lectionis rectius *Gudiano:* ut qui legendum puto, εν μανοϛημοις πεπλοις. *Heſychius* μανοϛημοις, αραιοϛημοις, eundem ſine dubio *Æſchyli* locum reſpiciens, ex Tragœdia, jam non ſuperſtite. Quod ſi quis pro αραιοις *MSS.* cum *Heſych.* αραιοϛημοις legendum eſſe contendat, illi equidem non refragabor. Μανοϛημοι ſive αραιοϛημοι πεπλοι, igitur erunt pepli, qui *raro* ſive *laxo ſunt ſtamine*. Vocabulum μανος idem eſſe quod αραιος, pluribus exemplis docuit *Ruhnk.* in *Tim. Lex. Plat.* p. 127. 1. quibus adde *Plutarch. Symp.* I. 6. p. 1109. *ed. Steph.* τα γαρ Φλεβια της γλωττης, (ὡς Πλατων Φησι,) μαλακα και μανωτερα

γωτερα οντα, συντεινει· *Venulas enim linguæ, (ut* Plato *ait,) molliores ac* rariores conſtringit. Locus. quem innuit, *Platonis*, exſtat in *Timæo*, p. 65. *C. D.* opp. T. III. ubi in editis (*Ald.* ſaltem et *Steph.*) quidem eſt, τα νοτερα, *humida:* attamen *Stephanus* in margine notat, legi quoque μανωτερα, *rariora:* atque ſic *Plutarchum* legiſſe, verba ex eo allata, indicare videntur. Apud *Suidam* μανοτερος (rectius cum ω ſcribitur,) exhibetur, absque addita explicatione. Suppleri poteſt ex *Cyrillo Brem.* μανωτερον, λεπτοτερον, κουφοτερον.)

Μανιαν, (*Ultraj.* Μαν αν ού, lego, μανιαν ουν, ut indicetur, verba hæc arcto cum præcedentibus nexu cohærere, accuſandique caſum venire a verbo ελεγον,) την αραιωσιν και χαυνοτητα των φρενων· αραιον γαρ το αθενες· κατα τουναντιον ουν αγχινους (*Ult.* και τουναντιον δε αγχινουν,) καλειται παρα συνεχεις (*Ult.* addito artic. το συναιχεις, ſic) και πυκνας εχειν τας φρενας και πινυτος, και αυτη ἡ συνεχησις, (ita uterque. Leg. puto συνεσις,) εϛι συγκλεισις, (*Ultr.* συμβλησις) και οἱον ἑνωσις, (*Ultr.* γνωσις) φρενων. (Conf. *Euſtath.* p. 1319. 12.)

Μαλεια, ονομα ορους· δια της ει διφθογγω γραφεται. Εὑρηται (*Ultr.* ειρηται,) και χωρις του ι ωτα, μαλεα· ὡς και παρ' Ευριπιδη. (*Oreſt.* 362. *Cycl.* 18. alibi. Conf. *Steph.* de *Urb.* v. Μαλεα,

λεκ, ibique *Berckel.* & *Pinedo :* it. *Duker.* ad *Thucyd.* p. 170. 80.) Ιστεον δε, ὁτι, ἡνικα μεν δια της ει διφθογγυ γραφεται, προπαροξυνεται, Μάλειαι· ἡνικα δε δια τυ ε μονυ, παροξυνεται, (*Ult.* οἱον) μαλέα, (*Ultr.* repetit, quod initio jam dictum erat, το δε μαλειαι, δια της ει διφθογγυ γραφεται· cujus generis monita, fere ubivis, in *Etymologicis* tam MSS. quam edito occurrunt, quo perpetua alioquin confusio, quam æquivoca diphtongorum & vocalium pronuntiatio necessario gignit, aliquantum evitetur. Μαλειαν igitur scribendum esse docet, non Μαλιαν· quod tamen occurrit apud *Strabon.* p. 916. fin. edit. *Amst.* 1707. Fol.)

Μαριλη (*Ultraj.* μαλιρη· Male.) σημαινει την κονιν, την γινομενην εκ τυ καταισβεννυσθαι τυς καρβωνας. (*Photius MS.* Μαριλη, ὁ χνους των ανθρακων, ηγουν ἡ απ' αυτων ασβολη· quod ex parte cum *Suida* & *Hesychio* convenit.) τα γαρ δια τυ ιλη μονογενη, μη οντα απο κραισεως, ηγουν μη εχοντα απο πλεοναισμου το ιωτα, αποτρεφονται την ει διφθογγον· οἱον σμιλη, το (deest artic. in *Ultr.*) σμιλιον· ιλη ἡ αθροισις, (*Ultr.* την ανθροισιν. Male) σπατιλη, το αποξυσμα, (*Ultr.* αποξυμα. Et hoc male.) των δερματων. Μη οντα απο κραισεως· ὁτι απο τυ ενδεια την ἑλην γινεται διελη, ηγουν κραισει δειλη· (*Ultraj.* ὁτι ενδεια το ἑλη, γινεται διελη ηγουν κρ. δ. Utrumque male.

V. *Etymol. M.* p. 261. 20. v. δειλη. *Gud.* eadem v. δειλη, δια της ει διφθογγυ γραφεται, παρα το ενδειν και ελλειπειν την ἑλην, ητοι την θερμασιαν, δειλη ουν φησι ἐσι δε κατα κρασιν των δυο εε, εις την ει διφθογγον, δειλη. Ex his igitur & *Gud.* & *Ultraj.* corrig. ſcil. απο τυ ενδειν την ἑλην γινεται δειλη, &c. Pergunt codices.) μη οντα απο των εχοντων το ιωτα· ὁτι απο τυ ἑλη, τυ σημαινοντος την θερμασιαν, γινεται ἑιλη, πλεονασμῳ τυ ιωτα. Προσκειται μονογενη, δια το δειλος, δειλη· χωρις τυ οφειλη, (*Ult.* addit, τυ σημαινοντος το χρεος,) και απειλη.

Μαραινω, παρα το αρης, ὁ σημαινει τον πολεμον, αραινω, καὶ πλεονασμω τυ μ, μαραινω· καὶ εις το μαρναμενος. *Gud. & Ulr.*

Μαργαριτης, μαρμαρυγη εκ ῥειθρυ. (Deeſt in *Gud.*)

Μαργος, ὁ μαινομενος, ου μη εσιν αρωγη· η παρα το εσερηθαι π εργαζεσθαι αγαθον, παρα το μη, (*Ult.* παρα την μη σερησιν,) καὶ το εργον· καὶ εις το ετυχθη.

Μαυλις, ἡ μαχειρα· και ισως ειρηται παρα το μαυρον, ὁ ἐσι το αμαυρον τη λαμπηδονι. Ὁτι δε ανευ τυ α λεγεται, σαφως (*Ultr.* σαφες. Recte.) παρ' Ησιοδῳ. Ρεια τε μιν μαυρυσι θεοι. (Locus *Heſiodi* eſt Εργ. 325. Conf. *Æſchyl. Agam.* 304.

Σθενυσαι λαμπας δ' ουδεπω μαυρυμενη.

Vale-

Valida lampas neutiquam obſcurata: ubi *Schol.* σημειωσαι, inquit, ὁτι απεβαλε το α, δια το μετρον.) Δημητριος δε, παρα το ὁμου αυλιζεσθαι τοις Φορβσιν, ὁμαυλις· αποπεσοντος ουν τε ο, εμεινε μαυλις. (Variant codices. *Gud.* ὁμαλις, vitioſe. *Ultr.* diviſim ὁ μαυλις, addens αποπεσοντος ουν τε ο μ, εμειναν αυλις Male. Legendum, uti exhibuimus. Conf. *Sch. Thucyd.* p. 6. 99. & *Suid.* v. Μαυλιας, ibique *Kuſterus.* Aliam vocis derivationem invenies apud *Euſtath.* p. 691. 55.)

Ματαιος. Παρα το ματος, ὁπερ ειρηται παρα την ατην, ματιος. ὡς Φιλος, Φιλιος, ἡ Φιλαιος, ούτω ματιος, αφ' ου ματια, καὶ ματαιος. ὡς παρα το θαλασσα, θαλασσιος, θαλασσαιος· καλλιμαχος· πολυθαλασσιων μανδοτερον επιδων. (Sic uterque codex miro conſenſu. Leg. cum *Erneſtio* V. Cl. πολυ θαλασσαιων μυνδοτεροι νεπιδων. multo mutiores piſcibus marinis. Vid. *Fragm. Callim.* p. 532. 260.) ὡς παρα την ὡραν, ὡριος καὶ ὡραιος. (*Ultr.* addit, Ὁμηρος· innuens *Od.* IX. 131.

Φεροι δε κεν ὡρια παντα.)

Atque ſic quidem facili negotio plura addere poſſem, niſi ſatis clarum eſſet ex dictis, *Gudianum* cum *Ultrajectino* codice mire convenire, & utrumque adeo ad illuſtrandum emendandum & augendum *Etymolo-*

mologicum M. eſſe poſſe perutilem; præcipue ſi, quod maxime optandum, etiam *Leidenſis* codicis diligens & accurata collatio inſtituatur. In præſenti igitur hic ſubſiſto, alia, favente ſummo numine, propediem daturus, in *Sylloge Emendationum* Etymologici M. *inque illud Obſervationum*, *ex* Homero, Apollonio Rhodio & Nicandro, græcisque eorum interpretibus, *petitarum.*

Exempla scripturae rarissimi Gudiani quondam, nunc Guelpherbytani codicis Etymologicon Graecum continentis.

I.



II.



I

II

III.



IV.



V.



BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA

CLASSIS SEXTÆ
FASCICVLVS SECVNDVS.

AMSTELODAMI & LUGDUNI BATAV.
Sumptibus Bibliopolarum
H. VIEROOT & JOA. LE MAIR.
MDCCLXVII.

VIRO

SUMME REVERENDO

ET

DOCTISSIMO

ELARDO WAGNER,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI,

ET APUD

BREMENSES

AD ÆDEM

D. VIRGINIS

V. D. MINISTRO FIDELISSIMO,
SUO QUONDAM,

DUM

BREMÆ, DULCI IN PATRIA,
SACRIS OPERABATUR,

COLLEGÆ,

OB ERUDITIONEM, PIETATEM,
CANDOREM, ET ANTIQUAM
FIDEM HONORATISSIMO
ET CHARISSIMO,

SEMPERQUE HONORANDO.

DECIMUM HUNC SEPTIMUM

BIBLIOTHECÆ

BREMENSIS NOVÆ

FASCICULUM,

OMNI QUA PAR EST OBSERVANTIA,

INSCRIBIT,

QUÆVIS FAUSTA ET SALUTARIA

ADPRECATUR,

ET UT

SIBI PORRO FAVERE PERGAT,

ET

EX LOCUPLETE IPSIUS PENU

BIBLIOTHECAM,

QUAM

AD CONTINUATIONEM

BIBL. BR. NOVÆ

PARAT

HAGANAM,

ERUDITIS SUIS SCRIPTIS INSTRUAT,

EXORNETQUE,

ETIAM ATQUE ETIAM

ROGAT

EDITOR

NICOLAUS BARKEY.

SYLLABUS CONTENTORUM

FASCICULI SECUNDI

CLASSIS SEXTÆ.

I. FERDINANDI STOSCH, *S. TH. D. & V. D. M.* Obſervatio *ad* JES. *XL.* 22. pag. 1

II. EJUSDEM Cogitationes *de Chriſto, ſigno, cui contradicitur ad* LUC. *II.* 34. pag. 11

III. JO. CHRISTOPHORI HARENBERGII, Stricturæ *in probra, quæ adverſus* JOANNIS APOCALYPSIN *leguntur in libro Dictionaire Philoſophique portatif, par Mr* DE VOLTAIRE *à Londres* 1764. 8. pag. 42

IV. JOANNIS THEOPHILI ELSNERI, *V. D. M.* Disquiſitio Exegetico-Critica, *qua de Auctore, occaſione, intentione & generali diſpoſitione* PSALMI *LXVIII. brevis conſpectus exhibetur.* pag. 99

VI.

V. JACOBI DE RHOER, *Philologi Daventrienſis*, Exercitatio *de Privilegiis ac jure Pontificis M. Romanorum in ſacerdotes urbis, deque ejusdem auctoritate in templa ac ſacerdotes provinciarum.* pag. 134

VI. JO. CONRADI FUESLINI, *Cap. Vitod. Camerarii*, Epiſtola *ad Nicolaum Barkey, de nova* ALEXIADOS *editione curanda & divulganda.* pag. 162

VII. HENRICI KOOKEN, *V. D. M.* Obſervatio *ad* ROM. *VII.* 8–12. *qua inquiritur in diſcrimen, quod intercedit inter* Νομον & Εντολην, *eoque conſtituto brevis eorum* §. §. *exegeſis datur.* pag. 172

I.

FERDINANDI STOSCH,

S. TH. D. & V. D. M.

REG. GYMN. JOACH. PROF. ORD. ET EPHORI, SOCIET. LAT. JEN. ET TEUTON. GOETTING. ET BREM. COLLEGÆ.

OBSERVATIO AD *ESAIAM XL. vs. 22.*

חוג הארץ הושב על

§. 1.

Descriptionem illam Dei, quam apud divinum vatem ESAIAM legimus *cap. XL. vs. 22.* חוג הארץ הושב על, excelsum quidvis & magnificum pandere, nemo veri nominis sacris initiatus non videt. Utrum tamen veram ejus sententiam ac vim interpretes hactenus adsequuti sint, addubito, operæque adeo

pretium exiſtimo, ut aliquanto curatius in eam inquiratur. Quod ut alii faciant, opto. Mihi ſymbolum tantum ad illius illuſtrationem conferre liceat.

§. 2.

Verbo ישב primam *ſedendi* notionem, ut video, hic tribuunt omnes. Per חוג הארץ, *circulum terræ*, *ſphæram* ſeu *globum noſtrum*, ſeu *terram figura rotundam* intelligunt. Conf. in primis magni ævi noſtri Theologi & Philologi, DAV. MILLII, *ontledende Verklaring van den CIV. Pſalm*, *p.* 95. In diverſas autem emblematis *Dei*, *ſedentis in ſphæra terræ*, abeunt explicationes. Alii monent, *ſedentis in terræ globo*, habitum ipſius divinitatis, aut, ſi mavis, Divinæ majeſtatis ſymbolum eſſe; de quo alia aliave adfert vir Clariſſimus, J. P. CASSELIUS, in *comment. I. de gloria J. C. in regno gratiæ ad Jeſ. VI:* 1–4. §. *IX.* Ipſum Romanum orbem id adoptaſſe legimus, qui Principes ſuos conſecratos, hoc eſt, in deorum numerum relatos, globo terræ inſidentes in numis repræſentabat. Vide numum ex TRISTANO *comment. hiſtor. Tom. I. comm. XXXI. med.* 3. repetitum ab elegantis, dum viveret, eruditionis viro, E. L. VRIEMOETO *obſ. ſacr. L. I. cap. VII. p.* 174. Atque hunc in ſenſum exponit GLASSIUS *rhet. ſacr. L. V. tract. I. cap. VII. p.* 1588. Alii volunt, eſſe

eſſe ſupremi in terras Dominii imperiique imaginem; quo potiſſimum tendit laudatus CASSELIUS *l. c. pag.* 32. Alii denique, Deum ut ſummum totius terrarum orbis Judicem ſic nobis exhiberi contendunt. Vid. *eundem comment. II. p.* 33. cujus obſervatis addi poteſt J. ARNTZENIUS *ad* PLINII *panegyr. p.* 42. Nec diffitendum eſt, venuſte ſatis hæc exornari, & non minus ſpecioſe ad nexum & ſcopum orationis Jeſaiæ accommodari poſſe.

§. 3.

Interim ſequentia adnotaſſe juvabit.

1. Verbum יָשַׁב rectius metonymica *habitandi* ſignificatione accipi hoc loco videtur; tum, quod eadem, conſentientibus Judæorum magiſtris, haud raro de Deo adhibetur, ut *Deut. XXXIII.* 26. 1 *Reg VIII.* 27. 2 *Paralip. VI.* 18. *Pſ. II.* 4. & κατοικεῖν *Act. VII.* 47. *XVII.* 24; tum, quia in hac ipſo, quem phraſis noſtra orditur, verſu bis eadem occurrit. וישביה ET HABITATORES ſeu INCOLÆ EJUS, nempe *terræ*, *velut locuſtæ*; *qui extendit velut conopæum cœlos*, *& diſtendit eos ſicut tentorium* לשבת, AD HABITANDUM.

2. חוג הארץ, *ambitus*, *circuitus*, *circulus terræ*, ſi de ipſo terræ globo vel ejus rotundi-

tate exponitur, hanc id videri poſſet creare difficultatem, quod Deum ſiſteret ipſi terræ inſidentem, aut in ea habitantem, indignamque adeo cœleſti majeſtate, de qua terrena cogitanda non ſunt, ideam exhiberet, *) aperte denique contradiceret ſacrarum literarum effatis, Deum in terra ſedere aut habitare diſerte negantibus. 1 *Reg. VIII.* 27. *An revera Deus habitaret* ישב *in terra? Prov. VIII.* 27. חוג על־פני תהום eſt ſane aliquid, extra hanc ſuperficiem; aut uti

3. Opponi quoque poſſet, eſſe potius, & vi ipſius vocis חוג, & vi conſtructionis, aliquid extra terram, quod eandem ambit ac circumdat, & על SUPRA quod Deus *habitare* dicitur; non ſecus ac e. g. *Ezech. XLI.* 7. מוסב הבית, *circuitus domus*, extra domum potius eſt, quam in domo; certe non domus ipſa, licet in ambitu ſuo conſiderata. Quo facit loci noſtri explicatio R. SALOMONIS B. MELECH. גלגל הסובב הארץ.

§. 4.

Alia aliave ad hæc reſponderi poſſe; facile

*) Perpendi tamen poteſt Ægyptiorum Harpocrates ſeu Sol, luto inſidens, ejusque explicatio apud CUPER. *Harpocr. p.* 9. *edit.* 1676.

cile animadverto. Sed liceat tamen inquirere, quid eſſe illud queat terra ſuperius, עַל SUPER quod Deus *habitare* dici poſſet. Eritne de Oceano cogitandum κοσμῷ ἐναγκαλίσματι? ut SECUNDUS, philoſophus adpellavit in *opuſc. mythol.* TH. GALE *p.* 635. & apud FABRICIUM *biblioth. Graec. vol. XIII. p.* 565. Ille quippe totam terram ambit. Huc facerent obſervata a magnis viris BOCHARTO & VITRINGA; ab illo in *Geogr. ſacr. L. 1. cap.* 36. *p.* 637, 638. ab hoc in *comment. Tom. II. ad h. l.* quibus aliqua addidi in *diſſ. de fundamentis terræ ad Jeſ. XL.* 21. §. 22, *) quibusve jam adhuc addo ORPHEUM *hymn. X.* 15. *LXXXII* 3. *p.* 200. 278. *Edit.* GESNERI, quem & vid. p. 421. PHURNUTUM *de nat. deor.* apud GALE *p.* 149. ÆLIAN. *var. hiſt. III.* 18. TACIT. *de morib. Germ. cap. I.* & TENNULIUM *in not. ad* AGATHEM. *geogr. p.* 77, 78. Verum conſiderari hic deberent iſta.

1. Terra ſine oceano conſiderata non eſt globoſa, ſed cum hoc demum conjuncta, fit globus, globus nempe terraqueus.

*) Quæ contra hanc exercitationem diſputavit CLUGIUS *de interpretatione prophetiæ p.* 31. ea tum manifeſto arguunt, eum illam non vidiſſe & cum umbra pugnare; tum non niſi ex hypotheſi dudum refutata unice profecta ſunt. Nulla ergo attentione digna ſunt.

2. Adeſtne aliud *Dei oceano inſidentis* exemplum? &
3. An apte ſatis hæc phraſis exponi & ad ſcopum Prophetæ adplicari poteſt? ſi minus; inanis omnino (utut erudita videri queat) eſt opera, qua veterum de oceano terram ambiente collecta loca cum noſtro Divini vatis dicto conferuntur.

§. 5.

Poſſetne ergo per חוג הארץ coelum ipſum intelligi? Certe

1. Coelum eſt magnum illud concavum terram undequaque circumdans. Hoc eſt ΤΟ ΠΕΡΙΕΧΟΝ ἡμᾶς ἅπαντας καὶ γῆν καὶ θάλασσαν, *quod ambit nos omnes & terram & mare*, uti STRABO deſcribit *geogr. L. VI. p.* 1104. EDIT. ALMELOVENII. Hoc itidem τὸν περιέχοντα τὴν γῆν ὄρανον DIODORUS SICULUS recte adpellavit *L. XL.* Conf. PHOTIUM *Cod.* 244. *p.* 1152. De hoc rectiſſime tandem PHURNUTUS *l. c. p.* 139. ὁ ὄραν@ ΠΕΡΙΕΧΕΙ ΚΥΚΛΩ τὴν γὴν καὶ τὴν θάλατταν καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς καὶ τὰ ἐν θαλάττα πάντα. Congruit HERACLIDES PONTICUS *edit. Baſil.* 1544. *p.* 337. ΕΓΚΑΛΙΖΕΤΑΙ γάρ ΈΝ ΚΥΚΛΩ περιέχων ὁ ἄιθηρ ὑφηπλόμενον αὐτῷ τ ἀέρα. & CICERO *de nat. deor. L. II. c.* 40, cui *ulti-*

ultimus & a domiciliis noſtris altiſſimus, omnia cingens & coercens coeli complexus audit. Quapropter etiam Geographi extremum circulum terram cum mari ambientem, coelum delineant. AGATHEMER. *geogr. L. I. p.* 25. ἐςω τοίνυν κύκλος ὁ ἑκτὸς νοούμενος ὡράνιος, ὁ δ' ἐντὸς τῆς γῆς σχῆμα. Adde *p.* 29.

2. Alia ſacrarum literarum loca noſtro ſatis conſona ſunt. *Job. XXII.* 14. וחוג שמים יתהלך & *ambitum cœleſtem*, ſeu potius, *ambitum, qui eſt cælum, perambulat.* Sic *Prov. l. c. circulus ſupra faciem abyſſi* eſt cœlum ipſum, ut videtur, aut ſaltem aer. *Abyſſi* nomine collato *Prov. VIII.* 28, 29. metonymice *mare* intellige. Maris autem tota ſuperficies cœlo, aut, ſi mavis, aere, circumdatur. Non minus *Job. XXVI.* 10. *terminus circinatus in ſuperficie maris* ad cœlum reſpicit.

3. In ſubſidium adduci poſſunt phraſes complures ſynonymæ; quando Deus (ut vidimus §. *III.*) *in cœlis habitare*, quando *gloria ejus ſupra cœlos eſſe* dicitur. *Pſalm. CXIII.* 5. quando θεὸς ἐν ὑψίστοις *Luc. II.* 14. Deus cœlorum, עליון, *altus, altiſſimus*, audit *Gen. XIV.* 18, 19, 20. *Pſ. IX.* 3. *Hebr. VII.* 1. *Apoc. XI.* 13; it. *Eph. IV.* 6. quando denique cœlum ut ejus domus, habitaculum,

thronus, deſcribitur. *Pſ. CIII. 19. 1 Reg. VIII. 39. 43. Amoſ. IX. 6. Joh. XIV. 2.* Conf. VRIEMOET *adnot. ad dicta claſſ. V. T. Tom. I. p. 149.* & HEUMANN *ſyllog. diſſ Tom. I. P. I. p. 198.*

4. Non minus advocari ad illuſtrationem poſſunt ſimilia gentilium de diis ſuis dicta. Jupiter, quoties Poëtarum principibus audit: ὃς ὑπερτατα δώματα ναίει, diique ὁλύμπια δώματ' ἔχοντες? Iidem non minus cœlum *ſedem* & *domum* deorum adpellitant. Ab APULEJO *de mundo p. 273. edit. Amſtel. 1624.* Deo *in alto reſidentis* epitheton tribuitur. De Minerva VIRGILIUS *Æneid. II. 615.*

Jam SUMMAS ARCES Tritonia, reſpice, Pallas. INSIDIT.

De re notiſſima plura, ſi opus eſt, ſuppeditabit celeberrimus SCHLICHTERUS *decim. ſacr. obſ. II.*

§. 6.

Rectius fortaſſis alii phraſin ex veteri Aſtronomia petitum, & גלגל הארץ Zodiacum eſſe, quem Sol perambulat, exiſtimabunt. Quæ ſi cui placeat ſententia, ſequentia veterum loca, in quibus de hoc & aliis circulis cœleſtibus agitur, ad illuſtrationem aliquid conferre poterunt; quæ, ut mihi occurrerunt, adſcribam. NONNUS PANOPOLIT.

Dio-

Dionyſ. L. XL. p. 683. *edit. Hanov.* 1610. Sol annum duodecim menſibus conſtantem ἐλίσσων κύκλον ἄγεις μετὰ κύκλον, *circumagens circulum ex circulo producis. Id. L. VI. p.* 92. Ἰσημερίῳ παρὰ κύκλῳ κύπρις ἀπὸ κριοῖο μετασήσασα κεραίης *æquinoctialem apud circulum Venus ab arietis digreſſa cornu.* & *Lib. XXXV. p.* 883. σηκίζω κατ' ὄλυμπον ἐοικότα κύκλον ἔρσῃ, *conſtituam in cœlo conſimilem circulum rori.* Nec non *Lib. XXXVIII. p.* 981. κύκλον ὅλον πλήσασα —— ζωδιακὴν ἀμφὶ νύσσαν ἀτέρμονα κύκλον ὀδεύω. *Circulum totum imples* —— *Zodiacam circa metam infinitum circulum ambulo.* Add. *L. XL.* Ἥλιε —ἱππεύων ἑλικηδὸν ὅλον πόλον αἰθοπι δίσκῳ. ORPHEUS *Apoſm. VII.* 23. ζώνη δ' ἄρ ὑπὸ ϛέρνων ἀμετρήτων φαινετ' ἐὴ ὠκεανῦ κύκλῳ, μέγα θαῦμ' ἐσιδέσθαι, *edit. Gesneri p.* 371. VETUS in HESIODI *Theogoniam* SCHOLIASTES *p.* 168. *a. edit. Venet.* TRINCAVELLI. τ ἰσημερινὸν κύκλον ὠκέανον, αἶμαι, καλεῖ διὰ τὸ ὠκέως τῦτον διέρχεσθαι τ ἥλιον. τὸς γὰρ τροπικὸς βραδέως διέρχεται. *Sphæra* EMPEDOCLIS *vſ.* 475. *apud* FABRIC. *bibl. Gr. L. II. c* 12. *p.* 482. ἐιποτέ τοι τῆμος ἡ ἀμφὶ Φρένας ἵκε τὸ θαῦμα σκεδαμένῳ παντῃ κεκασμένον ἐυρεῖ κύκλῳ ὄυρανον, *vſ.* 551. ἀμφὶ τῦτον ἴοντι κύκλον. *Ibid. Lib. III. c.* 26. *p.* 640. ex veteri poeta *de viribus herbarum.* Ἡελίῳ κοσμον τ ἀτέρμονα κυκλώσαντι. Caeterum de גלגלים ambientibus terram, inter Rabbinos vid. MAIMONIDEM *de fundamentis legis cap. III.* §. 1. *& ſeqq. Ed.* GU. VORSTII. *p.* 26.

Deus autem *circulo ſolari inſidens*, ſic non ſub Solis ipſius emblemate depingi credendus foret, quo alibi venit, ut *Pſ. LXXXIV.* 12. *Jeſ. LX.* 20. *Jac. I.* 17. Sed ſiſteretur ſupra ipſum ſolem, qui in hoc circulo rotatur, longe elatus. Num vero in ſpatio quodam ſupramundano? Putat. Cl. OETINGERUS in Cl. CLEMMII *nov. amœnit. liter. p.* 498. Judicent alii. Ego ſententiam non fero.

§. 7.

Quidquid ex his aliquis elegerit: obſcurum nemini eſſe poteſt, Divinam majeſtatem gentilium opponi idolis. Hæc imagines ſunt & ſtatuæ mutæ, ex terreſtri materia; ex terræ luto, formatæ. Ille cœleſtis, ſupra cœlum ipſum elatus. Quod pluribus non expono, quum, quantum ſatis eſt, id jam fecerim in *diſſ. cit.* §. *XII.*

II.

EJUSDEM COGITATIONES DE CHRISTO, SIGNO, CUI CONTRADICITUR AD *LUC. II:* 34. *)

§. I.

Singulari prorsus attentione dignissimum est pii optimique senis, SIMEONIS, *de Jesu, quem ulnis amplexus tenebat,* **) *infan-*

*) Editæ fuerunt hæ Cogitationes Programmatis formam referentes, anno 1759, dum Lingæ adhuc Doctoris munere dextre fungeretur Vir Eruditissimus mihique Amicissimus. Ex ipsius Cl. Viri nupera recensione eas *Benevolo* Lectori communico, & plures communicabo, volente Deo, quæ ob præclaram eruditionem erunt acceptissimæ. N. B.

**) Sic LUCAS c. II. 28. refert. Paulo aliter legitur in apocryphis, e. g. in evangelio infantiae ab

fantulo, effatum ac vaticinium, quod, ſibi parentibusque ejus de nato hoc Dei σωτηρίῳ gratulabundus, effudit, quodve hiſtoriæ Evangelicæ conditor, divus LUCAS, cœleſtis flaminis impulſu, ſcripto conſignatum reliquit. Οὗτος ΚΕΙΤΑΙ εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραὴλ, καὶ ΕΙΣ ΣΗΜΕΙΟΝ ΑΝΤΙΛΕΓΟΜΕΝΟΝ. *Hic POSITUS EST in lapſum & reſurrectionem multorum, & IN SIGNUM CUI CONTRADICITUR*, *) Nec defuit tanti momenti oraculo doctiſſimorum & in palæſtra exegetica exercitatiſſimorum virorum diligentia; qui diverſas plane (ut fieri ſolet) vias ingreſſi, eidem enodando ſuam naviter impenderunt operam. Ego eorum ſententiis ſive recenſendis, ſive examinandis, ſi immoratus non fuero: eo faciliorem me a lectoribus veniam impetraturum confido; quum WOLFIUS, **) SCHROEERUS, ***)

LI-

ab HENR. SIKE edito p. 15. CUM MATER EJUS ULNIS SUIS EUM GESTARET — — *Simon itaque propere ad divam Mariam accedens, & manus ſuas verſus illam extendens, dicebat domino Chriſto.* Rectiſſime vero Evangeliſta Simeoni ipſi hoc ingentis gaudii pariter ac tenerrimi adfectus indicium tribuit. Cf. quem etiam WOLFIUS ad h. l. laudat, JAC. LYDIUS in flor. ſparſ. ad paſſ. dom. p. 51. & JAC. ELSNER. obſ. S. ad Marc. IX. 36.

*) Luc. II. 34.

**) Cur. ad h. l.

***) Diſſ. theolog. ad h. l. Vitemb. 1734.

LILIENTHALIUS, *) HEUMANNUS, **) aliique plu es ***) in earum notitia comparanda abunde iis satisfacere queant. Refutandarum vero complurium, quae minus mihi probantur, interpretationum labore, quoniam brevitatis studiosus sum, plane supersedeo. Neque integra illa verba hac commentatione exponendi animus mihi est, sed ea tantummodo, quibus recens natus humani generis Sospitator, IN SIGNUM, CUI CONTRADICITUR, POSITUS esse pronuntiatur; quippe quæ minus, ac priora, hactenus discussa fuisse, animadvertisse mihi videor.

§. 2.

Plerique in eo consentiunt interpretes, quod in priore phrasi, qua Christus *positus* dicitur *in lapsum & resurrectionem multorum*, meta-

*) Bibl. Archiv. d. N. T. ad h. l.

**) Erklaer. des N. T. Tom. II. p. 79, 80.

***) JOACH. HARTMANNUS in disp. de vaticinio Simeonis. Rostochi 1744. CHRIST. SIGISM. GEORGI in Jesu circumciso in lapsum & resurrectionem multorum constituto. Vitemb. 1743. R. TOELAAR, DODDRIDGE, BRUCKER & BURKITT, comment. ad h. l. Prodiit etiam Lips. 1752. poema satis elegans, sub titulo: Christus gesetzet zu einem Zeichen, dem wiedersprochen wird; quod vero ad nostrum locum vix ac ne vix quidem pertinet.

metaphora a lapide petita ſit, cui ipſe comparetur; atque ea hinc conferunt ſacrorum pandectarum loca, in quibus haec comparatio plane manifeſta eſt: ut ſunt *Geneſ. XLIX.* 24. *Jeſ. VIII.* 14. *XXVIII.* 16. *Pſ. CXVIII.* 22. *Dan. II.* 34. 35. *Zach. III.* 9. *) *Matth. XVI.* 18. *XXI.* 42. *Marc. XII.* 10. *Luc. XX.* 17. *Act. IV.* 11. *Rom. IX.* 33. *Eph. II.* 20. 1 *Petr. II.* 6. 7. Et recte omnino; ſiquidem ipſa phraſeos indoles veluti manu unumquemque in hanc ſententiam ducere poteſt. Verum mirari maximopere ſubit, quod, ubi ad *ſigni* adpellationem perveniunt, iſtius metaphoræ ita ſtatim immemores fiant, ac ſi nunquam antea in mentem iis veniſſet; quodve adeo, aut dilutiori vocis ſenſui generali inhæreant, aut ſpecialem quendam indicantes, neſcio quam, frigidam certe, Divino vati εἰς ἄλλο γένος μετάβασιν, tribuant ipſique committant. **) In quibus omnium mi-

*) Judæorum quaedam, de Meſſia lapide, teſtimonia ad hæc V. T. loca citat cl. J. C. HARENBERGIUS in Miſc. Lipſ. nov. vol. VII. P. I. p. 4, 5. Add. WETSTEN ad Matth. XXI. 42. Primum omnium locum videri poſſet Simeon noſter in mente habuiſſe, atque adeo lapidem illum Iſraëlis veluti ὡρισμένον propius deſcripſiſſe.

**) Neque hanc evitavit FLACIUS, cujus ſententia alias non ex pejoribus eſt; videri nempe eſſe metaphoram a ſigno ſagittariorum, in quod omnes collineant ſuas ſagittas. Vid. clav. ſcript.

minime probandi illi mihi videntur, cum quibus fecit nuperrimus in Germania noſtra Lucæ interpres, venerandus HEUMANNUS; qui nempe σημεῖον nihil aliud, quam Meſſiam, ſeu Chriſtum ipſum, denotare contendunt. Quam parum conveniens priori tropo, quam ab eodem remota foret haec loquutio? Quam aegre congruit praedicatum κεῖται? Quam denique frigida oratio? *hic jacet* vel *poſitus eſt in Meſſiam.* Nonne tandem jam antea Meſſiam eſſe dixerat Simeon, eum Dei σωτήριον adpellans? *) Diceretne ergo aliud quid, quam (ἔτω) *hic Meſſias poſitus eſt in Meſſiam.* An poſtremo alicubi unquam vox σημεῖον Meſſiæ nomen eſt? aut nude poſitum eundem deſignat? Equidem provocat Vir clariſſimus ad explicationem ſuam loci *Matth. XXIV.* 30. ad quem, *ſignum filii hominis* ſignificare *filium hominis ipſum*, probaverit. **) Verum (ℵ) ponamus, hanc hujus loci veram eſſe interpretationem: quis non ingens inter

ſcript. s. P. l. h. v. p. 1139. (Elegantiſſimam, quae conferri meretur, hinc petitam allegoriam videſis apud LUCIAN. in Nigrino p. 42. edit. GRÆVII.) Qui vero egregium ſpecimen explicationis homileticae legendi avidus eſt, is adeat BRUNONIS ASTENSIS ſub EUSEBII nomine evulgatas homilias. Dominica I. poſt nat. Dom. f. m. 28.

*) Vſ. 30.

**) Repetit id ad Rom. IV. 11. *p. 162.*

inter iſtam noſtrique loci dictionem oculis cernit diſcrimen? Hic ſola vox σημεῖον; ibi quale σημεῖον ſit, propius ſtatim determinatur: ibi ex Heumanniana interpretatione vox σημεῖον abundat; *) hic ſine ea prorſus diceretur nihil: ibi denique σημεῖον illud φάινεται; hic κεῖται. Haec praedicata vehementer omnino differunt. Nec vero quaeritur, quid vocabulum σημεῖον alicubi ſignificare queat, ſed quid cum aliis conjunctum in integra phraſi ſignificet. Sed & (ב) vereor, ut Vir doctiſſimus locum MATTHÆI recte exponat. Rem acu tetigit, quando σημεῖον explicat, *objectum ſpectabile*, **) ſeu ut VITRINGA, ***) ad quem provocat, potius habet, *rem attentione & admiratione ſimul digniſſimam*. Jam, quemadmodum in eodem MATTHÆI capite ****) σημεῖον *adventus Chriſti & conſummationis ſeculorum*, certiſſime *objectum aliquod ſpectabile mirabileque*, ſeu *prodigium*, præſentem ejus adventum inſtantemque rerum finem indicans, denotat: ita in hac

*) Sic & nuper cl. PALAIRETUM explicaſſe video in ſpecimine lexici critici N. T. Sed bene hanc ſententiam refutavit, & longe probabiliorem dedit doct. J. G. S. BERNHOLDUS in progr. de ſigno filii hominis.

**) p. 396.

***) Anacr. Apoc. ad cap. XII. 1. XV. 1. Add. FABRIC. Bibl. Gr. vol. 1. p. 201.

****) Vſ. 3.

hac parallela phrasi, eadem ratione, σημεῖον *filii hominis* explicare præstabit, de prodigio quodam, advenientis filii hominis prænuncio. Idque divo auctore ipso facem nobis præferente, ad quam perspicacis ingenii virum cœcutiisse miror. Is enim *signum filii hominis*, tanquam præcedens, & *adventum ejus*, tanquam subsequens, probe distinguit. *Et tunc*, inquit α) *adparebit SIGNUM FILII HOMINIS, & tunc* β) *lugebunt omnes tribus terræ, &* γ) *videbunt FILIUM HOMINIS VENIENTEM in nubibus cum potentia* (vel *exercitu*) **) & gloria magna, &* δ) *mittet* — *&* ε) *congregabit, &c.* Similiter (non otiose) σημεῖον in statu regiminis occurrit *Matth. XII.* 39 *coll. Luc. XI.* 30. *Matth. XVI.* 3. 2 *Cor. XII.* 12.

§. 3.

Sed in viam redeamus. Qui animi sui sensa, non dicam eleganter & ornate, sed recte beneque exponere norunt: ii a tropo, a quo modo orsi sunt, non statim recedunt, &

*) Sic malui reddere. Intelligitur enim πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου Luc. II. 13. coll. Ps. CIII. 21. quo stipatus Christus veniet ad *judicium*, Matth. XXV. 31. Δύναμις sæpe pro exercitu, ut apud ISOCR. p. 132. 134. 140. edit. WOLFII.

& ad alium plane diverſum dilabuntur, ſed in eodem ipſo, quo cœperunt, pergendum ſibi eſſe exſiſtimant. Idem Simeonem noſtrum feciſſe, atque adeo ex ſerie orationis ejus, tropi continuationem, quam in ſcholis allegoriam vocare conſuevimus, non exſulare, tantum dubito, quantum qui omnium minime. Non, quod eum dictionem ſuam ad artis rhetoricæ præcepta ſtudioſe exegiſſe contendam; ſed, quod homines clare diſtincteque cogitantes, naturali quodam idearum nexu, non poſſint aliter cogitare, nec adeoque aliter etiam loqui. Jam vero, quum in priore phraſi, κεῖται εἰς πλῶσιν ἢ ἀνασασιν πολλῶν, metaphora a lapide petita ſit: poſterior, κεῖται εἰς σημεῖον, ex eodem metaphoræ fonte non minus explicanda eſt. Lapis loquentis menti obverſabatur; ad lapidem pertinente ſermone mentem exprimit. Quam adeoque ſi adſequi velimus, inveſtigandum eſt ejusmodi lapidum genus, quod σημεῖα nomine ſignificanter venire queat, & ſatis uſitato more apud ſcriptores veniat. Quo inveſtigato, quam apta, quamve plana & nervoſa ſimul ſit oratio, demonſtratu non erit difficile.

§. 4.

Et nunc ſponte veluti ſua uniuscujusque oculis ſeſe offerre mihi videntur *lapides* veterum

terum *viales*, quibus intervalla locorum signabantur, terminique viarum & milliarium distinguebantur. Antiquiores populos ejusmodi lapides habuisse, sicut hodie etiam multis adhuc tum orientis, tum occidentis in regionibus cernuntur, adeo notum exploratumque esse puto, ut notum exploratumve magis nihil esse queat. *) Quadruplex autem erat horum lapidum species. Aut enim unus tantum erat lapis, isque rudis, qualem natura produxerat; aut unus iterum, sed is effigiatus, artificioseque sculptus & ornatus, aut acervus quidam seu congeries lapidum, saxorum non adeo ordinate cumulata strues; aut denique lapides in columnarum pyramidumve seu turrium formam extructi, sive saxeæ sat magnæ altitudinis moles, non sine opera & arte eductæ & decoratæ. Hisce vero lapidibus, tanquam diis, Termino in primis seu Mercurio, divinos honores a superstitiosis gentibus exhibitos fuisse legimus. De quibus omnibus ne tædiosum alios exscribendi, sæpiusve jam dicta repetendi laborem suscipiam, nihil

*) Sat multa de iis congessit SCHRAMMIUS in Saxonia, monumentis viarum illustrata. 1726. 4. Memini etiam me alicubi legisse, quod M. PILARIK Lipsiæ 1712. de lapidibus Romanorum juxta vias positis disputaverit. Sed hanc disputationem videre non contigit.

addo, ſed conferri, præter alios, velim HIERON. SURITAM, *) OUZELIUM, **) TH. JANS. AB ALMELOVEEN, ***) G. J. VOSSIUM, ****) NIC. BERGIERIUM, *****) ejusque commentatorem, H. C. HENNINIUM, ******) J. BROUKHUSIUM, *******) P. ZORNIUM, ********) E. OTTONEM, *********) & HENR. CANNEGIETERUM, virum clariſſimum mihique amiciſſimum; **********) qui ſinguli partim data opera hoc argumentum tractaverunt, partim non contemnenda de eodem adtulerunt.

§. 5.

*) Præf. ad ANTON. itiner. edit. WESSELINGII p. 748.

**) Ad MINUC. FELICIS Octav. p. 15. & ſeqq. it. 185.

***) Specim. antiquit. e ſacris profan. p. 69.

****) De idol. gent. L. II. p. m. 474.

*****) De public. & militaribus imper. Roman. viis L. V. ſect. 39. & 43.

******) In theſaur. antiquit. Romanor. GRÆVII Tom. X. p. 782. & ſeqq.

*******) Ad TIBUL. L. I. eleg. I. p. 9. coll. p. 65.

********) Biblioth. antiqu. exeg. Tom. I. p. 177.

*********) De tutela viar. public. P. I. cap. II. & ſeq.

**********) In monumento Dodenwerdenſi expoſito, quod cum aliis quibusdam eruditiſſimis diſſertationibus edidit 1758. p. 258. Add. FABRIC. bibl. Gr. L. I. p. 84, 85.

§. 5.

Equidem dubitare aliquos intelligo, num lapides ejusmodi viales in terra Iſraëlitarum exſtiterint. Saltem magnum in hoc literarum genere nomen, cl. CARPZOVIUS, Judæos lapides viarum indices erexiſſe, plane negat, ac fruſtra eos eſſe pronunciat, qui hanc conſuetudinem Hebræis tribuunt. *) Sed mihi quidem fruſtra id negari, fruſtraque de eo dubitari videtur. Non quidem certo adfirmare auſim, quod non injuria tamen conjici poteſt, naturam ipſam, neceſſitatis quadam lege, ejusmodi lapidum poſitionem erectionemque, quum paucæ adhuc & procul diſſitæ eſſent urbes, manſiones in viis nullæ, antiquiſſimos mortalium edocuiſſe. Nec dicam, vix ullam eſſe gentem, hiſtoriarum monimentis celebratam, in qua non aliqua eorum reperiantur veſtigia. Nec denique Ægyptios in primis, Arabas **) ac Perſas, ***) Iſraëlitarum vicinos, commemorabo, quibus conſuetudinem iſtam

*) Adparat. hiſt. crit. ad antiq. s. cod. p. 679.

**) Hinc apud hos, docente GOLIO lex. Arab. Lat. fol. 2378. & ſeq. res erecta, ſtatua & viae index, eadem adpellatione veniunt.

***) Horum ipſa vox, paraſanga, hinc dicta videtur RELANDO diſſ. miſc. P. II. p. 212.

minime incognitam fuiſſe conſtat. *) Verum 1) tempore nati Chriſti, quo Judæa Romanis parebat, horumque militum præſidiis ea oppleta erat, hi denique variis itineribus eandem pertranſierant pertranſibantque, lapides viales ſat magno numero fuiſſe erectos, dubium nemini eſſe poterit, qui eorum mores non ignorat, eaque præſertim, quæ laudati duumviri, BERGIERIUS ac HENNINIUS de publicis & militaribus Romanorum viis commentati ſunt, non obiter perlegerit. Quamvis itaque, Hebræis ipſis hanc conſuetudinem non fuiſſe, largiremur, ignota tamen iisdem eſſe non poterat, quippe in quorum, licet fortaſſis renitentium, unice regione Romanos tales lapides non ſtatuiſſe, nulla credere jubet ratio. E contrario expoſita ante oculos ſunt eorundem veſtigia *Matth. V.* 41. *Qui te adegerit,* μίλιον *MILLIARE unum, abito cum illo duo.* Hæc ipſa enim viæ intervalla, quæ lapidibus diſtinguebantur, *milliarium* (quam ipſam vocem Syriaca etiam verſio retinuit) nomine adpellabantur. Præterea JOSEPHO, Judaicas ſub Romanorum imperio res deſcribenti, ſpatia locorum per ſtadia numerare ſollemne eſt. **) At vero ſtadia plura columnis ſignari

*) Conf. OTTO l. c. cap. II. & III.

**) e. g. Ant. Jud. L. XV. c. 9. XVIII. 14. XX. 6.

nari ſolebant. *) Unde has in Palæſtinæ viis publicis omnino fuiſſe erectas, non immerito concluditur. Sed & idem alibi **) πύργος ξυλίνος ἢ μεσοπύργια commemorat, ab Alexandro in bello cum Antiocho, per centum quinquaginta ſtadia inde ab Antipatride usque ad mare Joppenſe, diſpoſita. Denique EUSEBIUS, eumque ſequutus HIERONYMUS, diſcrimina locorum in terra ſancta, non aliter atque *lapidibus* notare ſolent. ***) At vero 2) etiam non video, quo jure quave de cauſa contemnenda rejiciendaque ſint magiſtrorum recutitæ gentis ipſorum diſerta hac de re teſtimonia. Nunc vero, quod & ipſe CARPZOVIUS alibi ****) ex MAIMONIDE *****) obſervare non neglexit, tradunt iſti, in viis ad aſyla, ubicunque iſtæ in bivia ſcinderentur aut trivia, properantis fugam אִיסְטְלִיוֹת, σύλας, *Hermas*, quibus

 con-

*) Vid. §. VI. ſub. fin.

**) L. XIII c. 23.

***) Conf. not. ad §. VI.

****) p. 340.

*****) Hujus fidem in antiquitatibus Judaicis quodammodo ſuſpectam eſſe ERDM. GOTTFR. CAMENZIO in diſſ. 1716. Vitembergæ habita, contendenti & c. SCHOETGENIO ap. WOLFIUM in bibl. Hebr. Tom. IV. p. 917. ei adſentienti, equidem largior. Ubi tamen alios ſuæ gentis non ſolum ſibi non contradicentes, ſed & e contrario conſentientes habet, profecto non temere contemnendus eſt.

conſpicuo charactere מקלט, מקלט, *refugium*, *refugium*, inſcriptum erat, direxiſſe. Videſis præterea FAGIUM; *) LIGHTFOOTUM **) & SCHOETGENIUM. ***) Nec minus *Levit. XXVI.* 1. magiſtri אבן משכית exponunt per *Markolis*, hoc eſt, *ſtatuam Mercurialem*, *quae ſecundum vias ponebatur*; ****) ſicut etiam *Prov. XXVI.* 8. eandem eosdem intelligere notum eſt. *****) Licet vero jam, eos in utriusque loci explicatione falli, viris doctis concederemus, (concedimus autem minime), in eo tamen, quod ſupponitur, Mercuriales nempe lapides viales in terra Cananæa non fuiſſe ignotos, nullam, cur eos itidem falſos fuiſſe dicamus, rationem video ſufficientem. Sed & 3) ſunt loca veteris teſtamenti, quæ clarius meliusve, quam

*) Ad Num. XXXV. 6.

**) Opp. Tom. II. p. 208.

***) Diſſ. II. de inſcript. Hebr. §. XV. Lipſ. 1716. Add J. H. OTHONIS Lex. Rabb. philol. edit. cl. J. F. ZACHARIÆ p. 66. 67.

****) Conf. MILLII diſp. de ſtatuis & lapidibus idolol. §. XIV.

*****) Conf. auctores a ZORNIO l. c. p. 181. & HARENBERGIO in Muſeo Brem. vol. I. P. I. p. 140. citatos. Judicari ſimul velim, num aliorum ſententiæ apud hunc p. 135. & FESSELIUM adv. ſacr. Tom. II. p. 56. nec non STRODTMANNUM, Uebereinſtimmung der Alterthumer der alten Deutſchen mit den Bibliſchen p. 210. Rabbinica meliores ſint.

quam de lapidibus iſtis vialibus exponi non poſſunt. Refero huc א) locum modo citatum *Levit. XXVI* 1. In hoc enim α) ſicut praedicata תקימו in priore, & תתנו in poſteriore, ſynonyma ſunt, ita & ratio ipſa, & phraſis Hebræis uſitata ſuadent, ut ſubjecta מצבה & אבן משכית non minus ut ſynonyma capiantur, atque adeo, ut fit in propoſitionibus exergaſticis, una vox alteram illuſtret, propiusve explicet. Jam vero מצבה, σήλην, *ſignum*, *monumentum*, *ſtatuam*, *columnam*, denotat, atque adeo ex ipſius viri magni mente, *) *lapis ſive cippus idololatrici cultus cauſa erectus* indigitatur. Atque probe idem deum Terminum huc refert. Hic vero deus Terminus non alius fuit, ac Mercurius, idem ille lapis & deus terminalis, idem ille *lapis & deus vialis* Unde quid rectius, quam משכית derivare a שכה? & *lapidem proſpectus* ſeu *indicem*, λίθον σκοπὸν (ut habent ſeptuaginta interpretes) interpretari? hoc eſt, talem, cujus ope vias conſpicere datur, qui, ut ipſe in vias proſpicit, ita eas oſtendit. Nihil profecto! minus, quo minus id faciamus, impedire nos poteſt, quam, quod vir celeberrimus obvertit, **) dici hunc lapidem poſitum להשתחות עליה *ad adorandum eum.* Lapi-

*) §. V.
**) §. XV.

des enim illos viales *adorationis objectum* fuiſſe, nondum oſtenſum ſe vidiſſe, quod dicat, plane miror. Mercurii nempe, aut aliorum quoque deorum numine inhabitari credebantur, ſicque cultu religioſo cum maxime adficiebantur. Quod nemo eorum quos ſupra laudavi, auctorum, non oſtendit. *) Quis vero etiam, β) negaverit? phraſin בארצכם, *in terra veſtra*, hac explicatione admiſſa, non tam vago & diluto, ſed magis determinato & emphatico, ſenſu ſumi, ſiquidem illi lapides *in terra* proprie ſic dicta, non in lucis, templis, ædibus, &c. ponebantur. Refero huc ב) 1 *Sam.* XX. 19. ubi האבן האזל *lapis itionis*, ſive *itineris*, ipſa ſua adpellatione ſe *viae indicem* ipſe indicat. **) Quod uti, ſyntaxi minime repugnante, FLACIUS, LYRANUS, PAGNINUS, SCHINDLERUS, SANCTIUS ***) aliique jam dudum recte agnoverunt: ita obſervatu dignum eſt, lapidem hunc non nunc demum a Jonathane & Davide hoc nomine, tanquam proprio, inſigniri, ſed communi notaque

*) §. IV. Vid. modo unus cl. OTTO cap. II. ad XIV.

**) Non minus clare profecto! ac יגר שהדותה, & גלעד *acervus teſtimonii Geneſ. XXXI.* 47. acervum, qui teſtimonium fœderis inter Labanem & Jacobum initi eſſe debebat, de quo conf. SCHULTENS inſtit. ad fund. lingu. Hebr. p. 4.

***) Vid. POLI ſynopſ. ad h. l.

taque denominatione ſic adpellari. *) Nec obſtare mihi ita ſentienti poteſt, quod JOSEPHUS **) hunc locum deſcribat, τόπον τῆς πεδίας ἐν ᾧ γυμναζόμενος διετέλει, *locum agri, ubi* (Jonathan) *exercere ſe ſolebat*, nempe *jaculando.* Alter hiſtoricus ex altero ſupplendus. In hoc *agri loco* erat *lapis ille vialis*, qui ipſe ſimul Jonathani eſſe ſolebat מטרה, ***) σκοπὸς, ****) *lapis, in quem ſe exercitu-rus ſagittas conjicere ſolebat.* Refero huc נ) lapidem *Zocheleth*, ubi Adonijah ſacrificavit 1 *Reg. I.* 9. quippe quem compitalem fuiſſe, ſacrificium ipſum, quod in compitis fieri ſolebat, arguit coll. *Ezech. XXI.* 21, 22. *****) Cippum item ד) in termino Ægypti, qui in *ſignum* & teſtimonium futurus erat Jehovae *Jeſ. XIX.* 19. ******) Lapides nempe terminales, etiam viales eſſe, atque hi præcipue in urbium regionumve terminis ſtatui ſolebant. *******) Nec

*) Poſſet etiam præfixum ה demonſtrative reddi: juxta lapidem illum itineris illius. h. e. qui illam, quam digito oſtendebat, viam monſtrabat.

**) Antiqu. Jud. L. VI. c. 12.

***) Vſ. 20.

****) JOSEPH. l. c.

*****) Conf. STRODTMAN. l. c. p. 186.

******) Vid. præter VITRINGAM ad h. l. DEYLINGII obſ. s. P. V. p. 106.

*******) Conf. OTTO l. c. P. I. c. II. p. 35.

Nec minus ה) *lapides coronatos*, quorum *Zach. IX.* 16. *) mentio fit; qui ſcilicet, ut totidem ſecuritatis publicæ teſtes, tutæ certæque viæ indices erigendi dicuntur, & quidem *in terra*; quive vel hac ipſa adpellatione *coronatis* illis, ut LUCIANUS & MINUCIUS vocant, Mercurialibus lapidibus, ſecundum TIBULLUM, *florida ſerta habentibus*; aut quos, ex PRUDENTII phraſi, *cingere ſueverat error faſceolis*, ſeu quos, ut tandem exponit SICULUS FLACCUS, *laminibus & coronis ornabant*, oppoſiti eſſe non injuria exiſtimari poſſunt: **) Sed hæc nunc ut fuſius exponam, ſcripti hujus ratio non permittit. ***)

§. 6.

*) De terminalibus lapidibus etiam SANCTIUS hic jam cogitavit; neque hanc ſententiam prætermiſit MARKIUS com. ad h. l.

**) Aliis §. IV. laudatis addi poterit ZORNIUS diſſ. de cippis ſanctis apud vet. Hebr. in Miſc. Lipſ. nov. vol. V. P. IV. p. 610 not. 17.

***) Quidam huc quoque referunt עינים *Geneſ. XXXVIII.* 14. *Num. X.* 31. *Zach. III.* 9. Videri etiam poſſet Deus Iſraëlitis in deſerto itineris ducem ſe præbens, ad columnarum vialium modum, nubem & ignem in columnam efformaſſe; potius, quam, quod vult HUETIUS demonſtr. Evang. prop. IV. c. 48. hanc nubis & ignis columnam ſacris columnis vialibus anſam præbuiſſe.

§. 6.

Tales jam porro lapides, ab ipso, quem præstabant, usu, vias nempe signandi, seu terminos ac intervalla earum commonstrandi, *) σημεῖα, *signa*, adpellati fuerunt. Quod uti BERGIERIUS **) & OTTO ***) recte adfirmant, sed sine ullo adlato exemplo: ita nunc aliis aliisve exemplis a nobis comprobandum est. Ex sacris huc pertinet *Jerem. XXXI* 21. הציבי לך ציונים שמי לך תמרורים. *Statue tibi SIGNA, pene tibi PYRAMIDAS.* Jam dudum est, quod ציונים. *signa, monimenta*, alii cum JUNIO interpretes reddiderint *Hermas.* Quae quid aliud sunt, quam *statuae Mercuriales in viis erectae*, seu *lapides viales?* quos etiam CALVINUS, VATABLUS, GROTIUS, ALTINGIUS, COCCEJUS ****) & HILDEBRANDUS *****) intelligunt. Altiores autem

*) Huc fortassis respexit Apostolus 1 Cor. X. 4. quando ipsi Christus nomine ἀκολουθούσης πέτρας venit, pyramidis veluti vialis instar, perpetuus fidusque viæ commonstrator. Judæi, petram a Mose percussam devolvisse se & ambulasse cum Israëlitis tradunt. Conf. J. SAUBERTI diss. de serpente æneo §. III. & TH. HASÆI diss. de lapide fundamenti p. 26.

**) p. 503.

***) p. 362.

****) Ad h. l.

*****) Antiq. ex S. S. select. p. 89.

autem columnas, ſeu pyramides viales denotari, tum ipſa ſynonymica phraſis probat, tum COLERUS *) & MUNKERUS **) probe oſtendunt. Idem obtinet in loco *Job.* XXI. 29. הלא שאלתם עוברי דרך, ואתתם לא תנכרו. *An non interrogaſtis tranſeuntes viam, & SIGNA eorum non agnoſcetis?* Quem MERCERUS, COCCEJUS ***) & FESSELIUS ****) de lapidibus viarum indicibus merito exponunt. Eundem loquendi modum apud Arabas obtinere, obſervatum video a venerabili VRIEMOETO, *****) docente, *illos ſignum* in viis dicere ſolere, loco ſtatuae Mercurialis, aut ad terminos regionum finiendos. HERODIANUS, ******) ut ad Græcos ſcriptores pergamus, ἐντὸς ἑκατοστοῦ ΣΗΜΕΙΟΥ ἀπὸ τῆς Ῥώμης dixit, hoc eſt, *intra centeſimum ab urbe LAPIDEM.* Idem alibi *******) σημεῖα ἑκκαιδέκα nominat. Apud EPIPHANIUM, ********) *Canobus quoque, Menelai gubernator, cum uxore Eumenuthi, ad Ale-*

*) Biblioth. Theol. Tom. IV. p. 800.
**) Illuſtr. S. S. ex itinerar. a. b. ESKUCHIO edit. p. 79. 80.
***) Ad h. l.
****) Adverſ. S. L. V. c. VII. p. 458.
*****) Adnot. ad dicta claſ. V. T. Tom. I. p. 78. Add. GOLIUM l. c.
******) L. II. c. XIII. §. 18.
*******) L. VIII. c. IV. §. 2.
********) In Ancorato §. CVIII. opp. Tom. II. p. 109. edit. PETAVII.

Alexandriam ſepulti, prope litus, ἀπὸ δεκαδύω ΣΗΜΕΙΩΝ, *DUODECIMO AB URBE LAPIDE, divino cultu conſecrantur.* PLUTARCHUS porro, quando *) πλοῦ ΣΗΜΕΙΑ ϰ᾽ ὁδὸν διαφθείρειν, fas non eſſe, ſcribit, quid aliud per σημεῖα ὁδοῦ, quam *lapides viales* intelligit? ſuus certe optimus ipſe interpres eſt, quando in vita Caji Gracchi **) κίονας λιθίνας. *columnas lapideas*, ab iſto in ſtadiis locatas, ΣΗΜΕΙΑ τῶν μέτρων, *ſpatii ſigna*, adpellat, additque: *alios lapides modicis inter ſe intervallis hinc inde ſecundum viam diſpoſuit.* Præcipue huc faciunt EUSTATHIUS, ***) Ἑρμαίους λοφους adpellans ΣΗΜΕΙΑ ΟΔΩΝ, & *SCHOLIASTES THUCYDIDIS*, ad hujus verba: ****) οἱ Πελοποννήσιοι — ἀπὸ ΣΗΜΕΙΟΥ ἑνὸς ἄφνω ἐπισρέψαντες, notam adſcribens: τὸ δὲ σημεῖον, ἀντὶ τοῦ μιλίου. Quibus verbis manifeſte docet, videri ſibi σημεῖον hic denotare, *monimentum ad miliaris indicium poſitum.* Addo EUSEBIUM *****) ἐν πεντεκαιδεκάτῳ ΣΗΜΕΙΩ πρὸς αὐτῇ τῇ λεωφόρῳ; quod HIERONYMUS vertit *in XV. lapide juxta viam publicam.* Nec deni-

*) Sympoſ. L. VII. opp. Tom. II. p. 703. edit. Wechel. 1620.
**) Tom. I. p. 838.
***) Ad Odyſſ. π. vſ. 11.
****) L. II. c. 91.
*****) Onomaſt. V. Ἀσήρ. q. l. debeo cel. WESSELINGIO ad itiner. Hieroſ. p. 587. vid. & 589.

denique plane abludunt ab ALMELOVEENIO *) jam adducta CEBETIS verba, **) de quadrato ſaxo, cui veritas inſidet: ΣΗΜΕΙΟΝ, ὅτι ἀσφαλὴς τε καὶ βεβαία ἡ πρὸς αὐτὴν ὁδὸς ἐστι τοῖς ἀφικνουμένοις. *Indicio eſt, viatoribus viam eſſe tutam & firmam.* Ab hac tandem notione petita eſt, POLYBII ***) phraſis τᾶντα γὰρ νῦν βεβηματίσαι καὶ ΣΕΣΗΜΕΙΩΤΑΙ καλῶς σταδίους ὄκτω διὰ Ρωμαίων ἐπιμελῶς. *Haec enim* (intervalla) *jam curate dimenſi ſunt & SIGNARUNT Romani per octona ſtadia.* Eadem non minus loquendi ratio apud Latinos, obtinet. Notus eſt AMMIANI MARCELLINI locus. ****) *Et quoniam a loco unde Romana promota ſunt SIGNA, ad usque vallum Barbaricum quarta leuca SIGNABATUR & decima, &c.* Plura non colligo.

§. 7.

Vocis itaque ſignificatione ſatis, ut putamus, adſtructa, conſideremus nunc in textu noſtro Servatorem ſub hoc *lapidis vialis*

*) l. c. 598.
**) p. 200. edit. Rudolſt.
***) Hiſt. L. III. c. 39. Cf. CASAUBONI not. ad STRABONIS geogr. p. 497. edit. ALMELOVEENII. Huic ὁδὸς βεβημαπισμένη κατὰ μίλιον καὶ καπηλωμένη audit.
****) L. VI. p. 82. edit. LINDENBROGII 1609.

lis emblemate. Quam ſcite huic convenit prædicatum κεῖται, *) reſpondens τῷ τιθεῖς 1 *Petr. II.* 6. *Rom. IX.* 33. **) *Jacet* viatorum omnium oculis conſpicuus; *poſitus*, *conſtitutus* eſt a Deo Patre rectæ viæ monſtrator. Quam apta metaphoricæ phraſeos continuatio! jacet *in lapſum & in reſurrectionem*, velut lapis, ad quem incautus viator impingens facile prolabi, ſed cujus ope eidem innitens erigi quoque poteſt. Certe hæc de quovis lapide dici non poſſunt, & angulari ſeu fundamentali ***) (ad quem alii

*) Idem verbum de lapide terminali adhibet JOSEPHUS antiquit. Jud. L. IV. c. 8.

**) Conf. *Judæ* 7. πρόκεινται δεῖγμα coll. 2 *Petr. II.* 6. ὑπόδειγμα πεθησῶς. POSUIT Deus illas urbes tanquam ſignum evidens & exemplare, μνήμειον ut eſt. *Eccleſiaſtic. X.* 7. Simili ferme modo res diis dedicatæ, atque adeo in templis eorum publice expoſitæ, dicuntur κεῖσθαι. e. g. in anthol. a REISKIO in Miſc. Lipſ. Vol. IX. P. III. edita p. 462, 463, 469. Cæterum de hoc verbo dignus eſt, qui conſulatur, cl. HOGEVEEN ad VIGER. de idiotism. Ling. Gr. p. 202.

***) Non indignum hic notatu exiſtimo, jam olim JUSTINUM MARTYREM, adpellationes *lapidis* & *lapidis angularis*, Chriſto tributas, probe diſtinxiſſe, Dialog. c. Tryph. f. m. 82. a. Et David & LAPIS apud multos — — rurſum apud Eſaiam, qui & virga, flos, LAPIS ANGULARIS vocatur.

alii reſpiciunt) minus conveniunt, omnium optime autem viali; de quo ARNOBII phraſis conferri meretur. *Ut tam luculento die in LAPIDES eos patiaris IMPINGERE, effigiatos ſane & unctos & coronatos.* Quam pulcra porro in oratione gradatio! Lapidi primo comparatur Chriſtus, εἰς πλ. κ. α. ſed non lapidi ſolum, verum etiam excelſo & admirabilis ſtructuræ monimento in cujusvis oculos incurrenti. σημ. Quam congruenter deinde dictum verbo Prophetico! א) *Jeſ. VIII.* 14. 15. 18. ubi eadem prorſus gradatione, ſeu incrementi figura, Meſſias, poſtquam ut *lapis percuſſionis* & *petra offenſionis*, qui multis in ruinam futurus eſſet, deſcriptus fuerat, mox *ſignum & prodigium*, *) ſeu miraculoſum indicium in Iſraële adpellatur ב) *Jeſ. XXVIII.* 14. quem locum ex ſeptuagintavirali verſione exhibere lubet. Εξαι σοι εἰς ἁγιασμὸν, ἢ ὄχ ὡς λίθῳ προσκόμματι συναντήσεσθε, *OBVIAM IBITIS*, ἔδε ὡς πέτρας πλώματι. **) Quam egregie tandem Chriſto ipſi

*) Recordor hic lapidis, quem Jupiter in terram defixit ΣΗΜ' ἐμεν ἐξ ὀπίσω, ΘΑΥΜΑ θνητοισι βροτοισι, MONIMENTUM ut ſit in poſterum, MIRACULUM mortalibus hominibus, apud HESIOD. theogon. 500.

**) Equidem cel. VRIEMOETO apertum ſatis videtur, præter lapidem fundamenti nihil poſſe monſtrari, quo per literam allegoricæ phraſios iſtorum Jeſaiæ locorum commode poſſit alludi. Vid.

ipſi *hoc* emblema convenit! Quam lucida imago eſt ejus, quem Deus miſit, ut pacis, juſtitiæ ſalutisque viam mortalibus monſtraret; ejus, quo ſolo duce, recta ad cœleſtem patriam tendimus via; ejus, qui ipſe *VIA, veritas & vita eſt. Joh. XIV. 6.* *)

§. 8.

Aſt, ais, non æque convenit ejusmodi viæ monimento prædicatum, ᾧ ἀντιλέγεται. Qui enim lapidi? qui ſigno muto in via poſito contradici poteſt? Reſpondeo. א) Cur de hoc ſigno non æque id dici poteſt, ac de aliis cujuscunque generis ſignis? quippe non minus mutis. Sed & ב) contradicitur omnino monimento viam ſignanti, quoties illud a tranſeuntibus quovis modo carpitur, *recte ſatis poſitum eſſe negatur, non ſatis certo tutove viam oſtendere, non firmiter* exſtructum, *non* affabre fabricatum, non pulcre ſatis ſculptum & ornatum eſſe, ſpatia non recte notare, aut ſimili modo taxa-

 tur.

Vid. adnot. ad dicta claſſ. V. T. Tom. II. p. 137. Judicent tamen alii, an non clarior & commoda magis ſit ad lapidem vialem alluſio.

*) Etiam h. l. cum ſignis vialibus conferunt ALMELOVEEN l. c. & BRUNINGS comp. antiquit. Græc. e ſacr. prof. p. 226.

tur. Contradicitur ei, quoties de eo inter viatores controverſia eſt & diſputatio, *) num fidendum illi, num feſſis tutum præſtet viæ intervallum, & quæ ſunt ſimilia. Nec a) a veritatis ſpecie abludit, quodammodo inſoliti aliquid hic dici. Saltem non contemno, quod BENGELIUS adnotat: *Einem Zeichen weicht ſonſt der Wiederſpruch, und das ſolte auch hier ſo ſeyn. Aber da erhub ſich erſt der Wiederſpruch.* **)

§. 9.

Verum propius quodammodo Soſpitatorem, tanquam *vialem lapidem*, ſeu *viæ monimentum*, *cui contradicitur*, intueamur. Vita noſtra via eſt. *Pſ. XXV.* 4. *CXIX.* 9. *Matth. VII.* 13. *&c.* via ad lethum, via ad futurum aliquem ſtatum. 1 *Reg. II.* 2. via, quam veluti patria extorres & viatores. *Hebr. XI.* 8. 9. 13. 1 *Petr. II.* 11. donec ad iſtam redea-

*) Interpres Perſa ex verſione cl. BODII, ᾧ ἀντιλέγεται, reddit: in diſcordiæ ſuſcitationem; Syrus: in ſignum jurgii. Non male; ſiquidem verbum ἀντιλέγειν in N. T. aliquoties de diſputatione, eaque etiam acriore adhibetur. Luc. XX. 27. Act. XIII. 45. XXVIII. 19. 22. Tit. I. 9. &c. Similiter apud ISOCRATEM p. 222.

**) Vid. etiam ejus Gnomon. ad h. l.

deamus, emetiri nos oportet. Hac in via Deus filium ſuum, ceu in altum eductam inconcuſſamque pyramidem, indicem conſtituit certiſſimum fidiſſimumque, a quovis ubivis cernendum: κατὰ πρόσωπον πάντων τ λαῶν, ut dixerat Simeon *vſ.* 31. *) Hic rectam, quæ ineunda eſt, viam commonſtrat; hic eos, qui ex oculis illum non dimittunt, continuo per illam ducit; hic in variis viæ intervallis, ne a regia deflectant, cavet, in biviis triviisque conſtitutos falli non ſinit, falſos reducit, feſſos recreat. Hunc jam oculis fidei qui conſpiciunt, fixisque conſpectum intuentur *Joh. III.* 15. illis eſt εἰς ἀνάϛασιν; illi ex lethali ſopore ſpirituali exſurgunt, *Eph. V.* 14. κοπιῶντες ϗ πεφορτισμένοι ad eum accedunt *Matth. XI.* 28. recreative alacri pede monſtratam ab eo ſalutis viam calcant; illi etiam in his illisve viæ intervallis defatigati, ad ejus veluti pedes ſeu baſin paullulum recumbentes, recuperatis refocillatisve viribus reſurgunt, eo citatiore gradu iter perſequentes, & in eum inſtar ἀκολουθίας cujusdam πέτρας **) ſemper reſpiciendo, feliciter, duce illo, abſol-

*) Haud inſcite OROSIO hiſt. L. VII. c. 3. Chriſtus audit VERE PETRA, MEDIO RERUM POSITA, ubi comminueretur, qui offenderet, qui crederet, ſalvaretur.

**) Conf. not. ad §. VII.

ventes. QUINTILIANI *) verba elegantiſſimà huc adcommodare licebit. *Facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inſcriptis lapidibus ſpatia. Nam & exhauſti laboris noſſe menſuram voluptati eſt, & hortatur ad reliqua fortius exſequenda, ſcire, quantum ſuperſit. Nihil enim longum videri neceſſe eſt, in quo, quid ultimum ſit, certum eſt.* Contra ea animales homines, carnalibus præjudiciis & libidinibus velut inebriati ac temulenti, dum in carnali ſua ſecuritate, atque adeo cæcitate, effrenes procurrunt, elatoque animo & viribus ſuis præfidentes, quascunque libuerit vias, ſtulte & audacter ineunt: iſti εις πλῶσιν eum poſitum habent; iſti in eundem offendentes graviſſimo lapſu ruunt & conteruntur, nunquam reſtituendi *Matth. XXI.* 44. **) Sed & eidem huic viæ monſtratori, Chriſto, contradictum fuit ſemper & contradicitur ab hujus indolis hominibus. Non agnoſcitur talis, reclamatur illi τῇ ἀντιλογίᾳ τȣ̃ κόρε, *Judæ vſ.* 11. dura loquuntur adverſus eum peccatores impii, *vſ.* 15. non in

*) Inſtit. orat. IX. 4.

**) Sic enim illa verba mihi capienda videntur, ut aliis multis in lapſum, aliis multis in reſurrectionem dicatur poſitus. Malunt alii, eorundem, quorum lapſum, etiam reſurrectionem dici. Fortaſſis uterque ſenſus non male conjungi poſſet.

in viam veram, sed in devia eum ducere criminantur, ut vanum & sine viribus idolum derident, quin destructum abolitumve cupiunt: *) id optant, id agunt, ut, si fieri posset, ne memoria quidem ejus superstes maneret. Vid. e. g. *Matth. XI.* 19. *XII.* 24. *Joh. VIII.* 48. *Act. XXVIII.* 22. 1 *Cor. I.* 23. *&c.* Tantum abest, ut eum talem, qualis est, colant ac venerentur, ut potius contemnant, horreant, sceleratisque ausibus & virium omnium nisu perditum eant.

§. 10.

Et hæc quidem quod ad mentem & sententiam Simeonis. Non peccabis tamen, Christo devota anima! si aliis quoque piis comparationibus indulseris. Ungebant superstitiosi gentiles *lapides illos viales.* En hic verum antitypum *lapidis* olim in via a patriarcha Jacobo uncti *Genes. XXVIII.* 18. **) unctum spiritu Sancto largissime, *Psalm. XLV.* 8. *Actor. X.* 38. Coronabant illi eos: en hic coronatum tuum Messiam, *Cant. III.* 11. *Hebr. II.* 9. Artificiose effigiabant ac

 effor-

*) Hac ferme vi τὸ ἀνπλέγειν occurrit Joh. XIX. 12. Hebr. XII. 3.

**) Conferri meretur STEPH. KOCSI diss. II. de voto peregrinantis Jacobi, præside ANDALA, Franekeræ 1722. §. 83.

efformabant: en hic pretioſum illum lapidem in Zione poſitum, 1 *Petr. II. 6.* Tu vero memento ſimul, hoc unice tibi agendum eſſe, ut Chriſtus efformetur in te *Gal. IV.* 19 Inſcribebantur illis lapidibus ſpatiorum milliariumve notæ: hic eſt ille, cujus fronti velut inſcriptum legitur: *hic eſt filius meus dilectus, hunc audite, Luc. IX.* 35. Præſens iis ineſſe credebatur numen: tu illum habes, in quo habitat omnis plenitudo Dei σωματικῶς *Col. II.* 9. Divinus illis exhibebatur cultus: tu hunc obſequioſiſſimo cultu venerare, quem omnes angeli Dei adorant. *Hebr. I.* 6. Præſides illi viarum, malorumque & periculorum averruncatores habebantur: tu hunc unicum tibi elige vitæ tuæ præſidem, Tutanum ac Soſpitatorem, in quem qui credunt, pudefient nunquam. 1 *Petr. II.* 5. Illi mox Mercurius, *Vius* dictus, id eſt, *deus, qui vias & ſemitas commentus eſt*, *) mox Hercules, mox verendum nomen Priapus, mox Diana ἐνόδια, mox alii habebantur deaſtri inanes: tu huic ſoli petræ æternæ, Iehovæ, Deo forti, confide in perpetuum *Jeſ. XXVI.* 4. Apud illos denique religioſis viantibus moris erat, paullisper adſidere, veniam poſtulare, donum adponere: tu ab hoc ſolo delictorum omnium ve-

*) Sic vocatur in inſcript. CXLI. claſſ. I. REINESII p. 171.

veniam pete & exſpecta, qui peccata mundi tollit, *Ioh. I.* 29. huic te ipſum ſacrifica donarium vivum & ſanctum, *Rom. XII.* 1. huic adhære fideliter, ab hoc nunquam recede, præmia reportaturus lætiſſima, *Apoc. II.* 10.

§. 11.

Subjicio, in quæ forte incido, JULII FIRMICI *) verba, alio licet fine prolata, gravia tamen certe & pietatis in Servatorem pleniſſima. *Chriſtus nobis venerandi lapidis ſignificatione monſtratur. Quid tu ad commaculatas ſuperſtitiones furtiva fraude venerandi transfers nominis dignitatem? Lapidem tuum ruïna ſequitur, & cadentium culminum funeſta collapſio. Noſter lapis, Dei fundatus manu, exſtruit, confirmat, erigit, munit, & reſtaurati corporis gratiam perpetuæ immortalitatis ſplendore condecorat.*

*) De errore prof. relig. Lugd. Batav. 1672. p. 41.

III.

IO. CHRIST. HARENBERGII,

Stricturæ in probra, quæ adversus

IOANNIS APOCALYPSIN

leguntur in libro

Dictionaire philosophique portatif par Msr. DE VOLTAIRE, *à Londres* 1764, 8.

SYNOPSIS.

§. 1. *Animus Autoris istius in religionem.* §. 2. *Iustini Martyris sententia de Apocalypsi.* §. 3. *Iustinus Martyr non fuit de Apocalypsi Ioannea testis.* §. 4. *Hic non scripsit Dialogum circiter annum* 170. §. 5. *Iustini testimonium non est rejiciendum.* §. 6. *Chiliasmus primis Ecclesiæ Patribus non fuit communis.* §. 7. *Millennium animarum cum corporibus iterum jungendarum falso tribuitur Ægyptiis, nec in Virgilium quadrat.* §. 8. *Inanis est Lexicographi irrisio in mensuram Hierosolymæ novæ.* §. 9. *Iustinus non fuit testis de Apocalypsi ineptus.* §. 10. *Clemens Alexan-*

Alexandrinus meminit omnino Apocalypſin Ioannis & hanc putat diviniorem eſſe. §. 11. *Tertullianus & habitudo Hieroſolymæ novæ a Lexicographi exprobrationibus vindicantur.* §. 12. *Defenduntur Origenes & Dionyſius Alexandrinus contra Lexicographum.* §. 13. *Exponuntur Synodi Laodicenæ tempus & canones* 58, 59. §. 14. *Epilogus Lexicographi, in Apocalypſin exauctorandam directus, expenditur & enervatur, atque compendioſa Apocalypſeos expoſitio ſubtexitur eis, quæ de Ioannis morte ac ſepulcro ſunt diſputata.*

§. 1.

Plenus eſt errorum & ſcommatum in ſanctiſſimam noſtram religionem liber. De angelis, de Dei providentia, de Numinis ſummi gubernatione ſeu imperio, de peccato originali, de ſumma theologicorum dogmatum, de Regum bellantium moribus, de viris optimis eximiisque Philoſophis imprudenter & proterve ſentit Auctor. In *Abrahamum* in primis admodum eſt iniurius. a) De *baptismo* Chriſtianorum falſa & ludicra exponit. *Apocalypſin Ioannis* in materiem illuſionis convertit. Ut verbo dicam, limites, quibus intellectus humanus eſt circumſeptus, temere auget, ac, ſeſe ignariſſimum eſſe mortalium, ingenue fatetur. Multa omnino neſci-

a) *Abrahamum* vindicavimus *Bibliothecæ hujus Brem. Novæ Cl. V. F. III. p.* 499. *ſeqq.*

ſcimus. An vero is, qui reliquos mortales eſſe ipſo imperitiores, contendit, ac ſcientiam rerum ſaluberrimarum tenebris immergere conatur, omni genere humano dici poteſt doctior & peritior? Pruritus inſultandi dogmatibus luculente demonſtratis per ingenioſos ludibriorum fumos ſi ſupremum eſt philoſophiæ faſtigium, Auctor primas tenet & aulam ſuam cathedramve ornat. Sin vero falſis utitur argumentis, cavillatione ingenioſa comtis, ars ipſius eſt iners & ſibilis excipienda. In præſens, ut fidem judicio meo faciam, ad examen & limam revocare animus eſt miſerrimum eius de *Apocalypſi Ioannis* judicium. Pateſcet inde Auctoris ſcientia & animus. Scientiam eius deprehendemus eo ipſo mutilam, hiulcam, præpoſteram & falſam; Ingenium vero eius videbitur nobis nitorem præferre, & animus pravitatem prodere ac exhibere.

§. 2.

Ut imperitia Auctoris & male ſanus ratiocinationum modus nemini non pateſiat, dabo eius judicium b) de Apocalypſi lectoribus, e *gallico* ſermone in *latinam* linguam fideliter converſum. Tum vero enuntiata eius & deducta inde argumenta examinabo.

En

b) Pag. 28, ſ.

En eius sententiam: „ IUSTINUS MARTYR, „ *qui versus annum* 170. *æræ nostræ scripsit*, „ *primus est, qui de Apocalypsi mentionem fe-* „ *cit; Ipse eam Ioanni Apostolo adtribuit, in* „ *Dialogo suo cum Tryphone* c) *Hic ipsum* „ *interrogat Iudæus, an, Hierosolymam esse* „ *restituendam statui pristino, credat? Iustinus* „ *ipsi respondet, se id ipsum cum omnibus* „ *Christianis credere eventurum.* Fuit, *inquit*, „ inter nos Ioannes quidam, unus e duo- „ decim Apostolis Iesu. Hic prædixit fore, „ ut fideles transigant mille annos Hieroso- „ lymis. "

§. 3.

Liceat heic subsistere, antequam reliqua adjicimus. Examinanda enim sunt enuntiata Auctoris per partes, ne eis simul depromtis obruatur Lector. Falsum est, IUSTINUM MARTYREM fuisse primum de Apocalypsi testem. POLYCARPUS enim, qui familiarem cum Ioanne Apostolo consuetudinem habuerat d), transfudit suam veramque explicationem de vocabulo Apocalyptico, æquante numerum 666, seu Λατεῖνος, *Latinus*, (*Apoc.* XIII, 18.) in IRENÆUM, tandem Episcopum Lugduni. IRENÆUS id ipsum memoriæ litteris pro-

c) *Pag.* 308. *A. B.*
d) EUSEBIUS *Hist. Eccl. V*, 20.

prodidit e), non ambigens de eo, quod Ioannes Apocalypſin ſcripſiſſet. Hoc enim norat ex *Polycarpo* & *Polycarpus* ex *Ioanne*, qui demum circa annum æræ vulgaris 101. obiit, compertum habebat. *Polycarpus* certe, cuius auditor fuit *Irenæus*, iam fere nonagenarius, anno ſeptimo Marci Aurelii, Chriſti vero 169, maryrio vitam finivit. HIERONYMUS f) ſuccincte: *Regnante Marco Antonino & L. Aurelio Commodo, quarta poſt Neronem perſecutione, Smyrnæ, ſedente Proconſule & univerſo populo in amphitheatro, adverſus eum perſonante, igni traditus eſt.* Obiter ſignificandum videtur, ab *Hieronymo* perſecutionem, in Chriſtianos a Trajano & Hadriano agitatam, pro una habitam fuiſſe. Lucius ille Commodus Verus Antoninus periit apoplexia anno 169. Quam ob rem *Polycarpus* non potuit ſerius obiiſſe. Finge autem, Polycarpum fuiſſe anno 166. vel 167. combuſtum, tunc inde nobis nil damni exſiſtit. *Polycarpum* ab ipſo Ioanne Apoſtolo ordinatum fuiſſe Smyrnenſis eccleſiæ Episcopum g), in confeſſo debet eſſe apud univerſos. Adde quod proximus ſuſtinendo mar-

e) *Adverſus Hæreſes V*, 30.

f) *De Viris illuſtribus c.* 17. SAMUEL BASNAGE *in Annalibus politico-eccleſiaſticis ad a.* 169. *n.* 11. *ſ. p.* 139, *ſ. T. II.*

g) IRENÆUS *III*, 3. HIERONYMUS *l. c.*

martyrio dixit Proconſuli inſtanti; *Sex & octoginta continuos annos Chriſto ſervivi* h), *nec ulla is me umquam adfecit iniuria.* Ex hoc ipſo pronuntiato intelligitur, *Ioannem* Apoſtolum ætate omnino adtigiſſe tempora iuvenilia *Polycarpi*, atque Polycarpum porro hac doctrina imbuiſſe alios, in quorum numero fuit *Irenæus*, atque hos de Apocalypſi, per Ioannem ſcripta, idoneos fuiſſe teſtes. Dum vero in hac leguntur ea, quæ Imperatoribus Romanis haud placuiſſent, publicata, circumſpecte Chriſtiani Apocalypſin eiusque expoſitionem tractarunt, teſtibus *Irenæo*, *Hippolyto*, *Lactantio*, *aliisque*. Mirandum igitur non eſt, ſiqui eccleſiarum doctores eam expoſitionem prorſus ignorarunt, aut norant ex parte, & haud fuerant adſecuti omnem. Euſebius certe & Hieronymus, temporibus quietis fruentes, eam expoſitionem noverunt omnem, maximamque eius partem habuit Lactantius compertam. Si huic addidero SULPICIUM SEVERUM, nec me nec alios fallo. Iuvat meminiſſe, viros hoſce eamdem ſecutos fuiſſe Apocalypſeos expoſitionem, inde a Ioanne, ut opinor, profectam.

§. 4.

h) EUSEBIUS *Hiſt. Eccl. IV*, 15. *p.* 167. *Cantabrig* 1720. *fol.*

§. 4.

Falsum est id enuntiatum, quod, IUSTINUM MARTYREM versus annum 170. *Dialogi cum Tryphone Iudæo* compositionem adornasse, tradit Lexicographus. Cur sic sentiam, rationem adjungere & unam & alteram libet. Potissima hæc est. Annus, ab anno 170. per intervallum decem annorum disjunctus, dici non potest proximus esse anno 170. *Iustini* autem *Dialogus cum Tryphone Iudæo* ante annum Iesu vulgarem *161.* conscriptus fuit. Hic enim exaratus est ante *Iustini* Apologiam primam, quæ olim vocabatur secunda seu posterior. In hac Apologia legitur hoc: *Adseveratis, ante annos centum & quinquaginta Christum natum fuisse* ἐπὶ Κυρηνίου, *sub Cyrenio* i) Partem obiectionis ethnicorum repetit *Iustinus*. Norant utique viri inter Græcos ac Romanos docti natalem Iesu annum eumque genuinum, qui prior fuit annis quatuor; æra nostra autem Dionysiana eis est serior. Si scripsisset FRANCISCUS DE VOLTAIRE, Iustini dialogum circa imminentem Iesu annum æræ nostræ centesimum ac sexagesimum litteris fuisse mandatum, prodidisset ipse omnino tolerabiliora. Inscriptio Apologiæ hujus docet, hanc ad Antoninum

i) *Apolog. II, p. 83. B.*

num Pium, & M. Antoninum Verum philoſophum & Lucium Aurelium Commodum, Antonini Pii poſtea ſucceſſores ſocios, miſſam fuiſſe k) Quod indicium HIERONYMUS repetivit l) Si igitur inveſtigamus annum, quo Antoninus Pius in conſortium imperii adſcivit Antoninum philoſophum & Lucium Aurelium Commodum Antoninum, atque ad annum reſpicimus, quo Antoninus Pius obiit, tunc ſimul incidimus in tempus, quo Iuſtinus Apologiam longiorem ad Auguſtum & Cæſarem utrumque dedit. Si porro cum hoc tempore comparamus annum, quo Iuſtinus *Dialogum cum Tryphone*, Epheſi archiſynagogo, per biduum habuit, quem copioſiori ſtilo paullo poſt compoſuit, non poſſumus, quin, Dialogum illum ſatis diu ante annum 170. in litteras fuiſſe redactum, exiſtimemus. Non moramur in præſens CHRISTIANUM GOTTLIEB KOCHIUM, qui, refragantibus vetuſtiſſimis ſcriptoribus, Iuſtino illum Dialogum ſubtrahere & pro ſcripto ſuppoſititio reputare contendit. Nam ALBERTUS ZUM FELDE, Profeſſor Kiloniæ Theologus, ſententiæ *Kochii* nervos adeo incidit eamque evertit, ut nemo amplius cupiat a *Kochii* partibus ſtare. AUBERTUS MIRÆUS, ad *Hieronymi* locum, quem paullo ante indicavi, me-

k) Conf. EUSEBIUS *H. E. IV*, 18.
l) *De Viris Illuſtribus c.* 23.

merito cauſam Iuſtini tuitus fuit, Feldioque acceſſit. Nunc nobis ad priora eſt regrediendum. Antoninus philoſophus ſucceſſit Antonino Pio ad annum 134, a quo fuerat adoptatus. Simulac ille imperium capeſſivit, illico participem ac conſortem principatus adſumſit Lucium Verum, Lucii Commodi filium m), flore ætatis ac robore eximium, ipſe imbecillis ac philoſophiæ deditus. Lucio Vero Marcus Antoninus hic Lucillam filiam ſuam in matrimonium dedit, tradita ſimul ei bellorum gerendorum cura n). Commodum vero pater Lucius Verus in conſortium imperii adſumſit anno abhinc XVII, per biennium adhuc ſuperſtes. Adde, quod Marco Antonino Vero fuerit collega Lucius Aurelius Verus Antoninus, & utrique horum *Iuſtinus* inſcripſerit Apologiam breviorem, HIERONYMO teſte. Illam igitur ſcrip-

m) EUSEBIUS *H. E. IV*, 12, Antoninum philoſophum vocat *Veriſſimum*, & tradit, Lucium fuiſſe philoſophi Cæſaris nothum.

n) XIPHILINUS in *Excerptis L. LXXI.* DIONIS CASSII *p.* 802. *Hanoviæ* 1606, *fol.* Conſentit CAPITOLINUS in *Marci vita* ex aliorum fide; ipſe cum SPARTIANO tradit, *Lucium* fuiſſe Ælii Veri Cæſaris, quem *Hadrianus* adoptavit, filium naturalem, &, hoc mortuo, Hadrianum, quum Antoninum Pium adoptaret, eam adoptioni impoſuiſſe legem, ut Pius Marcum & Lucium ſibi filios adoptaret.

ſcripſit ante annum 163, hanc paullo poſt quam cum Creſcente Cynico philoſopho in lites inciderat philoſophicas & ideo per huius accuſationes pro Chriſto martyrium anno fere eodem ſuſtinebat. Prior Apologia eſt longior, & in EUSEBII *Chronico* traditur anno æræ noſtræ 143 Antonino Pio fuiſſe oblata. ANTONIUS vero PAGI, rationibus recte ſubductis, annum definit o) 148. *Iuſtinus*, poſt priorem ſeu longiorem Apologiam in Aſiam reverſus, colloquium celebratiſſimum cum Tryphone Iudæo habuit, quod adhuc exſtat, Epheſi p). Deinde Romam rediit, ibique non longo tempore, poſtquam Apologiam breviorem Marco Aurelio & Antonino Vero Auguſtis obtuliſſet, martyrio defunctus fuit, teſte *Chronico Alexandrino*, in quo martyrii tempus illud conjungitur cum Conſulibus Pudente & Orphito, ſeu æræ noſtræ anno 165. illigatur q) Apologiam breviorem biennio circiter antiquiorem eſſe, res ipſa eiusque momenta r) ſignificant. *Dialogus* porro hanc ipſam ætate ſuperavit. Non igitur fieri poteſt, quin annos decem demamus annis 170, indicaturi tempus, quo

o) In *Critica Baroniana Vol.* I. *p.* 148. *ad a.* 148.
p) EUSEBIUS H. E. IV, 18.
q) SAM. BASNAGIUS *Annal. a.* 165. *n.* 5. *p.* 126.
r) S. BASNAGIUS in *Annalibus politico-eccleſiaſticis ad a.* 162. *n.* 8. *p.* 121, 122.

Iuſtinus *Dialogum cum Tryphone Iudæo* in publicam lucem emiſit.

§. 5.

Non video cauſam ullam, cur *Iuſtini Martyris* teſtimonium, quo Apocalypſis Ioanni Apoſtolo tribuitur, rejici vel explodi poſſit. Ipſe enim Epheſi inter Chriſtianos, quibuscum paullo ante verſatus fuerat Ioannes, tenuit ſeſe ad tempus, Dialogo cum Tryphone intentus. Circa idem tempus Epiſcopi illuſtres, MELITO s) Sardibus, & Antiochiæ in Syria THEOPHILUS t), Ioanni Apoſtolo Apocalypſin vindicarunt: ne quid de IRENÆO u) ac PAPIA x), *diſcipulis Polycarpi*, memorem, qui ab hac ſententia prorſus non fuerunt alieni. Et cur *Iuſtini* enuntiatum ex *Epiſtola* eius *ad Diognetum* y) omittam? En illud: *Sed quum Apoſtolorum fuerim diſcipulus, fio gentium doctor.* Nolim monere, magiſtrum hoc loco congruere haud aliter ad diſcipulum Apoſtolorum, ac ille, qui alios docet, ad eum quadrat & re-

s) Euſebius *Hiſt. Eccl. IV*, 26.
t) Idem *IV*, 24.
u) *Adverſus Hæreſes VI*, 30. EUSEBIUS *H. E. III*, 18. *V*, 8.
x) EUSEBIUS *H. E. III*, 39. *p.* 137.
y) *Pag.* 501. *C.*

refertur, a quo docetur ac adripit disciplinam. Memini illud duntaxat, quod is, qui unum habuit Apostolum Ioannem per nonnihil temporis præceptorem, iure dici possit Apostolorum z) discipulus; siquidem hic unus testis erat doctrinæ Iesu instar omnium, quippe quæ nonnisi una erat, licet per singulorum ora calamosque Apostolorum propagaretur. Ipse omnino Iustinus vidit non ultimis, sed primis Adriani Imperatoris, vel ipsis Trajani temporibus, Christianos calumnioſe deferri, eorum cœtus lacerari, ipsos ad neces duci ac intrepide mortibus perfungi a) cruentissimis dirissimisque. Persecutionem enim hanc Adrianus ex Traiani ævo receperat; quam tamen mox suppressit b). Iustinus, infectatione illa in innoxios eorumque intrepida morte ad arcanam rei pensitationem adductus, transiit in Christianorum societatem. Videtur utique eam mentem ipse induisse, Ioanne Apostolo nondum mortuo, ac eapropter vitam ad annos fere nonaginta protraxisse. Ponamus tamen, ipsum doctrina christiana a discipulis Ioannis

z) Ita EUSEBIUS *III*, 39. *p.* 137. refert, Papiam ex male intellectis Apostolorum verbis in Chiliasmum incidisse, unum designaturus Ioannem.

a) *Apolog. I. pag.* 50. *A.*

b) EUSEBIUS *H. E. IV*, 3. 7.

Apoſtoli inſtitutum fuiſſe, nonne tunc noſſe potuit debuitque, quinam libri ab Apoſtolis fuerint conſcripti, quibusque ſcriptis contineatur diſciplina Ieſu Chriſti? *Papiam* Epiſcopum Hierapolitanum IRENÆUS c) adpellavit *Ioannis* auditorem & Polycarpi ſodalem, licet Papias ipſe ſe auditorem ſeniorum, qui doctrinam ab Apoſtolis acceperint, modo voluerit adpellari d). Siquid video, *illi diſciplinam Ieſu a Ioanne & Apoſtolis interdum quoque hauſiſſe dicti ſunt*, qui eam a *diſcipulis Apoſtolorum* acceperant. Si cui libet hæc ad Iuſtinum quoque accommodare, eum tamen oportebit fateri, Iuſtinum a diſcipulis Apoſtolorum, Ioannis præcipue in Aſia, diſciplinam Ieſu & apoſtolicam æque ac librorum ſacrorum canonem ſeriemque accepiſſe, atque nomen dediſſe religioni Chriſtianorum, antequam Hadrianus mitem in hos animum induit anno imperii ſui circiter octavo. HENRICUM DODWELLUM, de paucitate Martyrum commentatum, noluiſſe novimus animum inducere, ut crederet, ſub Hadriano Chriſtianos exſtitiſſe martyres. At EUSEBIUS, IOANNES MABILLONIUS aliique videntur ſententiæ ipſius admodum refragari. Si *Dodwello* poſſemus accedere, Iuſtini ætatem eo ipſo redderemus lon-

c) *Adverſus hæreſes V*, 33.
d) EUSEBIUS *H. E. III*, 39.

longiorem oporteret. At noſtrum iam non eſt, ſingula perſequi & ad vivum reſecare. Noſtræ enim cauſæ nihil inde decedit, utri diſſentientium parti album calculum adjiciamus. Oſtendimus enim, Polycarpum eiusque ævo æquales eccleſiæ doctores nequaquam de origine *Apocalypſis* ad Ioannem Apoſtolum referenda dubitaſſe.

§. 6.

De *Iuſtino Martyre* quum commentari cœpiſſet VOLTAIRIUS, ſtatim hæc ſubjecit: *Fuit hæc opinio diu inter Chriſtianos recepta, quod regnum illud annos mille eſſet permanſurum.* Addendum erat, eam ſententiam ex errore *Papiæ* fuiſſe enatam, paſſim a Chriſtianis doctoribus eſſe refutatam, ideoque haud fuiſſe univerſalem, immo ipſam jam ſub initio ſæculi quarti intercidiſſe; nec id vitio Apocalypſi vel auctori ejus eſſe vertendum, quod ab erronea partis exiguæ Apocalypticæ expoſitione virorum quorundam pependit. Quis minus genuinam interpretationem partis ſcriptorum hiſtoricorum ac propheticorum credet cum auctoritate eorum eſſe conjunctam? VIRGILII *Eclogam octavam* nemo ſanus VIRGILIO abjudicat, licet in interpretatione eius tramitem non unum ſervaverint eruditi. *Chiliasmum Papias* in Apocalypſi latere primus exiſti-

mavit, nec tamen de Divina eius auctoritate ullam aluit dubitationem. EUSEBIUS de eo sic e) sensit: *Idem scriptor, alia nonnulla tamquam ex traditione non scripta ad se pervenisse, testatur, nec non quasdam peregrinas Servatoris parabolas & doctrinas eius, & quædam alia fabulosiora. Inter quæ etiam mille annorum quoddam spatium post corporum resurrectionem fore dicit, quo regnum Christi in terra σωματικῶς substiturum sit. Quæ quidem ita opinatus esse videtur Papias ex male intellectis Apostolorum narrationibus, quum ea, quæ in exemplis ab ipsis per figuram, μυστικῶς,* (arcano sensu,) *dicta erant, non simul perspexisset. Nam valde exiguus ei erat intellectus, ut ex ipsius scriptis intelligere licet. Plerisque tamen post ipsum viris ecclesiasticis ansam eiusdem erroris præbuit, sententiam suam vetustate hominis tuentibus, scilicet Irenæo, & siquis alius opinionis eiusdem fautor exstitit.* Erant doctores Christianorum in partes duas ex eo tempore divisi, quantum ad sensum mille annorum, qui memorantur *Apoc.* XX, 2, 4, 5. adtinet. Alii cum *Papia* sibi persuadebant præter Apostolorum sententiam, millennio Apocalyptico significari regnum Christi in terris adspectabile, per mille annos, idque Hierosolymam illustraturum; alii contra senserunt, Hierosolymam novam esse eccle-

siam

e) *Hist. Eccl. III*, 39. *p.* 137.

ſiam N. T., a prophetis nomine Hieroſolymorum figurate inſignitam, atque millennium illud eſſe reſurrectioni priori, non univerſali, coæquatum, ideoque haud capiendum proprio nativoque ſenſu. Tantum abeſt, ut ulli doctorum eius ætatis in mentem venerit, Apocalypſin non eſſe auctoritatis Divinæ. Qualem & quamnam Hieroſolymam, millennio adjunctam, deſignaverit *Iuſtinus*, haud liquet. Quid illa diſtinctio inter illud σωματικῶς & μυϛικῶς, ſibi velit, non ſtatim eſt in expedito. Illud videtur eſſe idem ac *re ipſa*; hoc autem videtur *arcanum ſenſum* denotare. Quid vero per *rem ipſam* intelligatur, obſcurum eſt. Adjicitur quidem illud *in terra*. At inde nondum pateſcit, an in terra fore crediderit *Iuſtinus* aeque ac *Papias* regnum Chriſti ſpirituale illud eximium; an exiſtimaverit, illud a Chriſto, in terris ſub adſpectum cadente, capeſſitum iri ac peractum & adminiſtratum iri. *Iuſtinus* potuit deſignaſſe Hieroſolymam ſpiritualem, ab Ieſaia prænuntiatam. Ipſe ob compendium, dialogo conveniens, videtur ſermonem haud continuaſſe, nec ad ſuam de Hieroſolyma illa opinionem voluiſſe progredi, ne adverſarium ſeu collocutorem a dicendis porro ſeu a deſtinatis averteret. EUSEBIUS f) lu-

f) *Comment. in Ieſ. XLIX, p. 548. T. II. Collect. Patrum*

culente: *Videmus oculis noſtris, illa, quæ de Hieroſolyma nova dicta ſunt, & id, quod Reges dicuntur gloriam & honorem in eam delaturi* (*Apoc.* XXI, 24, 26. *Ieſ.* LXII, 10.) *clare in completionem proceſſiſſe.* Doctores eccleſiarum Ægypti, ad ſæculum usque tertium æræ noſtræ medium, auctoritatem Apocalypſis Divinam agnoverunt, quamvis de millennii illius interpretatione haud conſentirent. Nonnulli enim horum *Papiam* ſequebantur, & ceteros, qui arcanum amplectebantur ſenſum, vocabant *Allegoriſtas* g). Contra hos ſcripſit NEPOS, in Ægypto Epiſcopus, *Elenchum Allegoriſtarum. Nepotis* jam mortui librum refellit DIONYSIUS, Alexandriæ Epiſcopus, opere majori, propugnans libro priori ſuam ſententiam; poſteriori impugnans *Nepotem.* Antequam operi huic ſcribendo animum adpelleret *Dionyſius*, *Coracium*, Chiliasmi fautorem, liberavit millennii errore. Hinc intelligitur, Chiliasmum a *Papia* inventum, non ſuſceptum fuiſſe a doctoribus eccleſiæ primariis eisque univerſis. *Papias* norat, inſtare ſæculi h) innova-

Patrum & Scriptorum Græcorum MONTFAUCONI *Pariſ.* 1706. *fol.*

g) EUSEBIUS *Hiſt. Eccl. VII*, 24. *p.* 349, *ſ.*

h) IUSTINUS, de ea vaticinatum fuiſſe Ieſaiam c. LXV, 17-25. docet in *Dialogo cum Tryphone p.* 307, *B*, *C*, *D*, *E.*

vationem: legerat, Κτισιν liberatum iri a ſervitute vanitatis *Rom.* VIII, 21. haud ignorabat, Petrum cum Chriſtianis exſpectaſſe cœlum novum novamque terram, in qua domicilium iuſtitiæ futurum ſit poſt everſionem pravitatum, 2 *Petr.* III, 13: meminerat, Hieroſolymam dici defenſum iri igne cœleſti *Apoc.* XX, 9; tum vero reſurrectionem ea eventa ſecuturam eſſe eamque univerſalem. Ex hiſce rationibus, haud dextre explicatis, hypotheſin ſuam, haud prorſus inſulſam, *Papias* contexuit, quam *Euſebius* i) tradit ætate ſua ſuffragiis Chriſtianorum adeo haud excipi, ut potius reddita fuerit ignota. Ut verbo dicam, dogma millennii non fuit opinio diu inter Chriſtianos recepta, nec univerſalis. Univerſalem fuiſſe eam, ipſe negat *Iuſtinus* k).

§. 7.

Quid *Voltairius* porro ſenſerit, animadvertendum itidem nobis eſt. Pergit is ita: *Hoc temporis intervallum inter homines, a doctrina Chriſtiana & Iudaica averſos, erat in pretio magno. Animæ Ægyptiorum recipiebant corpora ſua in fine annorum mille. Animæ in igne expurgatorio apud Virgilium* mille per annos vexa-

i) Ibidem *III*, 39. *p.* 137.
k) In *Dialogo p.* 306. *D.*

vexatæ fuisse perhibentur. Hæc *Voltairius.* Vix per somnium intelligitur modus, quo hæc ad Apocalypsin trahi possint. Ioannes in visione conspexit serpentem alatum seu draconem, intra custodiam ligatum, ne intra mille annos pelliceret *gentes* ad Christianos infestandos. Eidem Ioanni in visione adparuerunt Christiani martyres redivivi, severo Christi in persecutores judicio præsentes & in hos sententiam vindicem adprobantes. Visioni huic nullum intercedit commercium cum externa corporum resurrectione, vel cum animarum in igne expurgatione. An Ægyptii crediderint, animas defunctorum, exacto postea mille annorum spatio, corpora olim sua recepturas esse ac cum his rursus conjunctum iri, omnino quæri potest. HERODOTUS, antiquissimus de sacris Ægyptiorum scriptor, nihil eiusmodi perhibet L. II, c. 123, sed contraria potius omnia, eis transmigrationem mentium humanarum in animalia & animalium in homines tribuens. IOANNES MARSHAMUS in *Canone chronico*, HERMANNUS WITSIUS in *Ægyptiacis*, IACOBUS FRIDERICUS REIMMANNUS in *Antiquitatibus Ægypti litterariis* aliique viri eruditi, in percensendis Ægyptiorum dogmatibus vetustis versatissimi, nihil adtulerunt eorum, quæ *Voltairius* eis tribuenda existimavit. DIODORUS SICULUS id potius tradidit, quod viro illi eiusque sententiæ

pror-

prorſus adverſatur. *Diodori* hæc kk) ſunt: *Laudes* defuncti, quem nemo accuſat, nemo criminis convincit, *clamore ſecundo vulgus excipit, & magnificis ſimul laudibus defunctum prædicat, ut qui ſempiternum cum piis ævum in Ditis regno ſit peracturus.* Si *Voltairius* ipſum *Herodotum* legiſſet, circuitionem apud hunc deprehendiſſet animarum per ter mille annos, quibus has per corpora animalium oberrare priſci tradiderint Ægypti l). Dum igitur labem adſpergere conatus fuit Apocalypſi, exiſtimationi ſuæ cenſendus eſt defuiſſe. Siqnid ad Apocalypſin ex Ægyptiacis tranferre voluiſſet *Voltairius*, quod traxiſſe momentum credi poterat, ipſe monuiſſet, ſapientum priſci orbis ita tuliſſe morem, ut res maxime commemorabiles & ſacras involverint ſymbolis ac figuris, tum ob eas in pretio reſervandas, tum ad ſeſe periculis ac diſſenſionibus ſubtrahendos. Quod ad ignem expiatorium adtinet, a Poëtis effictum, nihil omnino inde ad Apocalypſin vel condecorandam vel carpendam transferri poteſt. Nihil enim ſcriptores librorum N. T. de igne illo memorarunt, bipartientes potius tantummodo conditionem animarum poſt corporis mortem, nec ullam

kk) *Biblioth. hiſtor. I*, 92.

l) HERMANNUS WITSIUS *Ægyptiacor. L. I. c.* 4. §. 6. *p.* 14.

ullam ex harum fortuna moleſta reditionem ad meliora uſpiam promittentes, teſte CYPRIANO, primisque eccleſiæ doctoribus ei haud refragatis.

§. 8.

Plura *Voltairius* cenſor adfert, ad Apocalypſin tantopere congruentia, quantum convenit tenebris cum luce. En illa: *Nova Hieroſolyma mille annorum debebat habere duodecim portas, in memoriam duodecim Apoſtolorum. Forma eius ſcriptori viſa fuit conveniens figuræ quadratæ; longitudo, latitudo & altitudo eius congruere viſa ad duodecies mille ſtadia, id eſt, 500. leucas gallicas, ut adeo domus forent etiam 500. leucas eiusmodi in altum elatæ. Fuiſſet omnino iniucundum ſatis habitare in ultima contignatione. At quid reſtat? Traditur id ipſum Apoc. XXI.* Res poſtulat, ut nonnihil his adjungam commentationis. In Apocalypſi *nuſpiam* legitur, *Hieroſolymam novam* annos mille eſſe ſtaturam ac ſeſe oſtenſuram ſpectatoribus vel tamdiu incolis inſerviturам. Ioannes dixit, viſum ſibi fuiſſe draconem ad finem annorum mille ligatum, impeditumque ita, quo minus gentes exteras ad Chriſtianos infeſtandos pelliceret. Idem dixit, ſibi viſas fuiſſe animas Martyrum, easque in ſoliis ſedentes ac cum Ieſu regnantes per annorum illorum mille intervallum. Viſæ

ſæ fuerunt illi intra illud temporis ſpatium mentes illæ vivæ. Reſurrectionis univerſalis nihil Ioanni intra hoc temporis intervallum adparuit. Ipſe potius illam mentium in conſortio Ieſu vitam adpellavit reſurrectionem ſeu anaſtaſin priorem. Tum vero Satanas adparuit Ioanni, vinculis ſuis ad tempus breve ſolutus, hoſtes Chriſtianorum ad hos infeſtandos ac cruciandos pelliciens. Adparuit inde Ioanni Satanas denuo per mille annos vinctus. Hiſce vero elapſis Satanam e carcere ſuo egredientem, vinculis quippe ſolutum, vidit, innumeros hoſtes in propugnaculum Sanctorum ac *urbem dilectam* impellentem fruſtra, ſiquidem ignis cœlitus delapſus adverſarios illos conſumſerit. Tandem adparuit Ioanni Satanas cum ſociis ſuis in lacum igne ac ſulphure plenum conjectus, pœnas ob pravitatem perpeſſurus. Oſtenſa tunc fuit ei ſimul imago reſurrectionis univerſalis ac judicii pantocritici figura, prophetico modulo congrua ſatis. Enarrantur hæc *capite XX.* Capite autem *ſequenti* demum Ioannes progreditur ad viſionem illam, per quam animadvertit, Hieroſolymam, cœlitus deſcendentem, in telluris ſolum veniſſe. Miror, Virum, comicis tragicisque figurandi res varias modulis inclytiſſimum, ad priſci orbis analphabetici ac hieroglyphicorum & imaginum propheticarum figuras non reſpicere, nec ex his interpretari ea,

quæ

quæ ſub viſionum emblematibus ob varias cauſas fuerunt repræſentata per ſcriptores diviniores. Miror, quod, Hieroſolymam novam, a Ioanne adumbratam, putat eſſe mille annorum ſedem. Ioannes id ei tempus, eam durationem, prorſus non adjungit. Miror, quod ignorat, eccleſiam Meſſiæ, ab œconomia Moſaica tandem ſolutam, a Prophetis dictam fuiſſe *Hieroſolymam*, Iudæisque percognitam fuiſſe diſtinctionem inter Hieroſolymam terreſtrem & cœleſtem, quarum hæc in terras fuerit deſcenſura. PHILO, Iudæus ll) & haud pauci eius gentis m) Hieroſolymam Meſſiæ dixerunt ſpiritualem. Et doctiſſimi Iudæorum paullo ante templi ac Hieroſolymæ terreſtris excidium tradiderunt, cum Meſſiæ adventu conjunctum fore ſitum templi Hieroſolymitani *quadratum* mm). Non igitur inſulſum cuiquam videri debet, Hieroſolymam ſeu potius templum a Ioanne memoratum, lectoribus, qui ex Iudæis ad eccleſiam Ieſu traducti

ll) *De Somn. p.* 1142. *Teſtamentum Dan.* §. 5. *p.* 208. IUSTINUS MARTYR. *Apol. II. p.* 63. 93.

m) R. ALSCHEICH in *Romemotb El fol.* 12, 4. *in Pſ. XXIII*, 6. *& fol.* 13, 1, 2.

mm) IOSEPHUS *de Bello Iud. VI*, 5. §. 4. GORIONIDES *VI*, 53. HEGESIPPUS de *Excidio Hieroſol. V*, 44. EUSEBIUS *Hiſt. Eccl. III*, 8.

ducti fuerant, haud fuisse n) ignotum. Latera singula Hierosolymæ, quam Ioannes e cælo descendere viderat, æquabant circiter 12000 stadia æque ac latitudo ac altitudo ejus. *Apoc.* XXI, 16. An hæc altitudo spectet ad mensuram, inter fundamenta domiciliorum & horum fastigia sitam seu interceptam, ambigi potest. Ecclesia enim Iesu dicitur esse urbs, supra altum montem posita. *Matth.* V, 14. De reliquo satis intelligitur, ecclesiam sanctorum Iesu adsectatorum, in regno gratiæ versantium, conditorem habere potentissimum, qui Hierosolymam suam spiritualem ita o) instruxerit, ut ipsa ab hostibus haud possit expugnari ac ruinæ involvi. Mensura duodecies mille stadiorum, qualis ævo Ioannis fuit usitata, videtur *Voltairio* non satis esse cognita. Octo stadia uni Romano miliari erant æqualia, &, quoniam quinque milliaria Romana explent numerum unius nostri milliaris Germanici, ideo quadraginta stadiis æquatur unum Germanicum milliare. Hinc intellectu facile est, stadia 12000. æqualia fuisse milliaribus Romanis 1500, id est, Germanicis 300, & milliaribus Gallicis 375. Quis vero unquam do-

n) *Tob. XIII*, 8, *f. Sepher Raziel haggadol fol.* 24. *Amstelod.* 1700. *fol. Ialkut rubeni al hattorah f.* 13. 4. *fol.* 182, 1.

o) *Io. X*, 27, 28, 29. *Apoc. XXI*, 10.

docuit, Hierosolymam, quæ cœlitus descendit, ut domicilia hominibus vitæ communis in ea sint, dici figuratam? Urbes, quæ habitantur, cœlitus haud descendunt, sed labore hominum exstruuntur. Visa fuit Ioanni sponsa Agni, &, dum angelus eam Ioanni monstrare voluit, ipsi ostendit urbem magnam, sanctam Hierosolymam, supra montem magnum altumque sitam. XXI, 9, 10. Respicit Ioannes vel potius figura, quæ ipsi adparuit, ad imaginem virginis, quam Pontifex summus Iudæorum in uxorem ductu-rus erat. Eius enim sponsa in capite internuptias splendebat corona aurea, *urbem Hierosolymam*; monti impositam ac XII. portis instructam, referens p). Censorem oportebat meminisse, ea, quæ intra visiones per figuras adspectabiles fuerunt delineata, numquam sensu proprio esse capienda, nec nostrum esse, id, quod nobis ignotum est & cuius explicationem ignoramus, in ludibria ac sannas convertere, ne videamur aliis merito nostro ridiculi sanniones.

§. 9.

Iustinum esse testem fallacem vel potius ineptum, ita *Voltairius* sibi aliisque ivit persuasum. Ipse sic subducit rationes suas: *Si Iusti-*

p) *Kelim X*, 8. *Edaioth II*, 7.

Iuſtinus fuit primus de Apocalypſi teſtis, vir de reliquo credulus & ad falſa pro veris habenda pronus, ratio, cur ſtatuamus, Apocalypſin ab Apoſtolo Ioanne profectam eſſe, corruit, quippe quæ viro divino indigna eſt, abſurdis referta enuntiatis. Libet verba *Voltairii* ipſa in medium adferre, quibus ſententiam ſuam maiori cum circumſpectione & eloquentia e penuaria ſua cella critica expoſuit. En ipſa: „ Si Iuſtinus eſt primus, qui Ioanni adtribuit Apocalypſin, quidam recuſarunt eius „ teſtimonium, eo quod in eodem *Dialogo* „ *cum Tryphone Iudæo* dicit, aquas Iordanis „ per Ieſum, dum in Iordanem deſcendit „ ipſe, in ebullitionem q) fuiſſe redactas „ ac flammantes adparuiſſe, id quod in „ nullo Apoſtolorum ſcripto invenitur. I- „ dem Iuſtinus confidenter oracula Sibylla- „ rum r) adducit. Adde quod contendit, „ ſe vidiſſe reliquias conclavium parvorum, „ quibus incluſi fuerint s) 72 Interpretes „ in Pharo Ægypti ævo Herodis t). Te- „ ſtimonium hominis, qui infeliciter hæc „ exigua domicilia vidit, indicare videtur, „ autorem eis fuiſſe includendum. S. Ire- „ næus, qui ſerius vixit, & cui æque reg-

 „ num

q) *Pag.* 315. *D.*
r) *Apol. I. p.* 34, *ſ. II. p.* 66.
s) *Cohortat. ad Græcos p.* 13, 14.
t) *Apol. II. p.* 72. *C. D.*

„ num millennii erat cordi, ſe a ſene didi-
„ ciſſe originem Apocalypſis Ioanni tribuen-
„ dam tradit. At exprobratum fuit S. Ire-
„ næo id, quod ſcripſit, eſſe tantum qua-
„ tuor evangelia u), eo quod ſint totidem
„ cardines mundi, totidem venti cardinales,
„ & totidem animalia ab Ezechiele viſa.
„ Ipſe inſignivit hanc ratiocinationem no-
„ mine demonſtrationis. Fatendum eſt,
„ rationem, qua demonſtrat enuntiata ſua
„ Irenæus, meliorem eſſe illa, quam vidit
„ Iuſtinus. " Hæc *Voltairius*, miſcens ea, quæ vocamus facta, cum dogmatibus, & illuſtrationes doctrinarum cum dogmatibus eisdem, obſervationem præſentium rerum cum ratiocinationibus inde deductis, & teſtimonia exterorum cum fide eorum, qui ea repetierunt: atque argumenta κατ' ἄνθρωπον valida eum argumentis, *quibus ſui inſunt* per ſeſe artus ſuæque vires. Quam vellem ipſe eſſet maior philoſophus & iudex candidior! Nam fruſtra animum induxit ad arbitrandum, *Iuſtinum* fuiſſe *primum*, qui, Apocalypſin ab Ioanne Apoſtolo litteris conſignatam fuiſſe, crediderit. Non vacat iterare, quæ ſupra iam obmolitus ſum huic opinioni. Quot ſcripta ætatis illius, qua Iuſtinus vixit, interciderunt? EUSEBIUS ac PHOTIUS aliique reliquias inde modo exiguas nobis

u) *III*, 1.

nobis conſervarunt, quas in manibus oculisque habemus. Nolim inficiari, *Iordanem* flumen fuiſſe illuſtratum æthere flammante, quum Ieſus in eo ſtetit ac a Ioanne ſuſcepit baptismum. Evangeliſtæ enim ea narrarunt, e quibus id ipſum haud invita ratiocinatione colligi poteſt x). Accedit quod traditum fuit y) per manus, aquas Iordanis tunc flammam ac fervidum motum ſimul concepiſſe. Sapientia Dei id haud indignum erat, Ieſum declarari in ipſo ſui baptismo Meſſiam per extraordinaria & miraculoſa eventuum monimenta. Id ipſum enim Ioanni Baptiſtæ, tamquam Meſſiæ nota z) & ſignum, fuerat prænuntiatum. Et quid inde colligi poteſt, ſiquid ab Evangeliſtis a) eſt omiſſum? In *Actis Apoſtolorum* legitur pronuntiatum b) Ieſu, quod in nullo Evangeliſtarum memoratur. *Num id propterea Ieſu non eſt tribuendum? Paulus* ſignificat, ſe doctrinam de cœnæ Domini uſu ac inſtituto a Domino accepiſſe. Ubinam vero id referunt Evangeliſtæ? Oracula Sibyllarum ætate Ioannis inſerviebant illuſtrationibus enuntiatorum;

x) J. A. DANZII *Inauguratio Chriſti ad docendum non inferior Moſaica. Ienæ* 1717, 4.
y) Autor *de Baptismo hæreticorum.*
z) *Iob. I*, 31-34.
a) Omiſſa ſunt multa. *Iob. XX*, 30. *XXI*, 25.
b) *Act. XX*, 35.

nec Ebræis deerant, *Pauſania* teſte, ſuæ Sibyllæ c), id eſt, mulieres vaticinia elocutæ, quas Iudæi non prorſus repudiarunt. De conclavibus Alexandrinorum Interpretum in inſula Pharo *Voltairius* conſulere potuiſſet PHILONEM d), Iudæum Alexandrinum, qui ea haud ſecus indicat ac *Iuſtinus*. Quem Iuſtinus adpellavit *Herodem*, is non illico pro Herode Magno vel quodam ex poſteris eiusdem reputandus eſt. Erant Orodes, Aretæ, Artæi, ſeu Herodes olim varii in Arabia, Parthia, Idumæa, Syria, & Iudæa. Ptolemæus Lagi eiusque filius Ptolemæus Philadelphus erant Palæſtinæ & Cœles Syriæ domini, ac in utraque regione ſuum habebant Proregem. An inſulſum dictu eſt, uni ex his vel alteri fuiſſe Orodis nomen? *Iuſtinus* certe norat, Ptolemæum Philadelphum diu ante Herodem Magnum huiusque poſteros vixiſſe. Qualem Chronologiam tunc ſecuti fuerint Chriſtiani, cognoſcitur ex THEOPHILO ANTIOCHENO, qui ſuppar fuit Iuſtini ætati, nec non ex TERTULLIANI libro *adverſus Iudæos*. Nec ignorant ei, qui in Græcorum ſcriptorum lectione ſunt verſati, Regem, Imperatorem, Regem fiduciarium, Proregem, Præſidem re-

c) PAUSANIAS in *Phocicis p.* 825. 828. PERIZONIUS *ad Ælianum p.* 724.

d) *L. II. de Vita Moſis.*

regionis, dici βασιλέα & ἡγεμόνα. *Iuſtinus* ipſe non vidit interpretes in inſula Pharo, ſed *Philonem* ac narrationes eius, nec non *Ioſephi* atque Iudæorum Alexandrinorum fidem ſecutus fuit, qui quotannis in Pharum proficiſcebantur, memoriam interpretationis voluminum ſacrorum in græcum ſermonem recolentes. Contemplatus ipſe fuit rudera ac reliquias conclavium, in quibus illos a turba remotos conſediſſe interpretes fama erat penes Iudæos Alexandrinos. De 72. cellis interpretum totidem diſcretis, quas *Hieronymus* venerari recuſavit, *Iuſtinus* memoravit nihil. Ipſe in *Apologia* longiori, habet hæc: *Fuere homines quidam apud Iudæos, prophetæ Dei, per quos ſpiritus propheticus ea, quæ futura erant, antequam fierent, prænuntiavit; atque horum vaticinia Reges, qui temporibus ſuis in Iudæa fuere Reges, ita, ut quum ederentur, promulgata & vernaculo ſermone Hebræorum in libris, per ipſos prophetas compoſitis, præſcripta ſunt, conſervarunt. Quum autem Ptolemæus, Ægyptiorum Rex, bibliothecam inſtitueret, & omnium hominum ſcripta comportare conaretur, de prophetiis his quoque certior factus, ad Herodem tunc Iudæorum Regem miſit, ut copia ſibi fieret propheticorum librorum petens. At Rex quidem Herodes libros illos, hebræa, ut diximus, lingua conſcriptos, ad eum mitti curavit.* —— *Iuſtinus* ad Philonem & Ioſephum eos remiſit, qui-

bus de hac re ſic geſta ambigere libuit. At horum uterque ſatis ſignificavit grande intervallum inter Ptolemæi Philadelphi ac Herodis Magni ætatem. Quam ob cauſam *Iuſtinus*, qui norat, annos circiter 150. a Ieſu nato ad ætatem ſuam effluxiſſe & ad Ptolemæum usque illum maius elapſum eſſe temporis ſpatium inde ab Herodis Magni obitu, quod nemini tunc erat incognitum; non potuit ſibi perſuadere, Herodem Magnum Iudææ Regem fuiſſe ætati Ptolemæi Philadelphi æqualem. Legit enim ipſe *Diodorum ſiculum*, novit intervallum a Moſe ad Olympiadum initia, meminit Solonis, & diſcernit tempora Platonis ab ætate Alexandri Magni, novit ætatem Moſis & prophetarum, antecedentem philoſophos græcos, provocatque ad hiſtoricos græcos in *Cohortatione* ſua *ad Græcos* e), nec omittit delegare lectorem ad eos, qui de interpretatione bibliorum græca Alexandrina memorarant. Hæc argumenta ſufficere mihi videntur, ut negem, Iuſtinum voluiſſe Herodem Magnum Iudææ Regem in ætatem Ptolemæi Philadelphi collocare. Ad Orodem Iudææ Proregem quemdam reſpicere potuit, non ad Herodem illum famoſum, niſi ex *Ioſephi* lectione indicavit Iudæorum ſacerdotem ſummum, vetuſtate fortaſſis poſtea exeſum, cui

e) RUSEBIUS eam *Iuſtino* tribuit *Hiſt. Eccl. IV*, 28.

cui librarius arbitratu ſuo ſubſtituit Herodem Iudæorum Regem. Nam ſubiunxit *Iuſtinus* narrationi eidem repetitæ f) hoc enuntiatum: *Poteſtis hæc intelligere ex ſapientibus & ſpectatis Viris, Philone & Ioſepho & pluribus aliis.* An voluiſſet vir, mediocri prudentia imbutus, tam impudens eſſe, ut contraria Philoni & Ioſepho lectoribus traderet, quorum utrumque laudavit teſtem? At, inquies, *Iuſtinus* tamen credidit, interpretes V. T. Græcos interpretationes ſuas ſigillatim in domunculis totidem compoſuiſſe. Addidit *Iuſtinus* utique memorabilem hanc concluſionem: *Commemoramus ea, quæ ab incolis accepimus, qui res patrias a maioribus per manus acceperant traditas.* Subiecit vero hæc verba illis: *Veſtigia domunculorum*, τῶν οἰκίσκων, *in inſula Pharo adhuc*, σωζόμενα, *reliqua vidimus* g). Reſolvit *Iuſtinus* rationem narrationis ſuæ in fidem incolarum, nec pro huius auctoritate ſe vadem præbet. Cavendum igitur, ne viro immeritam adſpergamus labem. Temere dicitur, *Iuſtinum* domunculis illis fuiſſe includendum, quippe quarum reliquias & veſtigia ruinis oppleta vidit, quibus incolæ opinionem quamdam adfixerant per manus traditam. *Irenæi* comparatio quatuor evangeliorum cum quatuor

f) *Cohortat. ad Græcos p. 14. c.*
g) *Loco laudato.*

mundi plagis, cum ventis quatuor cardinalibus & quatuor Ezechielis animalibus h) eſt *apodixis* ingenioſa, ad ſenſus externos conformata, non mathematica, oratoribus familiaris eisque rem illuſtraturis accommodata. Nihil inde ad auctoritatem Apocalypſi detrahendam exſculpi poteſt. A ſene illo, a *Polycarpo*, non a *Iuſtino* hauſerat *Irenæus* ſuam de Apocalypſis auctoritate ſententiam, ideoque Polycarpus ſuam acceperat ſententiam porro a Ioanne. Quomodo hæc ad argumentationem Cel. *Voltairii* aliquid roboris conferant, ego prorſus non intelligo.

§. 10.

Monet plura ſcriptor Cel. *de Voltaire* hunc in modum p. 29, 30: *Clemens Alexandrinus non meminit in Electis ſuis, niſi de Apocalypſi S. Petri.* Doleo vicem tanti viri, qui *Clementem* non evolvit. Hic enim Apocalypſin S. Ioannis omnino memoravit ſcriptisque eam inſeruit divinis, *Stromatum* L. VI. p. 867. i). Non inficiandum eſt, CLEMENTEM ALEXANDRINUM in *Eclogis*, ex *Theodoto* excerptis, mentionem *Apocalypſis Petri* iecciſſe, quam ſæculi ſecundi, tertiique ſæculi

ac

h) *L. III, c.* 1.

i) Conf. EUSEBIUS *H. E. VI*, 14.

ac ætatum ſequentium ſcriptores pro ſuppoſititia & adulterina k) reputarunt l). Mallem Cel. *Voltairius* in hiſtoriæ eccleſiaſticæ campum ſeſe non immiſiſſet, nec ad ea, quæ ſeveritatem criticam exigunt, ludibundum ſuum ingenium adplicaret.

§. 11.

Ipſe ſic pergit: *Tertullianus, magnus millennii adſectator, non ſolum contendit, a S. Ioanne prædictam fuiſſe hanc reſurrectionem, & hoc millennii regnum, in urbe Hieroſolyma futurum, ab eo prænuntiatum eſſe, ſed ipſe etiam exiſtimat, hanc Hieroſolymam ſeſe iam cœpiſſe in aëre formare eamque vidiſſe Chriſtianos Palæſtinæ univerſos, immo ethnicos ipſos, per dies quadraginta continuos ſub noctis finem; at improſpere urbem illam die illucente evanuiſſe.* Simulac TERTULLIANUM ipſum adimus eiusque ſcripta m) inſpicimus, non de Hieroſolyma in terris adſpectabili, ſed de ſpirituali atque myſtica eum diſſeruiſſe, intelligimus. En eius verba:

„ De

k) EUSEBIUS *l. c.* SOZOMENUS *VII*, 19. NICEPHORUS *H. E. XII*, 34. I. H. GRABIUS in *Spicilegio ſæculi II. T. I. p.* 74.

l) IO. ALBERTI FABRICII *Codex Apocryphus Novi Teſtamenti p.* 940.

m) *Adverſus Marcionem L. III, c.* 17. *p.* 213, 214. *Baſileæ* 1550. *fol.*

„ De reſtitutione Iudææ, quum & *ipſi*
„ Iudæi, ita ut deſcribitur n), ſperant,
„ locorum & regionum nominibus inducti,
„ quomodo allegorica interpretatio in Chri-
„ ſtum & in Eccleſiam & habitum & fru-
„ ctum eius ſpiritualiter competat, & lon-
„ gum eſt perſequi, & in alio opere dige-
„ ſtum, quod inſcribimus *de ſpe fidelium*, &
„ in præſenti vel eo otioſum, quod non de
„ terrena, ſed de cœleſti promiſſione ſit
„ quæſtio. Nam & confitemur, *in terra*
„ nobis regnum repromiſſum, *ſed ante cœ-*
„ *lum*, *ſed alio ſtatu*, utpote poſt reſurre-
„ ctionem, in mille annos in civitate divini
„ operis Hieruſalem cœlo delata, quam &
„ Apoſtolus *matrem noſtram ſurſum* o) de-
„ ſignat, & πολιτευμα *noſtrum* p), id eſt,
„ *municipatum in cœlis* eſſe, pronuncians,
„ alicui utique cœleſti civitati deputat.
„ Hanc & Ezechiel novit & Ioannes Apo-
„ ſtolus vidit, &, qui apud fidem noſtram
„ eſt, *novæ prophetiæ ſermo* teſtatur, ut
„ etiam effigiem civitatis ante repræſenta-
„ tionem eius, conſpectui futuram, in ſig-
„ num prædicarit. Denique proxime ex-
„ pun-

n) A Marcionitis, quorum Chriſtus Iudæis priſti-
num ſtatum, in Palæſtina, dicebatur reddi-
turus.

o) *Gal. IV*, 26.

p) *Phil. III*, 20.

„ punctum eſt orientali expeditione. Con-
„ ſtat enim, ethnicis quoque teſtibus, in
„ Iudæa per dies quadraginta matutinis
„ momentis civitatem de cœlo pependiſſe,
„ omni mœniorum habitu euaneſcente de
„ profectu diei, & alias de proximo nullam.
„ Hanc dicimus excipiendis reſurrectione
„ ſanctis & *refovendis omnium bonorum uti-*
„ *que ſpiritualium copia* in compenſationem
„ eorum, quæ in ſæculo vel deſpeximus
„ vel amiſimus, a Deo proſpectam. Siqui-
„ dem & iuſtum & Deo dignum, illic quo-
„ que exſultare famulos eius, ubi & ſunt
„ adflicti in nomine ipſius. *Hæc ratio regni*
„ *cœleſtis.* Poſt cujus mille annos, intra
„ quam ætatem concluditur ſanctorum re-
„ ſurrectio, pro meritis maturius vel tar-
„ dius reſurgentium, tunc & mundi de-
„ ſtructione & iudicio commiſſa conflagra-
„ tione, demutati in atomo q) in angeli-
„ cam ſubſtantiam r), ſcilicet per illud in-
„ corruptelæ ſuperindumentum s) trans-
„ feremur in cœleſte regnum, de quo nunc
„ ſic ideo retractatur, quaſi non prædicato
„ apud creatorem (*ut Marcion arbitratus*
„ *fuit*,) ac per hoc alterius Dei Chriſtum

„ pro-

q) 1 *Theſſ. IV*, 25. *ſ.* 2 *Petr. III*, 10. 1 *Cor. XV*, 52.
r) *Luc. XX*, 36.
s) 2 *Cor. V*, 4.

„ probante, a quo primo & solo sit re-
„ velatum. "

Hæc *Tertullianus* opposuit *Marciano*, putanti, libros V. T. profectos esse ab alio Deo ac libros N. T. & illos hisce e diametro obstare. Non omittendum est, Tertullianum Apocalypsin *Ioanni* Apostolo tribuisse. Hoc testimonium adeo se non adprobavit Voltairio, ut testem potius probris adficere maluerit, auctoritatem testis genuini fideque digni Apostolo denegans & erepturus. Probrorum materiem, quam in Tertulliano videre sibi visus est, deprehendo nullam. Ioannes, antequam redderetur per obsidentes Hierosolymam Romanos hæc urbs, seu potius templi figura, quadrata, ante repræsentationem eius conspectui patentem, iam effigiem illam quadratam Ioannes prædixerat. *Apoc.* XXI, 16. Hierosolyma enim nova cum templo Hierosolymitano comparatur ibi. Memoratu dignum est, ex sententia *Tertulliani*, Apocalypsin ante belli Iudaici initia fuisse scriptam & ad lectores datam. Eamdem sententiam, verissimam quippe, *Tertullianus* alibi etiam adprobavit ac sectatus fuit t). Effigies illa Hierosolymitani templi quadrata omnino fuit expuncta in orientali expeditione Romanorum con-

t) *De Præscriptionibus c.* 36.

contra Hieroſolymam u). Prodigium, quod in bello Iudaico ruinam urbis illius præceſſit, ſubiunxit Tertullianus aliud, a Iudæis narratum, & ideo, ſi revera fuit conſpectum, a Romanis etiam viſum. Hoc, & quod paullo ante indicavimus portentum effigiei, Tertullianus vocavit novæ prophetiæ ſermonem. Addit tamen illico: *qui apud fidem noſtram eſt*, id eſt, cui quisque noſtrum arbitratu ſuo fidem habere poteſt. Pro vaticiniis iſthæc fuiſſe habita, novimus ex Iudæorum ſcriptis. Viderunt Iudæorum meteoroſcopi urbem ante diem exortum cœlitus pendentem, cuius imago exorta ſolis luce evanuit, nec de die amplius fuit conſpecta. Prodigium hoc per dies quadraginta ſummo mane traditur adparuiſſe. Apud *Ioſephum*, *Gorioniden*, & *Hegeſippum* nihil quidem de eo legitur. Nec *Tacitus* illud adtigit. Singula enim oſtenta, Hieroſolymæ excidium prægreſſa, eidem ſcriptores litteris non conſignarunt. In ſcriptis vero Talmudicis ac libro *de vaſtatione Urbis* plura oſtenta & hoc etiam, a Tertulliano memoratum, deprehendimus. Reſurrectionem Sanctorum priorem, quam Ioannes vidit inter priores mille annos, *Tertullianus* vocavit *rationem regni cœleſtis*, non terreſtris, & huic

u) IOSEPHUS *Bell. Iud. VI*, 5. §. 4. GORIONIDES *VI*, 53. *p.* 860.

huic regno tribuit copiam omnium ſpiritualium bonorum, cœleſti civitati deputatam. Dum vero regnum illud in terra fore ſignificavit, quod per Hieroſolymam e cœlo deſcendentem ſit indicatum, ad ſtatum eccleſiæ ab inſectationibus exterorum liberatum reſpexit omnino, ſiquidem docuit, Hieroſolymam cœlo delatam eſſe Chriſtianorum omnium matrem, *Gal.* IV, 26, & aliquam cœleſtem civitatem. HIERONYMUS in *Epiſtola ad Hedibiam* & EUSEBIUS notiones haſce, a Tertulliano complicatas, clare ſatis evolverunt. At Patrum primorum, hoſtilem ſævitiam ob oculos habentium ac ſæpius perferentium, mos erat, elementa evolutionis Apocalypticæ germana vel tacere vel primoribus tantum digitis adtingere. Norant enim, vindictam Dei in Iudæos ac Romanos, Chriſtianorum crudeles perſecutores definitam, in ea prænuntiatam eſſe. Eapropter nolebant ſenſum Apocalypſeos vulgo detegere, pericula inde oritura potius evitaturi, ut ex IRENÆO x), HIPPOLYTO y), ac LACTANTIO z) nemini obſcurum eſſe poteſt. Ob hanc rationem *Tertullianus* quoque cunctum ſententiæ ſuæ de Apocalyptica Hieroſolyma & mille annis complexum haud aperuit.

x) *L. V, c.* 30. EUSEBIUS *H. E. V*, 8.
y) *De Antichriſto c.* 50.
z) *Inſtitution. divin. IV*, 21. *V*, 2.

ruit. Iudicet nunc lector, an Cel. *de Voltaire* in tenebris micaverit, an solide Tertullianum exposuerit probris ac fastidio Christianorum. Ubinam, obsecro, Tertullianus tradidit, millennium in urbe Hierosolyma sensu proprio futurum? Ubinam scripsit, Hierosolymam illam regni mille annorum sedem se jam in aëre ostendisse? Ubinam dixit, eam vidisse in aëre pendentem Christianos Palæstinæ universos?

§. 12.

Progreditur Censor ad ORIGENEM, & DIONYSIUM ALEXANDRINUM, ita differens: „ *Origenes in præfatione sua ad Evangelium S. Ioannis ac in Homiliis suis adlegat oracula Apocalypsis. At ipse pariter oracula Sibyllarum adlegat. Inter hæc S. Dionysius Alexandrinus, qui circa medium sæculi tertii scribebat, tradit in quodam fragmento per Eusebium* a) *conservato, doctores pæne ad unum omnes rejicere Apocalypsin, librum quasi ratione destitutum. Idem tradit, librum hunc non a Ioanne, sed per quemdam Cerinthum compositum esse; hunc vero illustri usum fuisse nomine, ut somniis maiorem conciliaret auctoritatem.*" Hæc censor, immemor consuetudinis adlegandi, quam scriptores solent ad-

a) *Hist. Eccl. VII*, 25.

adhibere. ORIGENES delegat lectores ad Sacras litteras & ad ipſam Apocalypſin, quippe quarum ſingulos libros & hanc inter illos auctoritate Divina eminere docuit. At oracula Sibyllina in eum cenſum haud retulit. In his enim quæ ſunt vera, ea ex libris biblicis ſunt deſumta. Paulus non eadem ratione adlegavit Moſen, ac Menandrum, Aratum & Epimenidem. Novimus omnino, ab Origine Apocalypſin libris eccleſiæ canonicis accenſeri b), non oracula Sibyllina. DIONYSIUS Alexandriæ Epiſcopus nequaquam tradidit ea, quæ cenſor eum tradidiſſe ſignificavit. En ipſa *Dionyſii* verba: τινὲς τῶν πρὸ ἡμῶν ἠθέτησαν καὶ ἀνεσκέυασαν πάντῃ τὸ βιβλίον, καθ' ἕκαστον κεφάλαιον διευθύνοντες, ἄγνωστόν τε καὶ ἀσυλλόγιστον ἀποφαίνοντες· ψευδεπίγραφόν τε τὴν ἐπιγραφήν. Ἰωάννου μὲν εἶναι λέγουσιν· ἀλλ' οὐδ' ἀποκάλυψιν εἶναι, τὴν σοφοῦ καὶ παχεῖ κεκαλυμμένην τῷ τῆς ἀγνοίας παραπετάσματι. Eidem, qui ita rationes ſubducebant, contendere ſunt auſi, Cerinthum, qui nominis ſui ſectam condiderat, titulum Ioannis præfixiſſe Apocalypſi, ut *ficto ſuo operi* nomen fide dignum faceret. Quod Dionyſius *de nonnullis ante ſeſe* tradidit, id cenſor doctoribus pæne univerſis tribuit. An hæc in hiſtorico & hiſtoriarum ſcriptore tolerari poteſt audacia? Nonnulli iſti auctoritatem Apo-

b) EUSEBIUS *Hiſt. Eccl. VI*, 25.

Apocalypſeos recuſarunt admittere ac ratiocinando declarare ſtuduerunt, eam eſſe ignoti ſenſus & ad ratiocinationis modulos nequaquam compoſitam. Hinc certe non intelligitur, eam nonnullis illis viſam fuiſſe ratione deſtitutam. *Cerintho* tribuitur πλάσμα, *commentitium & confictum opus*. At ſomnia & deliriationes ei a Dionyſio non tribuuntur. Addere liceat hiſce porro paucula. Id inprimis memoratu dignum eſt, *ante annum* 220. neminem Chriſtianorum Apocalypſi Ioannis auctoritatem Divinam & nomen auctoris Ioannis ſubtrahere conatum fuiſſe c). Quum vero PROCLUS, Cataphrygum ſeu Montaniſtarum patronus, dogma ſuum de millennii regno adſpectabili, intra Phrygiam inferiorem inchoato ſeu exoriente, teſtimonio Apocalypſis ſuperſtrueret, CAIUS eccleſiæ Romanæ presbyter e re ſua duxit, Hieroſolymæ illius novæ commentitiæ fundamenta evertere prorſus & ſolo æquare. Contendit itaque, auctorem Apocalypſis eſſe *Cerinthum* d), ac diſputationem iniit e) cum illo *Proclo* circa annum 220, vir diſertiſſimus, at in infimo criticorum ſubſellio hærens. *Caius* contra eumdem

c) HIERONYMUS *Ep. ad Dardanum fol.* 25. *B. C. T. III. Opp. Baſil.* 1516. *fol.*
d) EUSEBIUS *H. E. III*, 28. *VII*, 25.
e) EUSEBIUS *Hiſt. Eccl. VI*, 20.

ſcripſiſſe quoque librum dicitur f). *Erravit Caius.* Nam Cerinthi ſcripto priſco nomen fuit Ἀποκαλύψεις, non Ἀποκάλυψις g). Adde quod Cerinthus divinitatem Ieſu, quam confirmat Apocalypſis, haud agnovit h). *Ioannes* vidit Sanctorum mentes in cœlo vivas ac cum Ieſu Rege regnantes intra mille annos, quibus Satanas erat in cuſtodia vinctus & coërcitus. Hæc ad viſionem ac ſtilum Symbolicum ſunt referenda. *At Cerinthus ſenſu proprio docuit dari regnum Ieſu in terris adſpectabile, deliciis adfluens, quale* plerique tunc Iudæi exſpectabant & adhuc exſpectant. Nec Caji auctoritas peſſumdedit Ioannis auctoritatem, Apocalypſi adfixam. DIONYSIUS enim *Alexandrinus* & antiſtites eccleſiarum Ægypti hanc venerati ſunt, neglecta Caji opinione i). Caius erravit, dum mille annorum regnum, Ioanni in viſione oblatum, & illud, quod *Papias* eiusque ſectatores faciebant ſuum, cum Chiliasmo Cerinthi habuit pro eodem k). An

f) Idem *II*, 25.

g) Idem *H. E. III*, 28. SAMUEL BASNAGE in *Annalibus politico-eccleſiaſticis ad a.* 96. *n.* 12. *p.* 812. *a.*

h) IRENÆUS *I*, 26. THOMAS ITTIGIUS *de Hæreſiarchis c.* 5. *ſect.* 1.

i) EUSEBIUS *H. E. VII*, 25.

k) GEORGIUS CALIXTUS *de ſupremo iudicio p.* 163. IOANNES GERHARDUS *de Conſummatione ſæculi* §. 67.

An *Nepos*, Ægypti Epiſcopus, Chiliasmum craſſum, Iudæis plerisque adprobatum, propugnaverit, ea quæſtionis disquiſitione nunc poſſumus ſuperſedere. Redeundum enim nobis potius eſt ad *cenſorem*.

§. 13.

Iſte hæc porro proiicit in medium p. 30: *Concilium, Laodiceæ anno* 360. *agitatum, in cenſum librorum canonicorum haud refert Apocalypſin. Erat ſingulare admodum, quod Laodicea, quæ erat eccleſia, ad quam Apocalypſis data erat, deſtinatum ſibi theſaurum reiiciebat, & quod Epiſcopus Epheſi, qui concilio intererat, pariter reiiciebat hunc librum S. Ioannis, in urbe illa Epheſi olim ſepulti.* Miror, quod cenſor annum 360. illi concilio tribuit. Eruditiſſimi enim viri, qui concilia collegerunt ac de eis commentati ſunt, adprobarunt iudicium WILHELMI CAVE, ita arbitrantis: *Certum huius Concilii tempus ſtatui nequit.* Qui per coniecturas veluti per tranſennam cernere maluerunt, annum definierunt 367. Canone 58. cautum fuit in Synodo illa, quinam Pſalmi in eccleſia cantandi & quinam Biblici libri in ea ſint ibidem prælegendi, qui canone 59. ita recen-

 ſen-

§. 67. GISBERTUS VOETIUS *T. II. ſelectarum Diſputationum p.* 1256.

ſentur, ut numero eorum eximantur liber Tobiæ, Iudith, Eccleſiaſticus, Sapientiæ, de Maccabeis, & *Ioannis Apocalypſis*. Unde intelligitur libros canonicos deſignari, qui in templis publice 1) ſint prælegendi, nec inde quicquam adverſus Apocalypſis Ioanneæ auctoritatem colligi poſſe. Vulgus non intelligiebat ſummam & argumenta Apocalypſis. Et dubito admodum, an nonnulli Epiſcoporum, qui concilio intererant, evolutionem ſingulorum arcanorum ſenſuum Apocalypſis habuerint in promtu. Laudanda igitur erat ipſorum prudentia. Si norant Apocalypſis evolutionem, eam cum auditoribus communicare non poterant nec debebant. Non debebant, neſcientes fata temporis ſecuturi. Paullo enim ante ethnico Imperatori Iuliano paruerant Chriſtiani inter variam animi anxietatem. Inconſultum erat deſignare auditoribus ac eos docere in templo, Romanos Imperatores ethnicos eſſe belluam ſepticipitem Apocalypticam. Non poterant communicare Epiſcopi expoſitionem Apocalypſis cum auditoribus per officii ſui rationem. Fruſtra enim imperitis iſthæc in-

1) *Quæ autem oporteat legi & in auctoritatem recipi, hæc ſunt: Geneſis — — — ad Hebræos.* CAPITULARE AQUISGRANENSE §. 20. *col.* 221. *T. I. Capitular. Regum Francorum* STEPHANI BALUZII.

indicaſſent, & fortaſſis eventu, eccleſiis moleſto. Et expoſitio Apocalypſis, quam doctiſſimi Patrum ſibi norant, *Lactantius* nempe, *Euſebius*, *Hieronymus*, *Sulpicius Severus*, aliique, non erat ex uſu Chriſtianorum, ſalubri ad pietatem, ſæculo iam quarto. Patres, qui Concilio Laodiceno in Phrygia Pacatiana intererant, non reiiciebant Apocalypſin, quam quippe tribuebant Ioanni, ſed canoni librorum in eccleſia legendorum eximebant. Ponamus id etiam, Epiſcopos negaſſe, Apocalypſin ad ſeptem eccleſias Aſiæ proconſularis fuiſſe datam, inde tamen auctoritati S. Ioannis & Apocalypſi nihil decedit. Nam in hac plerumque occultantur nomina urbium, in quas vaticinia ſunt directa. Vrbs magna, ad quam Ieſus fuit in crucem actus, adpellatur inibi πνευματικῶς, ſenſu non proprio, ſed arcano & myſtico, *Sodoma & Ægyptus:* respublica Iudaica adpellatur *meretrix magna*, beſtiæ ſepticipiti inſidens & innixa: Hieroſolyma vocatur *Babylon:* eccleſia Ieſu, a iugo Moſaico liberata, vocatur *Hieroſolyma nova.* CYPRIANUS haud obſcure indicavit, Apocalypſin ad cœtus Chriſtianos Hieroſolymitanos fuiſſe datam. Et eam opinionem, ſi cum *Tertulliano & Euſebio* ac *Epiphanio* atque veteri interprete *Syro* exiſtimamus, Apocalypſin ante bellum Iudaicum, ultimo Neronis

tempore fuiſſe m) exaratam, deprehendemus ſufficere explicandis ænigmatibus Apocalypſis; dummodo ritus Iudaicos, hiſtoriam Iudæorum ac imperii Romani, habemus in expedito. Videtur aliquando aliquid ad exploratores ethnicos ex vero vaticiniorum Apocalypticorum ſenſu translatum fuiſſe, ac illos inde huic libro fuiſſe admodum infenſos. A LACTANTIO n) certe & AMLOCHIO o) adlegantur vaticinia & enuntiata ex Apocalypſi ſub nomine Pauli. Quidni Ioannis Apocalypſin dixerunt illorum ſedem ſeu fontem? LACTANTIUS libro VII. *Inſtitutionum divinarum* illuſtravit commentationibus ſuis, a Papia non diſſidentibus, univerſum caput viceſimum Apocalypſis, nec tamen eam nominatim indicavit. Omiſit præterea ſcriptoris nomen. Origo huius conſuetudinis videtur utique gravior eſſe & memorabilior, quam ut ex fortuito caſu exorta fuiſſe dici poſſit. Meminiſſe iuvat Diocletiani, qui Nicomediam in Bithynia ſedem tranſtulerat ſuam. Recordandum eſt florentiſſimi eccleſiarum Chriſtianarum ſtatus

m) ISAACUS NEWTON in *Obſervations upon the Apocalypſe of St. Iohn c. 1. p. 233, ſ. London* 1733, 4, poſt *Obſervationes in Danielem.*

n) *Inſtitut. divin. IV*, 21.

o) PHOTII *Amphilochia Quæſt. 92. p. 679.* in calce *Curarum I. C. Wolfii in N. T.*

tus in Asia Minori ante annum 301. sub *Diocletiano*, cuius quippe coniux Prisca & filia Valeria traduntur p) disciplinæ Iesu nomen dedisse. Videtur tunc aulicis nonnihil de *bellua Apocalyptica* innotuisse & postea Christianis vitio & probro ductum. Videntur hi accusationem q) inde exortam avertisse, contendentes, Apocalypsin inter suos nec legi nec sibi auctoritatis maioris plenam videri. Ex hoc fonte, opinor, profluxit ille, quem indicavi, mos adlegandi, & ista Asianorum exclusio Apocalypseos a publica intra conventus Christianorum religiosos lectione, quam in *Canonibus Apostolicis* quoque, circa id temporis collectis, deprehendimus. Quam primum vero Christianorum multitudo a Gentibus non christianis nihil amplius metuebat, sæculo scilicet circiter quinto, Apocalypsin auctoritati pristinæ voluerunt universi Christiani perstare restitutam r). Censor ultra terminos vaga-

p) LACTANTIUS *de Mortibus persecutorum c.* 15. 41.

q) Erant enim, qui Sacramenti, quod acceperant, proditores fiebant. Erant, quibus casu in manus divinæ litteræ incidebant. Inprimis infectatores vaticinia Apocalyptica cum Christianis eius temporis tribuebant Petro ac Paulo, ac ideo eos convitiabantur. LACTANTIUS *Institut. divin. IV*, 21. *V*, 2.

r) GUIL. BEVEREGIUS in *Codice canonum ecclesiæ primævæ vindicato II*, 9. *n.* 13.

tur, dum lectori persadere studet, Apocalypsin S. Ioannis per decretum Synodi Laodicenæ fuisse reiectam. Secrevit Synodus Apocalypsin a canone librorum in ecclesia publice legendorum, non reiecit eam nec Ioanni subtraxit.

§. 14.

Tandem *censor*, in irrisionem revolutus, infit ita: „ Omnium oculis erat manifestum, „ S. Ioannem sese continuo in fossa sua „ commovere, atque sine ulla intermissione „ in caussa esse, ut humus evehatur & subsidat. Interea eidem, qui certi ac persuasissimi erant, Ioannem non bene mortuum esse, certi de eo quoque erant, „ quod Ioannes Apocalypseos non exstitisset „ scriptor. At ei, qui regno mille annorum „ inhærebant, in opinione sua persistebant „ immobiles. *Sulpicius Severus* in suo *Historiæ sacræ* Libro IX. reputat eos pro insanis ac impiis, qui Apocalypsi inter libros canonicos non relicturi essent locum. „ Tandem post dubitationes multas, post „ conciliorum mutuas repugnationes, opinio Sulpicii victoriam reportavit. Sic „ causa erat explorata, & ecclesia decrevit, Apocalypsin sine ulla lite litisque „ materia S. Ioanni esse tribuendam. Ita „ ad iudicium porro aliud provocare non „ licet.

„ licet. Nulla non Chriſtianorum ſecta ſibi „ propria eſſe & ad ſe quadrare exiſtimavit „ vaticinia, quæ hoc libro continentur. „ Angli in eo converſiones ſtatus Britanniæ „ Magnæ invenerunt, Lutherani turbulen- „ tam Germaniæ fortunam, Reformati Gal- „ liarum faciem regni Caroli noni & reg- „ nantis Catharinæ Mediceæ. Hi ſinguli „ pariter ſua nituntur ratione. *Boſſuet* ac „ *Newton* ambo Apocalypſi euoluendæ & „ illuſtrandæ Commentarios ſuos accommo- „ darunt. Sed, ut generatim dicam, unius „ declamationes diſertæ, & alterius reclu- „ ſiones ſublimes, ipſis plus honoris, quam „ commentarii ipſi, conciliarunt. " An vero *Angli* omnes, Reformati omnes *Galli*, *Lutherani* omnes eam foverunt opinionem, quam cenſor eis adſcripſit?

§. 15.

Dignum patella operculum. Ex tripode ſcilicet hoc oraculum pronuntiat cara Phœbi ſuboles, magnum Apollinis incrementum. Ioannes ſi Apocalypſin haud ſcripſiſſe exiſtimandus eſt, cur itaque in eius ſepulcrum probra coniiciuntur? Ioannes Apoſtolus æquitatem & amorem s) hominibus commendavit, non irriſionis loliginem. Mortuus fuit

s) HIERONYMUS *L. III. in Epiſt. ad Galatas c. 6.*

fuit ipſe in tranquilla ſenectute ad annum æræ vulgaris centeſimnm primum, ac Epheſi fuit iuxta urbem ſepultus t). Siqui poſtea ſibi perſuaſerunt, Ioannem revera non fuiſſe mortuum, ſed dormire, interdum attollere ſuper ſeſe humum, vel etiam in cœlos fuiſſe ſublatum, eiusque loco ibi inveniri manna, eorum nemo dubitavit, Apocalypſin a Ioanne Apoſtolo fuiſſe conſignatam. Fabulæ, quibus Ioannis geſta & ſepulcrum homines recentioris ætatis condecorare ſtuduerunt, maximam partem eis ſæculis conſarcinatæ fuerunt, quibus in eccleſia græca & latina auctoritatem Apocalypſis ubique obtinuerat ſuam u). Teſtimonium SULPICII SEVERI legitur in huius *Hiſtoria ſacra* L. II, c. 31, non Libro nono. Conſtat certe iſta hiſtoria tantum libris duobus. Verba *Sulpicii* ſunt hæc: *Librum ſacræ Apocalypſis, qui quidem a plerisque aut ſtulte aut impie non recipitur*, Ioannes Apoſtolus atque Evangeliſta *conſcriptum edidit*. Iam antea anno 397. concilio Carthaginenſi, *Ioannis Apocalypſis* in cenſum librorum canonum.

t) EUSEBIUS *H. E. III*, 1. 31. *VII*, 25. HIERONYMUS *de Viris illuſtribus c.* 9. SAMUEL BASNAGE in *Annalibus a.* 101. *n.* 2.

u) THOMAS ITTIGIUS in *Selectis capitibus primi a nato Ieſu ſæculi c.* 7. *ſect.* 5. §. 10. *p.* 451, *ſ. Lipſ.* 1709. 4. TARNOVIUS & FRID. AD. LAMPIUS in *Prolegomenis ad Evangelium Ioannis.*

nonicorum erat relata. *Hieronymus*, *Ruffinus*, *Auguſtinus*, & ipſe *Innocentius* primus circa annum 405, idem ſenſerant. Concilia conciliis repugnaſſe, quantum ad auctoritatem Apocalypſis canonicam adtinet, verum non eſt. Nulla huius contradictionis uſpiam legitur formula, nullum monimentum. Quis ſibi perſuadebit, *Sulpicii Severi* eam fuiſſe in eccleſia latina & græca auctoritatem, ut eius ſententia retulerit victoriam? Victoriam reportavit veterum ac primorum ſcriptorum auctoritas, quam HIERONYMUS x) aliique Patres recti iudicii exiſtimarunt eſſe ſequendam. Ille ita iudicat: *Sed veterum ſcriptorum auctoritatem ſequimur, qui utuntur teſtimoniis canonicis & eccleſiaſticis.* Et quidni a conciliis provocare licet, ſi ipſa ſtent contra veritatem? FRIDERICUS certe NAUSERUS anno 1529. Apocalypſin e canone eximendam eſſe ſtatuit, nec propterea pœnam dedit, licet ſententiam ſuam *Moguntiæ* in publicam lucem emiſiſſet. *Ieſuitæ* in Hungaria ſæculo noſtro docuerunt intra præſcriptam proſelytis confeſſionem fidei novam, Episcopum Romanum pollere vi ac auctoritate abolendi libros Sacrarum litterarum canonicos, ac novos eis ſubſtituendi. Non repugnat eis quoddam in iure canonico enuntiatum,

x) *Ep. ad Dardanum fol.* 29. *C. T. III. Opp. Baſil.* 1516, *fol.*

tum, quod fere omnes Christiani refellunt & abhorrent. At, omissis hisce, nemo nescit, ex sæculo iam sexto prologum Hieronymi galeatum, in quo Apocalypsis locum inter libros canonicos occupat, Bibliis latinis præfixum ubique fuisse, eisque in hunc diem adhuc præfigi. Nihilominus libri, quos ille Apocryphis inseruit, plerique pro non apocryphis, pro canonicis in ecclesia Pontificia habentur. Licetne igitur a conciliis ad Hieronymi prologum provocare, quibus apocrypha in canonem fuerunt susceptа? An variae rerum nobis obscurarum, ad alia enim progrediendum est, expositiones exuunt auctoritate libros, in quibus res illæ leguntur? Si noverimus eorum, ad quos Ioannes scripsit, dogmata & ritus, fatorumque complexum cum vicinis imperiis copulatum; si noverimus tempus, quo Apocalypsin ipse scripsit: si scopum scripti, quod est epistola, habuerimus compertum: si antiquissimam eius interpretationem *Irenæi*, *Tertulliani*, *Lactantii*, *Eusebii*, *Sulpicii Severi*, secuti fuerimus, partibus invicem contemperatis, nec ex oculis Symbolicam Iudæorum scripturam dimiserimus; facillime ænigmaticam epistolam extricabimus, quippe quam aperte scribi haud intererat eo tempore cœtuum christianorum, & quæ non manifestari passim debebat, ne cœtibus illis maxima ruina temere contraheretur.

Epi-

Epiſtolæ propheticæ ſumma complectitur vindictam Dei, proxime in perſecutores eccleſiæ expromendam, in Palæſtina Chriſto Ieſu addictæ, eiusque liberationem partim per diſceſſum in confinia Perææ Arabica, partim per finem templi, Hieroſolymæ, & perſecutionis a gentibus & Iudæis acceptæ, exantlatæ & porro ſuſtinendæ. Eccleſia a iugo Moſaico liberata & renovata prænuntiatur, ſubſtituenda Hieroſolymæ inſectatrici ac rebelli, & per Romanos exurendæ & ſolo æquandæ. HIERONYMUS in epiſtola ad Hedibiam *quæſt.* 8. luculente repetivit illam priſtinam Apocalypſis explicationem hunc in modum: *Nemini violentum eſſe videatur, mortuo Saluatore adpellari Hieruſalem ſanctam civitatem* y), *quum usque ad deſtructionem eius ſemper Apoſtoli templum ingreſſi ſint, & ob ſcandalum eorum, qui de Iudæis crediderant, legis exercuerint cerimonias. In tantum autem Ieruſalem amavit Dominus, ut fleret eam & plangeret, & pendens in cruce loqueretur: Pater, ignoſce illis; quod enim faciunt, neſciunt. Itaque impetravit, quod petierat, multaque ſtatim de Iudæis millia crediderunt, & usque ad quadrageſimum ſecundum inde annum datum eſt tempus pœnitentiæ. Poſt quos, perſeverantibus illis in malitia, egreſſi ſunt duo urſi de ſilvis gentium Romanarum, Veſpaſianus & Titus,*

y) *Matth. IV, 5. XXVII, 53.*

tus, & blaſphemantes pueros —— interfecerunt atque laceraverunt. Et ex eo tempore Hieruſalem non appellatur civitas ſancta, ſed, ſanctitatem & priſtinum nomen amittens, ſpiritualiter vocatur, Sodoma z) *& Ægyptus, ut ædificetur pro ea civitas nova, quam fluminis impetus* a) *lætificat, & de cuius medio egreditur fons, qui totius orbis amaritudinem mitigavit, ut miſerabilis Israël ruinas templi nudatis plangat lacertis* b), *& in Chriſto turba credentium nova quotidie videat eccleſiæ tecta conſurgere.* Ante bellum Iudaicum per *Apocalypſin* Chriſtiani oraculum acceperunt, quo monebantur excedere Hieroſolyma & Palæſtina, ut ſe conferrent in Arabiam ad Pellam c), EPIPHANIO ſuffragante & illud oraculum Angelo, ut *Apoc.* I, 1, ſignificatur, tribuente. Hanc interpretationem ſecuti ſunt AUGUSTINUS, PAULINUS, & GREGORIUS MAGNUS d), quæ quadrat ad omnem Apocalypſin. ISAACUS NEWTONUS intellexit, eam ante bellum Iudaicum fuiſſe ſcriptam, nec IRENÆI e) locus, quem ſiniſtre plurimi expoſuerunt, ei ſententiæ ponit obicem, dummodo

z) *Apoc. XI*, 8.
a) *Apoc. XXII*, 1. 2.
b) *Apoc. XVIII*, 9.
c) EUSEBIUS *Hiſt. Eccl. III*, 1. *Apoc. XII*, 6. *XVIII*, 4.
d) L. A. MURATORIUS in *Anecdotis*, *Diſſert. XXII.*
e) *V.* 30. EUSEBIUS *Hiſt. Eccl. III*, 18. *V.* 8.

do recte expendatur. Falsum itaque est, Apocalypsin adeo obscuram esse, ut exponi haud possit. Plura alias. Censori satis dictum *).

*) Cultioris sed non minus lascivientis ingenii Virum, proterve cuivis Christianorum cœtui insultantem, illorumque aciem probro adficientem, licet in hoc campo levissima armatura instructus sit, quod mascule adeo excepeperit & compescuerit s. ven. HARENBERGIUS; quotquot existunt viri boni & pie eruditi in sinu suo gaudebunt, eique gratias agent. Quam absonum sit! se suo non metiri pede; quam inepte! descendere in arenam, quam habes incognitam & haud exploratam; quam imprudenter & intempestive! opprobriis lacessere quæ captum tuum superant; & publice temerario ausu vel ipsa sacra proscindere quam sit nefandum! satis ostendit Venerandus senex & amicus. Ne miremur autem virulentos *Voltairii* insultus. Nam ea est hominis sibi relicti indoles, ut quamprimum nominis insignem famam adeptus est, & quidem, si ingenio aut arte quadam præ ceteris polleat, merito suo, quod in *Voltairio* adgnoscimus, sibi ipsi non solum vehementer placeat ut ceteris omnibus præstantiori, verum putet etiam juris sui esse alios lacerare, de sacris quicquid lubet statuere, ipsi luci tenebras adfundere, & quemvis movere lapidem, ut stupeat hoc pacto orbis Virum ingeniosissimum, supra omne doctorum virorum vulgus eruditum, & magnum; qui sale, jocis & irrisionibus

bus vel contra veritates invictiſſimas inſurgere audet, easque pro lubitu ſophismatum ope adjutus fraudis inſimulare non veretur. Hæc agendi ratio haud dubie ſuperbiæ intolerabilis fructus & documentum eſt. Dixit autem *Harenbergius* V. C. cauſſam Apocalypſeos placide, nec paria paribus retulit. Ita decet Virum ingenuum & manſuetudinis Chriſtianæ ſtudioſum. Quam vellem, pergat ſtrenue in vindicanda cauſſa Dei, & ſimilibus ſcriptis Bibliothecam noſtram exornet. N. B.

IV.

JOANN. THEOPH. ELSNERI,

V. D. M. BEROLINENSIS ECCLESIÆ BOHEM. PAST.

DISQUISITIO EXEGETICO-CRITICA,

QUA DE

AUCTORE, OCCASIONE, INTENTIONE ET GENERALI DISPOSITIONE

PSALMI LXVIII.

BREVIS CONSPECTUS EXHIBETUR.

§. 1.

Psalmum LXVIIIvum inter præcellentiſſima veteris Oeconomiæ carmina atque monumenta referri debere, unanimi Interpretum confirmatur aſſenſu. Nemo quoque, qui Canticum hocce ſpirituale unquam attento legit animo, inficiari poteſt, illud non tantùm res ſummi ponderis & præclari argumenti in ſe continere, verùm & ea compoſitum eſſe ratione, ut nihil niſi ſublime & cœlitùs profectum in eo reperire liceat.

Sive enim illustrem ac magnificam, quæ hic aperitur, scenam pensites, sive sublimissimum dicendi genus a) mente tua volvas, sive denique singulas, quibus exaratum est Canticum, voces attentè rumineris, omnia in id conspirare videbis, ut Auctorem ejus divinitùs illuminatum, & ab ipso Numine sapientissimo edoctum esse solemne præbeant testimonium.

§. 2.

Quis verò præstantissimi hujus operis *Auctor* sit censendus, nullum, quod sciam, apud priscos æque ac recentiores S. Oraculorum Interpretes motum est dubium, quandoquidem Inscriptio ejus (לדוד), in præclaro

a) Hoc *Cl. Vitringa* (*Pater*) egregie illustrat ac confirmat *Observ. Sacr. L. III. c. 3. §. 2. circa medium*: „ quemadmodum, inquit, qui nobilia decantaturi sunt facta, & majores atque „ illustriores rerum eventus, in more habent „ positum, ut non modò dicendi genere utantur augusto, variis figuris & tropis intertexto, sed Orationi suæ quoque immisceant „ acclamationes, exhortationes seu παραινέσεις, detestationes, vota & hujus generis „ plura, quæ faciunt ad ciendos affectus; sic „ placuit quoque Spiritui S., ut in plurimis „ aliis, sic in hoc Psalmo, nihil eorum omittere, quæ ad ᾠδὴν spiritualem exornandam „ facere possunt. "

claro Pſalmorum opere non infrequens, quemvis luculenter edocere ac convincere poteſt, *Davidem*, regium illum Pſalten & Prophetam, nobiliſſimi hujus carminis *Auctorem* ab omnibus jure merito agnoſci b), qui illud cum permultis aliis verè elegantiſſimis & Deo plenis hymnis in Eccleſia publici uſûs eſſe voluit, præeunte Præfecto Muſices, quod plurimi Interpretes haud malè ex adjuncta in Titulo voce למנצח colligunt.

§. 3.

Multa inter ſacrarum Literarum interpretes viget diſcordia, qua præciſè *anſa* & occa-

b) Rectè utique judicant, qui non differre arbitrantur, ſive *Davidis*, ſive *Davidi* inſcriptus legatur Pſalmus, quod quidem Athanaſiana contendit ſynopſis, ex cujus effato „ *propriè* „ *Davidis* ſunt, quotquot iſtam habent In„ ſcriptionem, *Pſalmus Davidis*; qui verò ab „ aliis compoſiti, Davidi inſcribuntur, ſunt, „ quotquot inſcriptionem hanc *Davidi* ha„ bent; " cum ille titulus ſcriptorem proximè inſinuet, hic verò ad Auctorem principalem reſpiciat, ita ut, ubi מזמור לדוד *Pſalmus Davidi* legitur, ſemper κατ' ἐξοχὴν ſubintelligendum ſit, *a Spiritu Dei inſpiratus & in calamum dictatus*, per 2 *Sam.* XXIII. 2. & *Pſ.* XLV. 2. Vid. *Carpzov. Introd. ad Libros Canonicos V. T. Part. II. p. 96. poſt med.*

occasione Divinus noster Psaltes, a Spiritu Dei impulsus, peregregium hocce Canticum elaboraverit & consignarit; inde hic hanc, alter aliam ejus conscribendi occasionem in medium proferre non dubitat. Quùm autem omnes, quæ hic adferuntur, sententiæ nullo certo nitantur fundamento, verùm meris potissimùm suffulciantur conjecturis, eas enumerasse & paucis examinasse sufficerit.

§. 4.

Plurimi fermè sunt, qui *Occasionem* hujus Psalmi compositi & decantati autumant aliquam *victoriam*, *acquisitam de Hostibus in circuitu Israëlis vicinis*, *quos David depressit*. Sententiæ hujus Patroni haud dubiè oculum suum intendunt in nobilissimas Davidis victorias de Philistæis crebrò reportatas (2 *Sam.* V. 17–25.), ut & in eas, quas de Ammonitis, Moabitis, Syris, glorioſissimè reportavit; conf. 2 *Sam.* VIII. X. XXI. Sed non immeritò his opponitur, in præsenti nostro Psalmo potius respici & amandari ad futuram aliquam victoriam certissimam, cujus intuitu timidioribus animus additur, ad nobilem hancce militiam suscipiendam ac prosequendam. Cui objectioni haud leve addit pondus, quod Psalmus noster penitius inspectus tanta ac tam præclara victoriæ in eo memoratæ consectaria promittat, quanta victorias

Da-

Davidicas nunquam omninò ſunt inſecuta. Conf. vſ. 30, 32.

§. 5.

Alii ſ. Oraculorum Interpretes hic *de Aſſyriis poſt Iſraëlitici regni interitum ſub Hiskia perdendis* cogitant. Aſt hi minùs certam adhuc ſectantur viam, qui hanc divini noſtri vatis occaſionem ſcribendi fuiſſe contendunt. Id non obſcurè pateſcet, quùm rationes eorum, ex ipſis contextûs viſceribus petitas, paulò attentius penſitaverimus. Quod eo magis neceſſarium videtur, quandoquidem forte & multi alii, tametſi ab hac opinione alieni ſint, una alterave argumentorum exhibendorum ſpecie ſeduci poſſent.

§. 6.

Præcipuus, qui hanc ſententiam argumentis magis probabilem reliquis eſſe aſſerere conatur, eſt *Antonius Agellius*, Neapolitanus, Presb. Regul. Ord. Theatini, cujus *Comment. in Pſalmos* Romæ in Fol. prodiit anno 1606. Acies argumentorum ejus, quam inter alios *Cl. Rivetus Opp. Theol. Tomo altero p.* 246. delineavit, ſequens eſt: 1) Quod *Templi Hieroſolymitani* vſ. 30. fiat mentio, quod nondum erat ædificatum tempore egreſſûs Iſraëlitarum (præcipuè enim aciem

ſuam adverſùs eos inſtruit, qui hic de victoria Iſraëlitarum & Ægyptiorum clade agi diſputant), nec tempore ipſius Davidis, ſed tempore Sennacheribi extructum manebat, quod cùm prævidiſſet David, prophetico ſpiritu cecinit res, non ſua ætate ſed longo pòſt tempore geſtas. 2) Quod vſ. 28. aliquarum tantùm Tribuum mentio injiciatur, nempe *Benjaminis*, *Judæ*, *Zebulonis* & *Nephtali*; quia Ezechiæ tempore everſum erat Iſraëlitarum imperium. 3) Quod ad calcem Pſalmi (vſ. 30.) memorentur *munera a Regibus oblata*; quod congruere videtur cum iis, quæ poſt cladem Aſſyriorum acciderunt, quo tempore multi offerebant hoſtias & ſacrificia Domino in Jeruſalem, & munera Ezechiæ Regi Judæ, quin etiam Rex Chaldæorum miſit nuncios ad Ezechiam cum muneribus, 2 *Reg.* XX. 12. 2 *Paral.* XXXII. 31. 4) Quod ad extremum Pſalmi (vſ. 32.) dicatur: *venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Hi autem erant hoſtes Sennacheribi & Aſſyrii nominis (conf. 2 *Reg.* XVIII. 21. 24. & XIX. 9. *Jeſ.* XXXVI. 6. XXXVII. 9.); hinc probabile eſt; lætatos fuiſſe clade Aſſyriorum. En fortiſſima robora, quibus *Agellius* memoratam ſententiam ſat abundanterque ſuffultam opinabatur.

§. 7.

§. 7.

Sed, pace ejus dictum eſto, vix quidpiam infelicius invenit patrocinium; etenim omnia tam tenuia & luxata deprehenduntur, ut tantùm non ſua ſponte corruant. Ob ſuprà allatam rationem tamen paucula reponere juvabit: 1) ni *Agellius* homo Pontificius fuiſſet, cui genti textum authenticum rariùs inſpicere proprium eſt, gravioris meritò erroris reus haberetur; haudquaquam enim הֵיכָל tantummodo ad *Templum ſolidè exſtructum*, quale Salomonis & Zorobabelis ſive dictum ſecundum fuêre, referri debet, quia in Sacris antiqui Fœderis libris creberrimè & *Tabernaculum*, quod erat Silo & poſt Hieroſolymis ea denominatione eſt inſignitum, ut videre eſt 1 *Sam.* I. 9. III. 3. 2 *Sam.* XXII. 7. *Pſ.* V. 8. & alibi. Nec abs re, etenim הֵיכָל nihil aliud ſignificat, quâm *ædificium ſplendidum*, *ſublime*, deſcendens à radice, quām locupletiſſima hodiedum Orientis dialectus Arabum nobis conſervatam ſuppeditat هَكَلَ, cujus ſpecies Peihel هَيْكَلَ *magnus*, *procerus fuit*, unde prognatum هَيْكَلٌ *ædificium ſplendidum*, *magnum*, quale & Tabernaculum Moſis fuit, ob ſplendidam ſuam, qua gaudebat, ſtructu-

ram insigne; relatum dein etiam ad *Templum* denotandum ob eandem rationem. Huic addi potest, quod, etiamsi Psaltes *Templum* posthac exstruendum indigitasset, nihilominus argumentatio Agelliana non procederet, siquidem hic circa dubium ea, quæ futura erant, a Davide spiritus Prophetici pleno præmonentur, atque adeo nullum patitur incommodum, & de futuro hic cogitare Templi ædificio; præsertim cùm id David ipse erigere sibi jam proposuisset 2 *Sam.* VII: 1.; ne nunc sublimiorem hujus effati attingam rationem. 2) Quod ad secundum attinet ratiocinium, tantùm abest, ut rei demonstrandæ aliquid ponderis adferat, ut potiùs contradictoria doceat. Si enim Regnum Israëliticum fuit destructum, unde integrarum non modò *Benjaminis*, sed & *Zabulonis* & *Nephtali* tribuum fieri potest mentio, quas unà cum reliquis Tribubus ab Assyriis abductas in promptu est colligere; ut taceam præclara eis hic imposita epitheta. Non placet tamen, quod hic *Cl. Rivetus* substitui mavult, *quia sub nomine duarum proximarum & duarum extremarum omnes etiam comprehendebantur*, jure enim clarior talis expositionis desideratur probatio. Melius itaque mihi calculos suos posuisse videntur, qui hic sublimiorem reperiunt sensum, atque id de Apostolis Domini, ex hisce potissimùm tribubus oriundis, intelligendum pu-

putant; quod tamen longius exequi, hujus non eſt loci. Cui plura huc facientia ſcire volupe eſt, inter alios adeat Theologum conſummatiſſimum *Cl. Vitringam P. Obſ. Sacr. Lib. III. c. 3. p. m. 504. ſeqq.*, ubi modeſtè diſputat, quod in hocce vſ. 28. per *Benjaminem parvum* Paulus Apoſtolus intelligi poſſit; quæ Hieronymi, Theodoreti aliorumque Interpretum celebrium fuit ſententia. Notabile imprimis eſt teſtimonium *Theodoreti p. m. 507, 508.* exhibitum, quod, quia non tantùm de *Benjamine*, ſed & reliquis tribubus hic memoratis perappoſitè agit, utique inſpici meretur. Theodoretiano effato accinit *Illuſtris P. D. Huetius Demonſtr. Evang. Propoſ. IX. p. m. 763.* cui, quod obiter noto, Pſalmus noſter ſecundùm vulgatam Pſalmorum diviſionem eſt LXVII. *Tertium & quartum* Agellii argumentum, quùm nil niſi erronea & rei veritati minimè conſentanea depromant, nullam in iis refellendis collocabimus operam, quippe quae allatas hiſtorias attentè perlegenti ſponte ſua inania apparebunt.

§. 8.

Alii iterùm ſunt S. Oraculorum indagatores, qui divino noſtro vati *anſam* ſuppeditaſſe volunt *conſiderationem antiquæ eductionis ex Ægypto, ductionis per deſertum, Legis*

in

in monte Sinai lationis, & introductionis in terram Cananæam insecutæ, quo aliquot versibus evidenter respiciatur. Hæc opinio habet aliquam speciem, qua se commendet, & versus huc respicientes sunt 8. & 9. Sed num præter speciem aliquid soliditatis ac certæ demonstrationis suppeditet, non assequor. Non irem quidem inficias, Psalten in illustri hocce carmine conficiendo, & præsertim in versibus citatis, aliquomodo ad antiquam illam peregrinationis & legislationis Sinaiticæ historiam respexisse; sed an ejus consideratio præcipuè Davidem permoverit, Psalmum nostrum contexendi, vehementer dubito. Cum his in quibusdam conveniunt meditationes *Cel. Tillii*, quas in *opere suo belg. ad Psalmos Lib. II. p.* 363. reliquit consignatas, ubi regium nostrum Psalten ansam desumsisse asserit a præscripta Israëli consideratione, in festo Pentecostes institui solita; ita ut a celebri hocce typo ad multò excellentiorem ejus ascenderit Antitypum, in Jesu Christo Servatore nostro evolutum. Id ex traditione Iudæorum confirmari ait, quippe quæ nos condoceat, Psalmum huncce in celeberrima Pentecostes festiuitate solitum fuisse decantari. Hæc Viri sagaciſſimi cogitatio me judice præ ceteris sese commendat, ita tamen, ut eâ haudquaquam omnis litigandi occasio dici queat amputata. Infelicius longè eandem hancce viam

viam preſſit Targumiſta, atque paraphraſin ſuam ſatis fabuloſam reddidit. Hinc meritò eum refutat R. Salomo, & Aben Ezra ad vſ. 23. conqueritur, quod nullam videat in tali expoſitione Pſalmi cohærentiam.

§. 9.

Sunt denique, qui *hic de ſolenni arcæ in montem Zion adductione* cogitant, de qua legitur 2 *Sam.* VI. 12. ad quam reſpiciat initium Pſalmi, conveniens voto, quod apud arcam ſuo loco motam *Num.* X 35. audiebatur; & quæ glorioſæ aſcenſionis Meſſiæ fuerit Typus. Hanc ſententiam ſibi non diſplicere ait *Cel. Vitringa P. in ſua hujus Pſalmi expoſitione ad vſ.* 1. §. *IX.* vid. *ejus meditationes belg. de miraculis Jeſu Chriſti p.* 444. Quùm verò & hæc concludendi ratio ſufficienti deſtituatur fundamento, libenter eam miſſam facimus, atque in tanta virorum doctorum diſcrepantia ἀσύμβολοι manere malumus, quam conjecturis inutiles adnectere conjectationes. Nam in talibus, ubi S. Codex ſilet, nec quidquam certi ac indubitati ex ipſo contextu exſculpi poteſt, ſatius eſt ἐπέχειν & ignorantiam ſuam ingenue fateri, quàm multis hallucinationibus nihil niſi dubiorum plena procudere.

§. 10.

§. 10.

Majoris momenti ac utilitatis est disquirere, *quid de ipso hocce Psalmo sentiendum* veniat, & *cui præcipuè tempori illustris rerum tam sublimium pertractatio sit applicanda.* Quod ad summum & generale veluti thema in eo pertractatum spectat, tantùm non universalis omnium datur consensus, Regium Psalten nobis id, quod sublimi præmeditatus erat cogitatione, in eleganti depingere voluisse tabella, atque nos condocere, gratiosam clementissimi Numinis nostri præsentiam nunquam non Ecclesiæ suæ fuisse & futuram esse salutarem, e contra eam ejusdem hostibus longe exitiosissimam; ut ita electo Dei peculio, afflictionibus & ærumnis nonnunquam exagitato, largissimam beatæ consolationis suppeditaret ansam: quippe qui Dei sui, Jehovæ illius veracissimi & promissorum suorum nunquam immemoris, suffulti ac porrò suffulciendi præsidio, indubitatam ac glorioſam de omnibus hostibus suis reportaturi essent victoriam. Huic perinsigne addit robur, cùm vs. 19. adjungit, quod summus eorum Dux, salutis auctor & consummator, ascenderit in altum, captivam duxerit captivitatem, dona pro hominibus acceperit, & etiam rebelles inhabitarent in tabernaculo Jah Dei. Hinc enim

enim certiſſimum ſpei ſuæ ac fiduciæ capere poſſunt argumentum, ſibi nunquam peroptatum ac proſperum defuturum eſſe rerum ſucceſſum; quandoquidem ipſorum Princeps & potentiſſimus Auxiliator, poſt omnes omnium ſuorum hoſtium vires attritas & diffractas, ſuper omnia evectus, glorioſiſſimum in cœlis conſcendit Thronum, ubi perpetuum indeſinenter canens triumphum, atrociſſimos ſui & regni ſui hoſtes, ad ſcabellum pedum ſuorum poſitos lætabundo contuetur ore. Non ineleganter Vir longè meritiſſimus, *Cel. Vitringa P.*, ſcopum atque intentionem Pſaltis noſtri nobis delineatum dedit, quùm in *Obſervationibus* ſuis *Sacris L. III. c. 3. §. 2.* ita fatur: *In confeſſo eſt, Pſalmum hunc a Davide compoſitum eſſe, ad depingendum* ἡ δοξασμὸν *glorificationem Meſſiæ, & illius illuſtria conſequentia ſive effecta, quæ ſunt collectio & conſervatio Eccleſiæ, & deſtructio hoſtium, ipſi ac eccleſiæ ipſius in hoc mundo adverſantium.* Quæ ſummi Viri verba nos quaſi manu ducunt ad penitiùs inveſtigandum tempus, cui potiſſimùm illuſtre hocce, quod præ manibus habemus, carmen applicari contextus ratio exigat.

§. 11.

Ne autem in hiſce juſto longiores ſimus, atque propoſiti limites excedamus, paucis argu-

argumentum profundioris aliàs disquisitionis exequi licebit. Triplex potissimùm circa negotium hoc deprehendere datur discrimen. Sunt enim, qui hunc Psalmum *totum historicum* esse affirmant. Sunt, qui eum non nisi *illustrem de futuris* complecti ajunt *Prophetiam*; & denique non pauca licet numerare nomina, quæ *partim Historiam*, *partim vaticinium* in eo exhiberi contendunt.

§. 12.

Inter eos, qui priorem tuentur sententiam, alii eum *totum de exitu populi ex Ægypto* explicant, cum Chaldæo Interprete ac R. Salomon Jarchi. Quam sententiam etiam R. Aben Ezra adducit ad hunc locum: *Expositores*, inquit, *referunt eum ad Legem datam in Sinai.* Illustris Grotius ab hac opinione alienus non est. Sed hanc sententiam allegasse, est eandem refutasse; nam tota contextûs indoles ei refragatur, ne nunc Apostoli auctoritatem interponam. Alii recurrunt ad festivam illam & lætabundam solennitatem, qua David cum ingenti hominum multitudine ex Israële Gibeam descenderat, ad arcam Fœderis ex domo Abinadabi (2 *Sam.* VI. & 1 *Chron.* XV.), quo post ejus a Philistæis reductionem delatam legimus, petendam, & in tentorium a se erectum deducendam; *videtur*, inquiunt, *Regius Psaltes*

ex

ex læto arcæ Fœderis adſpectu, & ſymbolica ſuper ea Numinis omnipotentis præſentia c), *ſibi & toti populo ſuo omnimodam polliceri proſperitatem, atque Dei ſui laudes ac magnificentias ſublimi concelebrare pectore.* Id egregiè exſculpi poſſe adfirmant ex ipſo ſtatim cantici noſtri initio, quod citra omne dubium ex *Num.* X. 35. deſumtum eſſe volunt, ubi Moſes promoturis caſtris cum arca Dei dicere ſolebat: *ſurge, Jehova, & diſpergantur inimici tui, fugiantque oſores tui a facie tua.* His autem ex ipſius contextus penetralibus petitis tam multa opponi poſſunt, ut vix vel umbram alicujus probabilitatis ſupereſſe videas. Cui addo, quod hæcce hypotheſis minus firmo nitatur talo, utpote quæ verba Moſis cum exordio noſtri carminis conferat, quùm tamen planè diſſimilis ſecundùm eosdem detur ratio. *Moſes enim hæc fari ſolebat*, quum caſtra *Iſraëlitica* ſe expeditioni bellicæ accingere dici poterant, ob inſignem undiquaque hoſtium frequentiam; David autem e contra arcam Dei quieti & ſtabiliori ſedi committere meditabatur. Non felicius calculos ſuos poſuiſſe cenſendi ſunt, qui præclara Pſalmi noſtri effata applicita volunt inſigni alicui victoriæ, quam regius noſter

c) Arca Fœderis 2 *Sam.* VI. 2. ſignanter appellatur *Nomen Domini Zebaoth habitans, Cherubim ſuper ipſo.*

noſter Pſaltes de hoſtibus ſuis reportaſſet, ſive id de Philiſtæis (2 *Sam.* XXI.), ſive de Syris (2 *Sam.* VIII.) potius accipere animum inducas. Incommoda, quæ hancce opinionem premunt, ſuprà paucis attigimus; quare iis nunc ulterius immorari non lubet.

§. 13.

Convenientius ac majori cum ſucceſſu egiſſe dicendi ſunt, qui in interiora Pſalmi penetrantes, eum *totum Propheticum* eſſe adfirmarunt, tametſi non omnes in tempore ei adſignando æque feliciter verſati deprehendantur. Etenim nonnulli Iudæorum d) &

d) R. D. Kimchi, ſanioris alioquin judicii Vir, hic quoque odio Chriſti ad aliena abductus, hunc Pſalmum quidem Propheticum agnoſcit, ſed qui *cladem Aſſyriorum* ſecundùm 2 *Reg.* XIX. 35. ſeqq. prænunciet. Unde verba Pſalmi admodùm invita ratione eò trahit. Ita ſpeciminis cauſa ad vſ. 12. 13. inter alia ſcribit: *Mulierum autem meminit textus: quod illæ non exituræ eſſent ad prælium, ſed verbis tantùm bonis & dictis ſolatio plenis confirmaturæ animos virorum.* Quaſi verò prælio & armis Iſraëlitarum fuſus eſſet Aſſyriorum exercitus, aut de fortiori animo mulierum quàm Virorum in tanto diſcrimine quicquam memoraſſet ſcriptura? vid. *Joh. Henr. Michaëlis uberiores Adnotat. in Pſalmos vol. I. p.* 471.

& ſuprà memoratus *Antonius Agellius* non tantùm pronunciare, ſed etiam adſtruere conati ſunt, Pſalten noſtrum ea, quæ ſpiritu Prophetico præviderat, cecinisſe; illuſtrem videlicet & glorioſam piiſſimi Judæorum Regis Hiskiæ victoriam, quam de Sennacheribo, potentiſſimo Aſſyriorum Rege, non ſine miraculoſa Numinis ope, reportaſſe legitur. Rationes, quibus maximè Agellius ad hancce ſententiam amplectendam fuit permotus, ſuprà (§ VI.) vidimus, & §. VII., niſi me omnia fallant, abundanter dilutas dedimus. Quibus adjungere licebit, hanc Prophetiæ interpretationem non parùm infirmari aut deſtrui, quod Apoſtolo teſte vſ. 19. indubitatum de glorioſa Domini noſtri aſcenſione reperiatur vaticinium, nec obſcura beatiſſimæ gentium converſionis oſtendi queant indicia.

§. 14.

Longè meliori itaque jure alii audacter affirmari poſſe arbitrati ſunt, Pſalten hic ſpiritu Prophetico afflatum in *futurum Meſſiæ regnum* beatamque ejus conditionem oculum ſuum intendiſſe. Id poſt varios Judæorum magiſtros e) plerique Chriſtianorum

e) *R. Salomo Jarchi* teſtatur, quod nonnulli ſuæ nationis homines hunc Pſalmum futuris

rum interpretum f) afferere non dubitant. Imò qui ſacris Novi Fœderis oraculis fidem habere profitetur, Chriſtum Dominum in perilluſtri hoc carmine non invenire non poteſt, utpote quem non tantùm Apoſtolus Paulus in divina ſua ad Epheſios epiſtola c. IV. 8–10. ex Pſalmi hujus vſ. 19. vivis delineatum dedit coloribus, verùm & Dominus ipſe Nicodemo diſertis *Joh.* III. 13. *inſinuavit verbis*, ſe illuſtrem illam eſſe per-

Meſſiæ diebus applicitum velint; licet alii incredulæ gentis ſcriptores incerti animo ſint, quo illuſtriſſimum vaticinium referant. *R. Salomo* complementum vaticinii in adventu Meſſiæ ſui quærit, deletis nimirum impiis Eſavitis ſive Chriſtianis, quibus infenſum admodùm animum prodit in *not. ad vſ.* 2. 22-31. 32. *R. Obadias* (ap. Bartoloccium *Abdias* dicitur), cujus *Commentarius in Pſalmos* cum ipſo textu Venet. 1586. in 4^to^ impreſſus eſt, Pſalmum hunc de futura ſuæ gentis liberatione agere vult.

f) Nihil facilius eſſet, ſi inſtituti permitteret ratio, quam priſcorum æque ac recentiorum S. literarum interpretum integram adferre ſegetem, qui hanc ſententiam tueri multisque argumentis corroborare ſuſceperunt. Unicum in præſenti nomino *Calovium*, qui Pſalmum hunc de Chriſto agere, adverſus illuſtrem Grotium pluribus confirmavit argumentis, Theodoretum fermè ubique preſſo pede ſequens, *in Bibliis ſuis illuſtratis Tom. I. p.* 1036-1044.

perſonam, de qua regius noſter Propheta luculentum præbuerit teſtimonium. Hæc tam inſignia in præſenti negotio monumenta, ſi etiam aliis deſtitueremur rationibus, tanti ſanè ſunt valoris, ut Chriſtiano pectori ſufficere, quin imò plene evincere poſſint, Meſſiam noſtrum atque Regem in præclaro vaticinio unicè indigitari.

§. 15.

Ut tamen infelici Judæorum incredulitati felicius occurramus, atque omnem cavillandi anſam præcidamus, non abs re fore autumo, ſi nonnulla adhuc hujus rei firmamenta atque fulcra adjunxerimus. Quæ cùm inter alios ſummus in re theologica Vir, *Cel. Salomo van Til*, in *opere ſuo belgico ad Pſalmos Tom. II. p. 362. 363. §. 3. circa finem*, egregio concinnavit ordine, eadem ex eo huc adſcribere licebit. Belgica ejus verba latino idiomate ſic effero: α) „ quod mons „ Dei ante Salvatoris noſtri adventum nun„ quam tam fœcundus & exaltatus fuit, „ qualem hic vſ. 16, 17. coll. *Jeſ.* II. 2. „ *Mich.* IV. 2. depictum cernimus. β) „ Quod converſio gentium vſ. 30. 32, 33. „ eodem modo deſcribitur, quo *Pſ. LXXII.* „ 10, 11. factum reperimus; id autem ante „ Chriſti in carne apparitionem nunquam „ videre licuit. γ) Quod hic primum cum

„ ſecundo Pentecoſtes feſto g) tali com-
„ parantur ratione, ut poſterius prioris
„ ſolennitatem longè ſuperare conſpiciatur;
„ conf. vſ. 9, 10. ♂) Quod aſcenſio Dei
„ in ſublime nunquam eam reliquit victo-
„ riam, ut captivorum multitudine captiva
„ facta, dona acceperit in hominibus, quin-
„ imò etiam rebelles habitando captivos
„ fecerit Jah Deus, niſi poſtquam Deus
„ deſcenderat, & ut Judæi loquuntur, ſer-
„ pentem antiquum vicerat. ♀) Victoria
„ è militari hac expeditione ſperata ma-
„ jor eſt, quàm quæ alicui præcedentium
„ Iſraëlis Regum aut Ducum h) applicari
„ queat, vſ. 22–24; ubi unquam reductio
„ ex profunditatibus maris, cujus vſ. 23.
„ fit mentio, locum habuit? Quæ omnia,
„ (ſic tandem Vir Clar. concludit) firmum
„ nobis ſuppeditant fundamentum, quod
„ in hac promiſſione, atque beata ejus
„ expectatione, nil aliud, quàm glo-
„ rioſam Meſſiæ noſtri victoriam & eam
„ in-

g) Hoc Cl. Viri Argumentum innititur hypotheſi l. c. §. 4. ab ipſo propoſitæ, de occaſione, qua David Pſalmum hunc contexuiſſe cenſendus ſit. Vide ſis eam ſuprà §. *noſtro VIII.*

h) Hic præcipuè in eos digitum ſuum intendere videtur Vir Cel., qui vel Davidis vel Ezechiæ victorias in Pſalmo noſtro memoratas volunt. Conf. §. IV. V. XIII. præcedentes, ubi hujus negotii perſpicua injicitur mentio.

„ inſecutum lætabundum triumphum in-
„ tueri ac intendere oporteat. " Rectè verò, etenim oculos ſuos claudat, & jucundos ſereni Solis radios inficietur neceſſe eſt, qui ſplendidum hoc atque magnificum Prophetiæ lumen pertinaciæ ſuæ & contradicendi voluptatis nebulis offuſcare ſuſtinuerit.

§. 16.

Commonſtrato jam & evicto ſpiritu Prophetico, qui in præclariſſima hac Oda jucundè viget, non auſim tamen affirmare, quod hic certus quidam ac determinatus Eccleſiæ melioris oeconomiæ ſtatus intendatur ac delineetur, multò minus inſignia hæc atque verè magnifica beatæ conditionis ſpatià definito temporis articulo definita dare, quoniam mihi in ſublimi hoc carmine talia reperire videor, quæ nonniſi univerſæ lætioris faciei eccleſiæ applicari poſſunt; etiamſi non negem, multa vaticinii noſtri effata præcipuè & ſingulari cum emphaſi huic illive temporum rationi convenire. Ad hanc minoris licet momenti obſervationem proponendam anſa mihi ſuppeditata eſt a *Cel. Campeg. Vitringa Patre*, quem Eccleſiæ Novi Teſtamenti ſtatum, in Pſalmo noſtro delineatum, ad Conſtantini

M. tempora referre i) video, quique id citra omnem hæsitationem vel dubii ullius suspicionem e toto Psalmi nostri contextu evidenter patere censet. Mearum fateor non est virium, cum summo hoc & supra omnium laudes collocato Viro in arenam descendere; veritatis tamen & candidæ disquisitionis amore ducto ea, qua par est, modestia breviter proferre licebit, quæ contra hanc viri longe meritissimi hypothesin inferri posse videntur.

§. 17.

Palmarium, quin imò unicum, quod Vir summus pro sententia sua stabilienda adfert argumentum in eo consistit: *status Ecclesiæ, qui in Psalmo hocce depingitur, est pax ejus atque prospera conditio, miserias diu multùmque perpessas insecuta, posteaquam illi, qui sese felicitati & secundis Ecclesiæ rebus opposuerunt, Reges essent disturbati & propulsi, quemadmodum ex vs. 12–14. apparet. Hunc tamen beatum Ecclesiæ statum novæ insecuturæ erant afflictiones, & recentes ejus hostes novas ei calamitates & adversitates illaturi prædicuntur; imò*

i) Vid. egregium ejus opus belg., quod *Expositiones mystici sensus miraculorum Jesu Christi* appellat, cuique Psalmi LXVIII. explicationem annexam videbis *p.* 443. *&* 444. *ad vs.* 1.

imò inter diverſos hoſce Eccleſiæ adverſarios inſignem quendam Jeſu Chriſti ἀντίδικον eſſe reperiundum vſ. 23, 24, 25. 31. *Hæc jam* Κεφάλαια *& notabiles hi characteres cui liquidius applicari poſſunt tempori, quàm fortunato Conſtantini M. Imperio*, interrogat denique Cel. ille Vir? Ex memoratis proclive eſt judicare, virum Cl. totum Pſalmi noſtri vaticinium ad fortiſſimi hujus rei Chriſtianæ defenſoris ætatem referri voluiſſe, ni paulò ſuperius (loc. cit. §. 5.) mentem ſuam accuratiori delineaſſet penicillo, atque oſtendiſſet, argumentum hujus odæ Davidicæ eſſe, *illuſtrem de glorioſa Jeſu Chriſti & regni ejus ſuper hoſtes ejus proſperitate annunciationem, usque ad conſummationem ſeculorum. Scenam autem hic exhibitam eſſe ſtatum Eccleſiæ, quùm Conſtantinus ei defendendæ a Deo fuit excitatus; hinc perſonas in prophetico hocce ſpectaculo obvias introducit tales, quæ primo in rebus ad ſua usque tempora enarrandis ſint verſatæ, deinde autem illuſtres Jeſu Chriſti victorias ad fines ſeculorum perduraturas ſpiritu prophetico decantare ſuſceperint.* Quæ verò præciſè commata hiſtoriæ, quæ prædictioni eſſent adſignanda, l. c. ſilentii peplo involuta reliquit Vir Clar., quare nec nobis ea demonſtrandi facultas eſt data. Quin imò addubito, an ſatis diſtinctè, & ſine nexus naturalis conturbatione, cuipiam ante oculos poni poſſint. Num hæc poſteriora ex

§. V. cel. Viri adducta cum iis, quæ ſuprà ex ejusdem §. VIII. allegaveramus, in omnibus ſatis exactè conveniant, nunc non pronuncio, neque contradictionis alicujus ſuſpicionem, quæ hic forte cuipiam oboriri poſſet, movere mens eſt. Id tantummodo verecunde aſſevero, rationes, quibus ſummum illud quondam Lycei Friſiaci decus hypotheſin ſuam confirmatam dare voluit, non tanti dici poſſe momenti, ut quempiam in partes ſuas pertrahere valeant. Quin imò triſtiſſimi illi conflictus, quos ſeculo IV. imperante Conſtantino M. Eccleſia ob infauſtas Arianorum k) lites ſuſtinuiſſe

k) Lugubrem hanc in civitate Chriſtiana Tragœdiam ambitioſo cuidam Alexandriæ Presbytero, *Ario* dicto, natales ſuos debere, nemini non pernotum eſſe poteſt. Unde illud Conſtantini ad ipſum Homer. Iliad. ε. vſ. 31.

Ἄρες, Ἄρες, βροτολοιγὲ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα. i. e.

Mars, Mars, pernicies hominum, cæde inquinate, murorum everſor!

ut *Baronius* habet *Annal. Tom. III. ad an. Chriſti* 319. §. 10. Alluſit videlicet Imperator ad ipſius nomen, quod græce Ἄρειος effertur, lat. autem *Arius*, ſeu, ut Sulpitius ſcribit, *Arrius*. Hiſtoria hujus temporis & vexatiſſimus in orbe Chriſtiano ſtatus a multis ejus

nuiſſe legitur, quique rei Chriſtianæ æque ac toti imperio Romano luctuoſiſſimas adtulerunt clades, memoratam Cl. Vitringæ opinationem haud parùm labefactare videntur. Quapropter tutiorem eos ſectari cenſeo viam, qui præcellentia cantici noſtri effata non exiguo alicui beatioris Oeconomiæ articulo, non hujus illiusve Chriſtiani dominatoris imperio anxiè aſſignare ſuſtinent, ſed latè patenti potius Eccleſiæ Chriſtianæ curriculo, diverſisque poſt glorioſam divini Servatoris aſcenſionem periodis applicari debere autumant. Hoc variis adſtructum dare argumentis, nullo fieret negotio, nî inſtituti ratio & juſto longior mora hæc in præſenti amputare præciperet.

§. 18.

Verbo adhuc ſubmonere reſtat, quod non infimæ dignitatis Interpretes in ſuo de hocce Pſalmo noſtro judicio probè diſtinguendum cenſeant inter ea, quæ veri nominis Prophetiam exhibent, & ea, quæ hiſtoricè enarrata dici queunt. In id, ſi interiorem plu-

ejus tempeſtatis ſcriptoribus æternæ mandata eſt memoriæ. conf. *Socrates Hiſt. Eccleſ. lib. I. c.* 5—9. *Euſebius de Vita Conſtantini M. Lib. II. c.* 64—67. aliique de Synodo Nicæna, in cauſa Arii habita, agentes.

plurimorum S. codicis indagatorum ſinum excutias, tantùm non omnes certo ſenſu conſentire videbis, multa licet res digerendi atque deducendi deprehendatur diſcrepantia. Miſſis enim iis, qui totum Pſalmum myſticum eſſe exiſtimant, & nihil in eo, quod ad literam exponi debeat, inveniunt l), ſunt, qui ubique in hoc Pſalmo *duos ſenſus a Spiritu S. intentos* putant, unum *hiſtoricum*, ad res, quæ tempore Davidis geſtæ fuerant, pertinentem; alterum *anagogicum*, ad Meſſiam & ejus regnum accommodatum. Quod, etiamſi quibusdam in Pſalmis obtinere queat, ſub typo videlicet rerum terreſtrium cœleſtia myſteria deſcribi, haudquaquam tamen hic ubique locum habere poteſt. Etenim non modo coactior nonnunquam ſeſe offeret Anagogia, verùm etiam hac agendi ratione forte præjudicaretur iis locis, in quibus circa omne dubium de Chriſto & ejus regno agitur. Quamobrem aliis tutior atque ſolidior videtur hic interpretandi modus, *qui in Pſalmo hoc utriusque Teſtamenti Myſteria decantari vult*, illa quidem *hiſtoricè*, hæc verò *propheticè* m). Vix enim aliquis in dubium vo-

l) Sic in antiqua Eccleſia Chriſtiana ſenſerunt *Auguſtinus* & *Eutbymius*.

m) Hunc olim ſecutos eſſe *Hilarium* atque *Hieronymum*, affirmat *Rivetus*; at erroris eum arguit *Calovius Bibl. illuſtr. Tom. I. pag.* 1044. *col.*

vocare poteſt, in eo paſſim reſpici ad profectionem populi Iſraëlitici ex Ægypto ad terræ Cananææ poſſeſſionem hoſtiumque ex ea deturbationem n). Non inficiabitur quoque quisquam, autumo, ea, quæ propheticam conſtituunt partem, tanta ſemet ingerere evidentia, ut nemo non de iis continuò plenè convincatur o). Ab his parùm vel nihil

col. 2., idque inde factum fuiſſe ſuſpicatur, quod Rivetus Bellarmino fidem habens, ipſos hoſce Viros non conſuluerit.

n) Sic ipſum ſtatim initium vſ. 2. eadem exhibet verba, quæ a Moſe proferebantur, quùm in deſerto profectura eſſet Arca ante caſtra Iſraëlitarum *Num.* X. 35. Verſus 3. 4. nonnullis non absque veroſimilitudine inſinuant, quis juſtiſſimæ ſupremi Numinis iræ fuerit effectus in nefanda illa Korachi, Dathanis & Abirami contra Moſen & Aäronem rebellione, quæque ex eo enata juſtorum, cumprimis Moſis & Aäronis, lætitia. Conf. *Num.* XVI. Quis vſ. 8. & quibusdam ſeqq. non animadvertit manifeſta Iſraëlis in deſerto profectionis, legislationis, ac jucundæ ſæpiuſculè refocillationis veſtigia? Reliquis ſpontè ſeſe contextum noſtrum evolventi daturis ulterius non immoror.

o) Non repetam, quod ſuprà jam aliquoties attigimus, Apoſtoli gentium teſtimonium *Epheſ.* IV. 8. omni exceptione majus, nec adferam jam allatam quoque Optimi Servatoris ad h. l. ablegationem *Joh.* III. 13. Quod nunc conſiderandum propono, eſt omnimoda ea ſalus

vſ.

nihil discedunt, quas *Cl. Coccejus* reliquit, meditationes p) ad nostrum Davidis canticum, quippe qui totum Psalmum *de regno Christi inter hostes, deque eorum profligatione* agere censet, ita tamen, ut novis vetera comparentur. *Quare sunt*, inquit Vir magnus, *in hoc Psalmo quædam prophetica, quædam historica; Ecclesia enim inducitur Deum glorificans ob nova facta, & commemorans in laudatione eorum etiam vetera.* Et profectò hæc cuilibet penetralia contextûs nostri penitius rimanti sese luculenter insinuabunt; ut jamjam paucis indicavimus.

§. 19.

Ut autem dicam, quod res est, non alienum a rei conformitate fecerimus, si præterea affirmemus, *quod phraseologiæ legalem con-*

vs. 20. 21., nec non Æthiopum aliorumque a sacris antea remotissimorum populorum mentio vs. 32. 33. Adde ea, quæ suprà (§. XV.) ex *cel. van Til* adducta cernis; ut & ea, quæ suprà (§. VII. *circa finem*) de Theodoreto memorata fuêre quoad vs. 28. Cui adjicio, quod forsitan a vero non aberrent, qui hunc vs. 28. cum *Ps.* XLV. 17. & *Matth.* XIX. 28. conferendum censent.

p) Proposuit eas *operum suorum Vol. II. p.* 260. edit. Anni 1672. conf. ejusdem *Anecd. Pars I. p.* 422.

concernentes Oeconomiam ſenſu typico explicari queant q), ita ut vſ. 2. de ſurgente Deo & diſperſis hoſtibus innuatur glorioſus Domini noſtri è ſepulchro exitus, eumque inſecutus cuſtodientium terror ac perculſus animus *Matth.* XXVIII. 1–4. De conſumendis igne hoſtibus agens vſ. 3. demonſtret exuſtam ab hoſte Romano Hieroſolymam. De juſtorum gaudio propter proſperrimum Dei ad alias regiones iter vſ. 4, 5. indigitet ineffabilem illam lætitiam, qua primos Chriſtianorum cœtus completos legimus, cùm luci evangelicæ in ethnicorum terra ſedem paratam inaudiverant. *Act.* II. 28. 33. De muliere ante ſola, nunc multorum liberorum matre vſ. 7. reſpiciatur ad lætiſſimam illam Eccleſiæ ubertatem, quam Apoſtolus *Gal.* IV. 27. egregiè indicavit. conf. *Eſai.* LIV. 1–3. *Pſ.* CXIII. 9. r) De pluvia, ne omnia nunc exequar, & ſermone grato vſ. 10–12. conf. *Joël* II. 23. 28. *Hoſ.* VI. 2, 3. Quod ſi itaque de ſenſu directo anquiratur, num videlicet argumentum præſens ſit *Hiſtoria vetus pingens Oeconomiam*

q) Digniſſima lectu hac de re ſubmonuit. cel. *Joh. Honertius Inſtitut. Theol. Prophet. Part. III.* §. 2. 3. *p.* 560. §. 6. *p.* 564.

r) De hoc poſtremo loco omninò conferendus cl. *J. van den Honert* in pereleganti *Commentario ad* ſolemnes illos Pſalmos, Judæis *Hallel* dictos.

miam novam, num verò sit *Prophetia Novi Testamenti alludens ad res Veteris ævi*, posterior sententia se nobis maxime commendat. Rationum id suadentium, ut brevis sim, has tantùm noto: α) Citatio Pauli *Ephes.* IV. 8. est directa ad rem suo tempore demùm impletam in adscensu Christi, de quo etiam Psalmus, ut de re jam gesta (vs. 19.) agit. β) Phrasis vs. 33. nimiùm conspirat cum *Ps.* II. 10-12., ubi directe melior intenditur oeconomia. γ) vs. 28. eas duntaxat memorat tribus, unde vocati sunt Apostoli, de quo suprà (§. VII.) pluribus actum §. XX. Tota autem res huc redit, rem evangelicam hic prædictam fuisse phrasi, desumta ab exodo Ægyptiaca & introductione in terram Cananæam. Exodus illa generaliter pinxit liberationem Ecclesiæ Evangelicæ, non tantùm a Judæis, verùm etiam ab ethnicis, antichristianis, Gogo & Magogo s). Si autem heic loci tantùm de *Exodo* illa ageretur, dubitari posset, quorsùm respiciat Psalmus in Novo Testamento; nunc autem dubitari non poterit, nam non tantùm de ea Exodo agitur, verùm etiam *de introductione* in terram promissam & de serioribus fatis. Hinc jam jure concludi potest, rem omnem hic esse periodicam, ita

s) Id. Cel. *J. v. d. Honert* pluribus ostendit *Commentar. in Cantic. Hallel p.* 171—195.

ita ut Exodus ad liberatam e Judaismo Eccleſiam reſpiciat, iter verò per deſertum ad moleſtum Eccleſiæ per deſertum ethnicum iter ad quietas in terra ſedes, atque ſic in cæteris.

§. 20.

Id ut cuivis clarius evadat, analyſin brevem totius Pſalmi noſtri LXVIII^vi hic adnectere mens eſt.

I. Ea, quæ pertinent ad Terram occupandam, vſ. 2–9.
  A. Baſis eſt Reſurrectio Meſſiæ, vſ. 2. *init.*
  B. Res ei baſi innixæ, referuntur
    a. ad hoſtes
      א. ſtatim fugientes, vſ. 2.
      ב. deinde perdendos, vſ. 3.
    b. ad amicos, quorum
      א. Gaudium
        α. Præſens deſcribitur. vſ. 4.
        β. Futurum jubetur expectatur-que. vſ. 5.
      ב. Cauſa gaudii enarratur,
        α. Ratione beneficii accepti vſ. 6, 7.
        β. Ratione modi ejus glorioſi, atque tremendi vſ. 8, 9.

II. Ea, quæ pertinent ad terram occupatam. Hac autem in parte videmus

A. Quid gestum fuerit in ipso occupandi actu,

a. Ratione Amicorum, quibus

א. Terra, ante sterilis, fœcundabatur. vs. 10.

ב. Terra fœcunda

α. non habitabatur modo, rem omnem moderante Numine vs. 11.

β. sed & cum gaudio & lætissimo sermone habitabatur. vs. 12.

b. Ratione Hostium.

א. Pulsorum quidem initio harum rerum, vs. 13.

ב. sed non omninò eradicatorum, uti oportuit. Hostes illi multum & gravem sæpè impetum facerent quidem, sed irritum planè, ita ut hanc rem impedire non potuerint. Hoc autem

α. Proponitur sermone ad vexandos fideles conversо, vs. 14.

β. Illustratur confirmaturque

1. Exemplo rerum præteritarum, vs. 15–17.

2. Argumento, sumto a præsenti roboris & majestatis divinæ gradu. Agitur enim distinctè

—. De Robore, vs. 18.

=. De Majestate, vs. 19.

B. Quid

B. Quid agendum ſit poſt illum occupandi actum. Hic autem diſtinctè videmus res expectandas, quæ
a. Proponuntur, ita ut diſtinctè videamus
א. Quid expectandum ſit,
α. Ratione amicorum, qui canent Canticum novum ad gloriam Dei, vſ. 20, 21.
β. Ratione hoſtium perdendorum, vſ. 22.
ב. Cur id omne expectandum ſit, nempè
α. Propter promiſſionem typicam Dei, vſ. 23, 24.
β. Propter exemplum typicum eorum, qui ante cecinerunt, vſ. 25, 26.
b. Commendatur
א. *Amicis Dei ſeu piis hominibus.* Hæc autem commendatio
α. Proponitur vſ. 27.
β. Urgetur a beneficiis Dei, quibus ille
1. Anteceſſores his piis dedit, vſ. 28.
2. Robur ipſis piis conceſſit, vſ. 29. *init.*
ב. Ipſi Deo. Hæc autem commendatio
α. Proponitur vſ. 29. *part. ult.*

β. Urgetur
1. Ab honore in Deum redituro, vſ. 30.
2. A victoria hinc oritura, quæ
—. Petitur, vſ. 31. *init.*
=. Extollitur
/. A pernicie hoſtium refractariorum, vſ. 31. part. 2.
//. A ſubmiſſione convertendorum ad *Deum* populorum vſ. 32.

γ. Ipſis regnis regibusque inimicis.
Hæc autem commendatio
α. Proponitur, vſ. 33.
β. Urgetur ab eminentia Dei. vſ. 34, 35.
γ. Ad Dei gloriam refertur. vſ. 36.

§. 21.

En, B. L., ea, qua licuit, perſpicuitate propoſitum totius noſtri carminis ſublimiſſimi conſpectum. Dijudica eum & omnia antecedentia æquo & præjudiciis vacuo animo. Habesne hoc in difficili disquirendi negotio certiora & ſolidiora, communica ea mecum & cum toto orbe erudito; rem mihi profectò gratiſſimam facies, & ego tibi citra omnem mentis pertinaciam lubentiſſimè cedam, ſiquidem nihili, niſi veritatis

&

& ſoliditatis Exegetico-criticæ ſincere cupidus ſum; & quovis tempore impenſe lætor, quando mihi ſentire contingit, fratrem meum, in regno veritatis una mecum de genuina veritate ſollicitum, me hac illave occaſione ſuperaſſe & edocere aptum eſſe; hac enim via & ego cum multis aliis per fratrem meum doctior evadere queo. Paucis abhinc diebus & cogitata mea Philologico-theologica de vſ. 14to Pſalmi noſtri LXVIII. tibi proponere ac dijudicanda porrigere ſatagam.

V.

IACOBI DE RHOER,

PHILOLOGI DAVENTRIENSIS,

EXERCITATIO

DE

Privilegiis ac iure Pontificis M. Romanorum in ſacerdotes urbis, deque Eiusdem auctoritate in templa ac ſacerdotes provinciarum.

SYNOPSIS.

§. 1. *Introitus.* §. 2. *Pontificum Collegium ſummum.* §. 3. *Sententia noſtra de poteſtate Pontificis M. definitur.* §. 4. *Et adſtruitur.* §. 5. *Argumentum primum.* §. 6, 7. *Argumentum ſecundum.* §. 8, 9. *Difficultates quædam removentur.* §. 10. *Argumentum tertium.* §. 11. *Difficilis Feſti locus explicatur.* §. 12. *Objectiones formantur.* §. 13, 14. *Et ſolvuntur.* §. 15. *Secunda pars de Auctoritate Pontificis Romani in templa & ſacerdotes provinciales.* §. 16. *Romani locum occu-*

cupantes ſacra & profana ſibi ſubiiciebant. §. 17. *Omnibus liberum religionis uſum permittebant.* §. 18. *Cura ſacrorum & ſacerdotum relinquebatur provincialibus.* §. 19, 20. *Et rep. libera.* §. 21. *Et ea oppreſſa.* §. 22. *Quænam ſacerdotum ratio dein in provinciis.* §. 23. *Pontifex M. nullus extra Romam.*

§. 1.

Auguſtiſſimum profecto Pontificis M. apud Quirites olim fuit nomen, quem ideoque ſplendidiſſimis paſſim titulis ornari videas. *Maximus* quippe *rerum, quæ ad ſacra & religiones pertinent, iudex, vindexque contumaciæ privatorum, magiſtratuumque*, ut apud *Feſtum* (a) dicitur. Quæ quidem verba excutere res integri eſſet commentarii. De auctoritate autem, qua ſupra ceteros eminebat dicere non debemus, ſed de *privilegiis ac iure illo, quod exercebat in ſacerdotes urbis ac provinciarum*, & ſic ultro provehemur in quæſtionem iſtam, an Pontificis Romani auctoritas ſe quoque extenderit ad ſacerdotes & templa provinciarum extra Italiam, tam illa Romanorum, in quibus Quiritum ritu ſacra obibant, quam aliorum, qui Diis ſuis Localibus ac patriis operabantur.

Res equidem digniſſima quæ curatius examinetur; ſed cavere debemus, ne per mate-

(a) In voce *Maximus Pont.*

riæ ubertatem in locos communes evagemur, utque intra ſuos cancellos conſiſtat hæc ſcriptio; non quæ poſſunt, ſed quæ debent dici, ſeligenda erunt.

§. 2.

Quum Pontificum ſummum fuerit ſacerdotium apud Romanos, qui ideoque ἱερέων οἱ ἀφανέστατοι, & τῶν μεγίστων πραγμάτων κύριοι adpellantur *Dionyſio* Halicarnaſſ. (a) quosque in omnes ſacerdotes inquiſiviſſe dicit, per ſe patet, auctoritatem Pontificis M. in ſacerdotes reliquos fuiſſe ampliſſimam. Pontificum quippe collegio ipſe præſidebat. Dubito ideoque, an non apud *eumdem* alio in loco, ubi editur (b) Γαΐῳ Παπιρίῳ τὴν ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν ἔχοντι, legendum potius ſit ἱερέων ἡγεμ. ἔχ. quod *Sylburgium* iam conieciſſe video. Quia tamen *Livius* quoque teſtatur (c): Numam omnia publica privataque ſacra Pontificis ſcitis ſubieciſſe, nihil demuto.

§. 3.

Quamvis vero ampla admodum eſſet illa auctoritas, quamvis etiam multa habuerit pri-

(a) Lib. I. p. 30. L. II. p. 132. (b) L. III. p. 178. (c) L. I. cap. 20.

privilegia *ſupra* Pontifices præſul iſte, nullum tamen ius, nullam auctoritatem habuiſſe *in* reliquos, (ea enim de re diſputamus) mihi perſuadeo, niſi quæ deberentur collegii principi; iſtud ut convocaret, præſideret, ſuffragia colligeret curaretque, ut decreta executioni mandarentur; atque adeo, ut paucis dicam, primus erat inter pares, maior quidem ſingulis, minor tamen univerſis: atque hinc, quia ſacrorum cuſtodia ad eum proxime pertinebat, in cauſſis quibusdam, etiam absque collegarum ſuffragiis, eius valebat auctoritas, ita tamen, ut provocatio ſupereſſet.

§. 4.

Quæ ne gratis dixiſſe videar, fontes ipſos debemus adire, ſcriptores antiquos, qui huius cauſſæ iudices unice eſſe poſſunt. Et pro iure quidem meo flagitare poſſem, ut quis contra probaret, aliquam auctoritatem in ſacerdotes alios, niſi ea quam definivi lege, a Quiritibus Pontifici M. fuiſſe decretam; tum enim liqueret, quorſum evaderet iſta demonſtratio. Id vero cum fieri iam nequeat, candide veterum teſtimonia, in quibus conquirendis mé non indiligenter verſatum eſſe fateor, quotquot huc pertinent, adducam: ideoque ſi quis alia invenerit, quæ ſententiam noſtram iugulare

possint, vadimonium illico deseram, caussæ arbitrium æquo iudici lubens meritoque daturus.

§. 5.

Ac primo quidem ita colligo ex illis locis, quæ amplissimam Pontificum, id est collegii, potestatem describunt eum in modum, ut tuto inde conficias, Pontificem M. non modo nullam auctoritatem in reliquos exercuisse, sed ipsos illos Pontifices ea curasse, quæ aliis in locis Pontifici M. tanquam collegii præsidi contribuuntur, quæque ad maiestatem eius significandam pertinere creduntur. Testem dabo locupletem *Dionysium* Hal. (a). *Pontifices* (per interpretem dicit) *summa auctoritate præditi, nam omnes lites sacras iudicant, inter privatos pariter & magistratus ac sacrorum ministros, leges etiam ferunt de sacris, quæ nondum scriptis mandata, nec usu recepta sunt, si digna videantur quæ legibus & consuetudinibus sanciantur, in omnes item magistratus, quibus sacrificia & Deorum cultus esset commissus, & in omnes sacerdotes inquirunt, ministros quoque sacrorum in officio continent, ne quid contra sacras leges delinquant: quod si quem animadvertant præscripta sua contemnere, eum multant pro delicti magnitudine, ipsi*

(a) L. II. p. 132.

ipſi a iudiciis & multa ſunt inmunes, nec tenentur vel ſenatui, vel populo rationem reddere. Splendidiusne poterat de poteſtate ſacra teſtimonium dici? nihil tamen hic invenias, nihil apud *Livium* aliosque, qui prolixe id agunt, unde efficias Pontificem M. auctoritatem in collegas exercuiſſe; quod tamen illi ſilentio præterire non potuiſſent, cum amplam illam poteſtatem toti collegio contribuant.

§. 6.

Idem nos docere poſſunt illa loca, quæ licet ſummam Pontificis M. auctoritatem conſtabilire videantur, re tamen ſatis expenſa, eum collegii ſuffragiis obſtrictum fuiſſe arguunt. Nec libera tantum Republica: ſed ea etiam occupata, imperatores, Pontifices, ut ſcimus, Maximos, ad collegium retuliſſe oſtendam.

§. 7.

Libera adhuc Rep. exemplum liquidiſſimum habemus in Licinio, Pontifice M. qui ver ſacrum non recte eſſe factum collegio primum, dein ex auctoritate collegii *Patribus* renunciabat (a). Idque firmabunt illa ipſa

(a) *Livius* L. XXXIV. c. 44.

ipsa exempla, quæ opinioni nostræ repugnare videri possent.

§. 8.

Etiam ante oppressam libertatem merum mixtumque imperium Pontifici M. aliqui tribuunt, eumque capitali quoque supplicio in aliquos animadvertisse notant. Exempla illa vel petita sunt ab illis, qui Vestali vim intulerant, vel ab ipsis illis virginibus.

Ac primo quidem memorabile nobis exemplum occurrit apud *Livium* (a). *Lucius Cantilius Scriba Pontificis, quos nunc minores Pontifices adpellant, qui cum Floronia stuprum fecerat a Pontifice M. eo usque virgis in comitio cæsus erat, ut inter verbera exspiraret.* Observari autem velim hac in caussa Pontificem M. vetustæ tantum legis, a Tarquinio prisco, teste *Zonara*, (b) iam latæ, executionem suscepisse. Ad hæc, non pro sua auctoritate, pœnam infligebat, sed e collegii decreto. Res clara est e *Dione Hal.* (c) qui diserte Pontificibus id tribuit, similemque pœnam ab iisdem alio in loco inflictam narrat. (d) Eadem illa loca nos docere possunt, alterum quoque casum, qui pro argumento huius potestatis excitatur, nihil nobis

(a) L. XXII. 57. (b) Lipsi. de Vest. c. 13.
(c) L. VIII. p. 556. (d) L. IX. p. 597.

nobis obeſſe. Quamvis enim *Livius* (a) de Opimia & Floronia, Veſtalibus, in genere tantum dicat, alteram ſub terra ad portam Collinam eſſe necatam, alteram ſibimet ipſam mortem conſciviſſe, *Dionyſius* (b) tamen nos docet, pontificum iuſſu id fuiſſe factum, idque Livius etiam firmare poteſt. (c) *Ampliatam*, (ſic de Poſtumia, Veſtali virgine, loquitur) *dein abſolutam pro collegii ſententia Pont. M. abſtinere iocis, colique ſancte potius, quam ſcite iuſſit.* Quid? tantum abeſt, haec ut doceant merum imperium habuiſſe Pontificem M., ut contra a ſententia & illius, & totius collegii provocatum legamus, & quas illi abſolverant, damnatas dein fuiſſe a Caſſio, quem illi quæſtioni populus præfecerat. (d) Quæ cum luce meridiana clariora ſint, non intelligo, quo iure ſcripſerit cl. *Boſius* (e) hoc uno in caſu (*in pœna nempe & Veſtalibus infligenda, & qui eas vitiaverant*) Pontificem M. merum habuiſſe imperium. Illene merum habet imperium, qui e collegii ſententia iudicium dicit, & a quo ad populum provocatum vidimus? Praecipuas tamen præſulis iſtius partes in hac cauſſa fuiſſe negari haud debet, nec *Suetonio* repugnat, (f) apud quem Titus Imperator *Ponti-*

fica-

(a) l. l. (b) Ibid. (c) L. IV. 44. (d) Aſc. Ped. in Orat. Cic. pro Mil. (e) de Pont. M. c. 5. (f) in Tito c. 9.

ficatum M. ideo se professus accipere, ut puras servaret manus, fidemque præstitit, nec auctor posthac cuiusquam necis, nec conscius. Neque enim opus est posteriora illa verba nectere prioribus, & si connectas, nihil tamen in illis est, quod de Pontifice M. salva veritate dici nequeat: in quibus proin haud opus erat ut haereret Vir præclarus, in Senatu Parisiensi caussarum olim patronus, & ob eruditionem haud vulgarem Romana civitate donatus. (a)

§. 9.

Ut fidem liberem, ostendere debeo, ipsos etiam imperatores, non pro sua auctoritate sententiam dixisse, sed Pontificum collegium in consilium adhibuisse: immo id fecerunt pessimæ etiam notæ Principes.

De AUGUSTO dubitare nos non sinit *Tacitus* (b) *Consulti per ludibrium Pontifices, an concepto, nec dum edito partu, rite nuberet. Per ludibrium*, fateor, de more tamen ipso & iure inde constat. TIBERIO, ut funus ducere Pontifex M. posset, venia a senatu & pontificum collegio fuit impetranda, ut notavit Dio. (c) De VESPASIANO testatur lapis apud *Gruterum*. (d)

Iovi

(a) *Guther* de Iur. Pont. II. 2. (b) I. Ann. II.
(c) Cas. ad Suet. Aug. c. 100. (d) p. 13. 11.

IOVI
IMP. VESPASIANUS
AUG.
PER COLLEGIUM PONTIFICUM
FECIT.

& plura eius notæ in opere illo æterno nobis occurrunt. (a) De DOMITIANO *Plinius* (b). *Nam cum Corneliam Vestalium maximam defodere vivam concupisset. . . Pontificis M. iure, seu potius inmanitate tyranni*, licentia *domini, reliquos Pontifices non in regiam, sed in Albanam villam convocavit.* Vides Pontificum collegium, licet loco iniusto, de Vestali convocatum, idque a Pontifice M. inmani tyranno.

Traiano inperante de transferendis reliquiis Romæ Pontifices adibantur. Res clara e Plinio etiam (c) *quia sciebam in urbe nostra ex eiusmodi caussis collegium Pontificum adiri solere, te domine M. Pontificem consulendum putavi, quid observare me velis.* Ubi titulum Pontificis M. ideo Imperatori tribuit, quia loquitur de illis, quæ ad Pontifices pertinebant, quorum princeps erat Imperator: adeoque cum Neronem Lolliæ Paullinæ cineres reportari, sepulcrumque exstrui permisisse apud *Tacitum* (d) legamus, id eum feciſſe tanquam Pontificem M. ut fecerunt etiam ceteri

(a) p. 132. 4. (b) L. IV. Epist. II. (c) L. X. 73. (d) XIV. Ann. 12.

ceteri ab illo imperatores, minime e loco isto liquet, quod tamen volebat Vir doctissimus (a). Certe non sine consensu Pontificum fieri debebat, nam postea etiam reliquiarum transferendarum curam ad eos pertinuisse, manifestum est e literato lapide (b).

RELIQUIÆ TRAIECTÆ EX PERMISSU COLLEGII PONTIFICUM CATULLINO ET APRO COSS.

horum vero consulatum Fasti referunt ad Annum DCCCLX, XXXIII. Valuit itaque id quod dicit *Ulpianus* (c) *ossa quæ ab alio inlata sunt, vel corpus an liceat domino loci effodere vel eruere sine decreto Pontificum, seu iussu principis, quæstionis est, & ait Labeo, exspectandum, vel permissum pontificale, seu iussionem Principis.* Sed hæc in transitu.

§. 10.

Immo tantum abfuit, ut in reliquos dominari potuerit Pontifex M, ut contra Pontificum collegio subiectus ipse fuerit. Si *Livium* inspiciamus, nihil certius esse fatebimur (d). Negabat ibi Licinius, Pontifex

(a) Guther de Iur. Pont. II. 9. (b) p. 578. 1. (c) L. 8. D. de rel. & sumt. Fun. &c. (d) L. XXXI. 9.

fex M. ex incerta pecunia voveri debere res, ad collegium Pontificum refertur, *an possit recte votum incertæ pecuniæ suscipi. Posse, rectiusque etiam esse, Pontifices decreverunt.* Sententiam itaque Pontificis M. a reliquis non modo reiici, sed rescindi etiam vides.

§. 11.

Quid? multum dignitati præsulis istius detrahit *Festus* (a), qui infra Regem Sacrificum, infra tres etiam Flamines maiores eum locat. Locus est insignis, sed admodum difficilis, cui paullulum inmorandum duximus. Sic ille: *Ordo sacerdotum æstimatur Deorum . . . . . maximus quisque. Maximus videtur Rex, deinde Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto Pontifex M. itaque in conviviis solus Rex supra omnes accubat, sed Dialis supra Martialem, Martialis supra proximum, omnes dein supra Pontificem.* An illi omnes supra Pontificem? quum Regem Pontifici fuisse subiectum, & Flamines etiam ei paruisse aliunde constet, uti statim dicetur: cum Pontifex M. tanquam summus sacrorum Antistes ubivis nobis describatur! Idem Gellius (b) tamen dicit, qui de Flamine Diali agens ita scribit. *Super Flaminem Dialem in convivio, nisi Rex Sacrificu-*

(a) In *ordo sacerdotum.* (b) Noct. Att. X, 15.

ficulus, haud quisquam alius adcumbit. Putabimusne in conviviis ordinem non fuisse obſervatum? Id qui velit (a) videat qua ratione parum credulo perſuadeat. Ego certe cras forte credam, hodie nihil. *Feſtus* dignitatem ſacerdotalem utique diſtinguit, atque hinc eum ordinem in convivia derivatum ſignificat. Crediderim auctorem egiſſe eo loci, (interciderunt enim nonnulla) de ordine ſacerdotum, qualis erat reſpectu Dei illius cui ſerviebant: ordinem illum talem fuiſſe, qualem Numinis maieſtas exigere videretur, eodem modo ut in Voc. *Maximæ dignationis* dicit, *Flamen Dialis eſt inter quindecim flamines, & cum ceteri diſcrimina maieſtatis ſuæ habeant, minimi habeatur Pomonalis, quod Pomona leviſſimo fructui agrorum præſidet, pomis.* Vides in cenſum veniſſe dignitatem Numinis, cui quis miniſtraret, ideoque minimum fuiſſe Pomonalem. Tres itaque Flamines maiores ſupra Pontificem M. cenſebantur, quia ſinguli peculiaris cuiusdam Numinis ſacra obibant, ac proin iuxta Deorum illorum ordinem ſacerdotii quoque dignitatem æſtimatam fuiſſe in ſequentibus dicit. Jam vero Pontifex M. peculiaris cuiusdam Numinis ſacra non obibat, ſed ut alio in loco dicitur, (b) *rerum quæ ad ſacra & religiones pertinebant, erat iudex.*

(a) *Boſius* de Pont. M. (b) In *Max. Pont.*

iudex. Et quamvis plures essent, qui sacris unius cuiusdam Dei operabantur, illi in collegia erant descripti, ut Salii, Vestales &c.: soli autem Flamines & Rex sacrorum, quorum heic fit mentio, singuli Dei alicuius sacra administrabant; unde quamvis plures essent Flamines, collegæ tamen haud censebantur, adeoque isto respectu Pontifici M. recte præponuntur, quia ille sacra proprie non obibat, nedum peculiaris alicuius Numinis. Et quamvis Regem Sacrorum quoque inter illos numerari videam, qui nulli certo Numini fuerunt addicti, id tamen quo iure fiat non video. Quamvis pleraque de eo dubia, id tamen constat, sacrificia eum obtuliisse, atque adeo Numini cuidam ministrasse.

§. 12.

Agendum est candide. Excitabo exempla, quæ sacerdotes alios unice Pontifici M. fuisse subiectos, eumque in illos summam auctoritatem exercuisse docere possent. Ac primo quidem legimus apud *Livium*, (a) Regem Sacrificulum fuisse creatum, & addit, *id sacerdotium Pontifici subiecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cuius* tunc prima cura erat, officeret. Multa certe

 mihi

(a) L. II. 2.

mihi persuadent, id ut de Pontifice M. capiam.

Legimus praeterea (a) de Rege Sacrifico creando contentionem fuisse inter C. Servilium, Pont. M. & Luc. Corn. Dolabellam, Duumvirum navalem, quem ut inauguraret Pontifex, magistratu se abdicare iubebat, idque cum recusaret, multa Duumviro a Pontifice dicta, deque ea cum provocasset certatum ad populum, qui dicto audientem Pontifici Duumvirum esse iubebat, multam tamen remittebat.

Eiusdem generis est, quod apud *Livium*, (b) & *Val. Max.* (c) Metellum Pontificem M. legas Postumium, consulem eumdemque Flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, multa indicta, urbe egredi passum non fuisse. Sed tum quoque ad populum esse provocatum colligo e *Livio*, (d) qui alio in loco narrat, certamen fuisse inter P. Licinium, Pontificem M. & Q. Fabium Pictorem, Flaminem Quirinalem, quale antea fuerat inter L. Metellum & Postumium Albinum: in senatu & ad populum magnis contentionibus esse certatum, inperia inhibita ultro citroque, & pignora capta, & multae dictae, provocatumque ad populum, qui quidem decrevit, ut dicto

(a) L. XL. 42. (b) Epit. L. XIX. (c) L. I. 1. (d) L. XXXVII. 51.

dicto audiens eſſet Flamen Pontifici, multam tamen remiſit.

In Craſſo etiam, Conſule & Pontifice M. ſimile habemus exemplum, qui Flacco collegae, Flamini Martiali, multam dicebat, ſi a ſacris diſceſſiſſet, quam quidem populus remittebat, Pontifici tamen Flaminem parere iubens. (a)

Atque in his quidem nulla collegii fit mentio, ideoque Pontificis unius prudentiæ relictum mihi perſuadeo, ut ſtatueret id, quod e iure Pontificio eſſe videretur. Certe præſidis ſolius arbitrio, pontificibus in conſilium non adhibitis, hæc ut definita opiner, multa me movent. Conſulamus *Tacitum* (b): dicit ibi Servius Malaginenſis, Flamen Dialis, privatis olim ſimultatibus effectum eſſe, ut a Pontificibus M. ire in provincias prohiberentur, *nunc* addit, *Deûm munere ſummum Pontificem etiam ſummum hominûm eſſe, non æmulationi, non odio, aut privatis adfectionibus obnoxium.* Vides ſoli Pontifici diſerte id tribui, uti paullo poſt etiam dicit, decretum eſſe, *ut Pontificis M. ſententiam opperirentur.* Ita niſi ſtatuas, ſed ad totum collegium hæc pertinuiſſe contendas, falſum prorſus erit, quod de Pontificibus ſcribit *Dion. Hal.* (c) *ipſi a iudiciis & multa ſunt inmunes, nec tenen-*

 tur

(a) Cic. Philip. XI. 8. (b) III. Ann. 58.
(c) L. I. p. 133.

tur vel ſenatui, vel populo rationem reddere. Vidimus enim in controverſia cum Pontifice M. multam a populo remiſſam, & ſententiam Pontificis reſciſſam.

§. 13.

Liberalis fui etiam in adſtruendis illis, quæ parum cauſſæ meæ favere videntur, tantum abeſt tamen, hæc ut auctoritatem Pontificis M. in ceteros conſtabilirent, ut contra ſententiam noſtram plane confirment. Si quæ enim diſcordiæ inter collegas gliſcerent, ſi quæ res dubii iuris eſſe viderentur, ſacris autem legibus definitæ, (harum quippe cuſtos ille præcipuus), potuiſſe præſulem ceteros ad officium & obſequium vocare, in ſuperioribus conceſſi, ita tamen, ut provocari ad populum poſſet, eoque iure aliquos fuiſſe uſos, exempla jam conducta condocefacere poſſunt. Et inveniſſe quoque mihi cauſſam videor, quare in Regem ſacrorum & Flamines, (de illis enim exempla hæc loquuntur) valuerit maxime auctoritas Pontificis M. Inde arceſſendum ſuſpicor, quia illi, quamvis Pontificum collegio haud eſſent adſcripti, de illorum tamen collegio eſſe cenſebantur, cum quo de rebus ſacris una iudicabant. De Rege ſacrorum, Flamine Martiali ac Quirinali verum hoc eſſe docet

docet *Gutherius*, (a) de Diali autem negat, quia apud Ciceronem inter iudices, qui de domo eius iudicarunt, Flamen Dialis non memoratur. At vero eo tempore in Rep. non fuit Flamen Dialis, *duobus & septuaginta annis post Cornelii Merulæ cædem, neminem suffectum* dicit *Tacitus*, (b) quo temporis intervallo de domo Ciceronis iudicium dictum fuisse, nemo negaverit, qui calculum recte subduxerit. Quodsi in memoriam vocasset Vir præclarus, nihil ex isto loco cogi posse animadvertisset.

§. 14.

Quamvis itaque tum alii sacerdotes, tum Pontifices etiam, Pontifice M. inferiores fuerint, non tamen despoticam aliquam auctoritatem exercere in illos potuit. Nec Pontifices reliqui, respectu ad illum habito, *minores* unquam adpellantur, quod addo, quia eruditiores etiam in errorem induit (c). Ne enim alia excitem, nunquam Pontifices scribæ vocantur Pontificis M., constat tamen e *Livio* (d) tales fuisse illos, quos dein Pontifices minores vocarunt. Sed de Pontificibus, maioribus ac minoribus, multa dici possent, quæ hic non debent.

(a) De Iur. Pont. l. c. 32 & 33. (b) III. Ann. 58.
(c) *Rupert.* ad Pomp. III. 4. (d) XXII. 57.

§. 15.

Quum ergo tam artis limitibus potestas Maximi Pontificis in urbe fuerit circumsepta, unde quæso aliquos titulos extra urbem ei arcessemus? Atque hic apte differi posset, de auctoritate, quam habuerit intra Italiam, in municipiis, fœderatis civitatibus, &c. Pulcre excuti possent illa Symmachi, (a) ubi docet virgines Albanas a collegio Pontificum Romæ esse iudicatas, & manum prurire sentio, hæc ut in lucem protrahat; sed quia ibi agitur de collegio, idque intra Italiam, non conmittam ego, quod in ludo Græcorum πηδᾶν ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα dicebant, ideoque inpetus ille est coërcendus. Extra Italiam pergendum nobis est, examinandumque, an aliquam auctoritatem ibi exercuerit præsul Romanus, tum in sacra & templa Romanorum, in quibus Quiritium ritu sacra peragebantur, tum in illa subactarum gentium, quæ Deos patrios sua religione venerabantur. Atque hæc reliquam Dissertationis partem efficere debent.

§. 16.

Dispicere itaque debemus de templis & sacer-

(a) L. IX. ep. 123.

ſacerdotibus provinciarum, an illi auctoritati Pontificis M. ſubiecti fuerint! Si feliciter hæc velimus expedire, in memoriam vocandum eſt, Romanis in more poſitum fuiſſe, ut, ſi locum aliquem occuparent, omnia divina atque humana in eorum poteſtatem tranſirent. Operæ eſt adſcribere formulam deditionis, quum Collatiam, & quidquid agri circa Collatiam erat, Sabinis ademiſſet Tarquinius: (a) *Eſtisne vos legati oratoresque miſſi a populo Collatino, ut vos populumque Collatinum dederetis? Sumus.* Eſtne *populus Collatinus in ſua poteſtate? Eſt. Deditisne vos populum Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divina humanaque omnia, in meam populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio.* Habemus etiam rei exemplum, quum dederetur Capua. (b)

§. 17.

Pleræque autem gentes peculiares ſibi habebant Deos, eosque peculiari modo venerabantur. Θεοὺς ἐντοπίους, ἐγχωρίους, &c. vocant Græci. *Locales* adpellare poſſes, *Municipes* dicit Minutius. (c) *Inde adeo per univerſa imperia, provincias, oppida, videmus*

 ſin-

(a) *Liv.* I. 38. (b) *Liv.* VII. 31. (c) in Octav. c. 6.

ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere Municipes, ut Eleuſinios Cererem, Phrygas Matrem, Epidaurios Æſculapium, Chaldæos Belum, Aſtarten Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, univerſa Romanos. Colebat quippe omnia humanus error, præter ipſum omnium Conditorem, qui ſine rivali & æmulo coli volebat. Romani itaque, quaſi cum Philoſopho putarent, Deum delectari variis de ſe opinionibus, vel cum Symmacho, nihil intereſſe, qua quis prudentia verum inquireret, cum uno itinere ad tam grande ſecretum perveniri non poſſet, admodum ſe præſtabant liberales in permittendis religionibus, etiam abſurdiſſimis ac turpiſſimis. Adpellemus modo Ægyptios, quorum ſacris nihil ſtolidius. Ut ergo Romæ peregrina illa ſacra adoptata novimus, ſic in provinciis etiam liberrime exerceri patiebantur, inque ipſis provincialium templis, re ita ferente, ſacris operabantur, quum *eosdem ubique Deos immortales eſſe* crederent, quo dicto Fulvii Flacci temeritatem perſtringebant, is cum ædem Iunonis Laciniæ in Bruttiis detexiſſet, ut marmoreis eiusdem tegulis Fortunæ Equeſtris templum Romæ exornaret. (a)

§. 18.

(a) *Livius* L. XLII. 3.

§. 18.

Omnis autem sacrorum suorum cura ad provinciales pertinebat, omne sacerdotum examen iis relinquebatur. Si qua in re modum excederent, unde turbari posset Resp. ad Senatum Romanum, ad imperatorem, ad præsidem provinciæ rei cognitio unice pertinebat; & si qua in re sacerdotum sententia esset exquirenda, nulla tamen erat Pontificis Romani supra reliquos auctoritas, nullumque prorsus ius in sacra Provincialium. Rem ita se habuisse, idque & de Templis & de Sacerdotibus si docuero, caussa, quam adserendam sumsi, defunctus mihi videor.

§. 19.

Republica adhuc dum libera, ita factum fuisse commonstrabo. Consulamus *Livium* (a) luculentum historiæ Romanæ auctorem. Locrensium legati adeunt *Patres*, queruntur de vi & iniuria per Q. Pleminium legatum sibi facta: inter fœda hominis facinora sanctissimum apud se Proserpinæ fanum spoliatum dicunt. *Patres* ad hæc decernunt, pecuniam, quanta ex thesauris Proserpinæ sub-

(a) L. XXIX. 6. & seqq.

sublata esset, conquiri, duplamque pecuniam in thesauros reponi & sacrum piaculare fieri, ita ut prius *ad collegium Pontificum* referretur, quod sacri thesauri moti violatique essent, quæ piacula, quibus Diis, quibus hostiis fieri placeret.

Nec diu post eiusdem generis sacrilegium conmissum alibi legimus, *Senatus* vero eodem modo de crimine statuit. (a) Petamus quoque exemplum ex alia provincia. Auctor gravissimus (b) Ambracienſium querelas narrat, simulacra Deûm, *Deos ipsos* e sedibus suis convulsos & ablatos esse. Decernunt *Patres*, signa aliaque ornamenta, quæ quererentur ex ædibus sacris sublata esse, de iis quum M. Fulvius Romam revertisset, placere *ad collegium Pontificum referri, & quod ii censuissent, fieri.*

Hæccine luculente nos docent ad Patres rei curam pertinuisse, pontifices tamen de religionis caussa in consilium fuisse adhibitos? Nulla autem fit mentio Pontificis M. cui nullum ius aut auctoritas supra pontifices reliquos in sacra illa provincialium.

Possem huius generis excitare plura, sed parco prudens, quia statim quum de Republica occupata dicendum erit, ultro se quædam obferent, quæ ad superiora tempora pertinent.

§. 20.

(a) *Liv.* XXXI. 12. (b) *Idem* XXXVIII. 43.

§. 20.

Uti ſacrorum, ſic ſacerdotum etiam cura provincialibus relinquebatur, vel præſidi Romano, nihil autem iuris in illos Pontifici Maximo. Exemplum habemus in Verre, Siciliæ prætore, quo magiſtratum gerente neminem Senatorem fieri potuiſſe niſi qui ipſi pecuniam dediſſet, e Cicerone novimus. (a) *Hoc idem*, addit, *transfero in magiſtratus, curationes, ſacerdotia, quibus in rebus non ſolum hominum iura, ſed etiam Deorum religiones inmortalium omnes repudiavit.* Subiungit exemplum Theomnaſti, in quem malis artibus ſacerdotium Syracuſanum contra leges transferri curabat. Maximus inde quidem clamor ortus, cum univerſis indignum ac nefarium videretur, ſi autem præſulis Romani quædam in hiſce fuiſſet auctoritas, ſine dubio Romam legati ea de re fuiſſent miſſi.

§. 21.

Nec alii Romanorum mores poſtquam ſubacta a Cæſare eſſet Reſp. Niſi prorſus fallar, ſcriptores fide digniſſimi cauſſam meam tuebuntur.

De

(c) L. II. in Verr. 51.

De Asiaticis insignem habemus locum. (a) Crebrescebat Græcas per urbes licentia atque inpunitas asyla statuendi, nec ullum satis validum erat inperium coërcendis seditionibus populi, flagitia hominum ut cæremonias Dei protegentis. Tiberius Imperator *imaginem antiquitatis senatui* præbebat, postulata provinciarum ad *disquisitionem patrum* mittendo. Placuit itaque, ut mitterent civitates iura ac legatos, magnaque eius diei species fuit, *quo senatus maiorum beneficia ... ipsorumque Numinum religiones introspexit*, LIBERO UT QUONDAM, QUID FIRMARET MUTARETVE. Audiuntur Ephesii, Magnetes, Stratonicenses aliæque Asiæ civitates, quæ per legatos sua iura exponunt, tandem vero *facta senatus consulta, quis multo cum honore, modus tamen præscribebatur, iussique ipsis in templis figere æra sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur.* Quid, quæso, pro caussa nostra opportunius adferri poterat? quum & olim & tum, nihil Romanis sacerdotibus, nihil Pontifici M. sed omnia patrum arbitrio relicta videas.

Si tot populorum exempla nondum sufficiant, arcessamus & aliunde testimonium. Constat e Plinio, (b) in Bithynia Proconsules feciſſe id quod Romæ Pontifices. Rescri-

(a) *Tacit.* III. Ann. 60. (b) L. X. epist. 74.

ſcribit enim illi Traianus Imperator, in cauſſa, de qua Romæ collegium Pontificum adiri ſolebat, durum eſſe eam ob rem iniungere neceſſitatem provincialibus Pontificum adeundorum. *Sequenda ergo tibi potius exempla ſunt eorum, qui iſti provinciæ præfuerunt, & ex cauſſa cuique, aut permittendum, aut negandum.* Quæ Romæ ergo a Pontificibus, in provinciis curabantur a Præſide, nulla in illis Pontificum, nulla Pontificis M. auctoritas.

§. 22.

Fuerunt poſtea in provinciis ἀρχιερεῖς, ſacerdotes ſummi, *ſacerdotales præſides* vocaſſe creditur *Tertullianus* (a), qui per provincias ſacra inſpiciebant, ſacerdotesque in officio continebant; ſed illi ipſi ἀρχιερεῖς mandata a Principe accipiebant, qui, quid agendum eſſet, præcipiebat. Duobus exemplis, ſed luculentis admodum, id oſtendam. Utrumque præſtabit Imperator *Iulianus*, quem Apoſtatam adpellare ſolent. In literis ad Arſacium, Galatiæ, & Theodorum Aſiæ ἀρχιερέα, rem omnem pulcerrime exponit. (b) Conmittit ſacerdotali Præſidi Imperator, ut omnibus provinciæ ſacris præeſſet, regionis & urbium ſacerdotibus in-

(a) De Spectac. c. 2. (b) Epiſt. 49. & 63.

inperaret, ſacerdotes, qui dicto non eſſent audientes, dignitate ſua exſueret ac provincia expelleret, &c. quæ omnia ſic præſcribit imperator, ut ſibi uni ſummam in eos eſſe auctoritatem clare oſtendat. Quamvis enim e titulo Pontificis M. arceſſere hæc videatur; qui tamen recordatur, quam libere hac poteſtate uſi fuerint imperatores, & quale hominis ingenium fuerit, callido iſto commento ſe circumſcribi non patietur. Immo non ἀρχιερέα ſimpliciter, ſed ἀρχιερέα μέγαν ſe adpellat, auguſtiori utique titulo, quam Pontificis Maximi, unde ego inluſtratum cupio locum Divini ſcriptoris, qui rectius Domino Ieſu id nomen tribuit. (a)

§. 23.

Quamvis illi Ἀρχιερεῖς dicti fuerint, nunquam tamen extra Romam Pontificem M. proprio & ordinario ſenſu, memorari video. Scio, politiſſimus *Gutherius* contra ſentiebat, & pro opinione ſua literatum lapidem excitabat: (b)

P. VERGILIO
P. FILIO
PONT. MAX.
SABIN.

Unde

(a) Auctor epiſt. ad Hebr. IV. 14. (b) De Iure Pont. I. 5.

Unde efficit Sabinos habuiſſe Pontificem M. Verum id inde cogi non debet. Sive enim alio modo explicare velis, ut *Reineſio* viſum fuit, (a) cui tamen minime ſubſcribo, ſive cum aliis monumentum ſpurium eſſe contendas, ſive nomen aliquid proprium ſub vocibus PONT. MAX. latere coniicias, nihil certi inde poſſe colligi, facile mihi largieris. Poſtremum illud ideo unice attexo, quia ſæpius Viros doctos in errorem duxit. E. G. Iuſtinus apud *Gruterum* (b) *Pont. Max.* dicitur. Id per *Pontificem* M. explicabat Vir eruditus, (c) atque inde efficiebat, hunc etiam imperatorem Pontificem fuiſſe Maximum. Nihil autem eſt falſius. PONT. MAX. in lapide eodem modo eſt explicandum, uti in illis quæ ſtatim ſubiiciuntur, FRANC. MAX. GOTH. VANDALIC MAX.

T A N T U M.

(a) Synt. Inſcr. VI. n. 100. (b) p. 1645.
(c) V. *Dalen* de Orac. p. 55.

* Exercitationem hanc cl. J. DE RHOER, Viri eruditiſſimi, qua quæſtionem, ab Academia elegantiorum litterarum regia Pariſina Viris doctis ante paucos annos propoſitam, feliciter ſolvit, ut plures hujus generis, eruditionis haud vulgaris teſtes ſequantur, & muſivum hoc opus condecorent, enixe rogo. N. B.

VI.

JOA. CONRADI FUESLINI,

CAP. VITOD. CAMERARII

EPISTOLA

ad Virum clarissimum

NICOLAUM BARKEIUM,

BIBLIOTHECÆ BREMENSIS NOVÆ COLLECTOREM ET EDITOREM.

DE NOVA

ALEXIADOS

EDITIONE CURANDA, ET DIVULGANDA.

Tam ex Epistola viduæ Gerdesii, cui *programma funerale* adjunctum fuit, quam ex tua clarissime Barkei! intellexi, Virum optimum DANIELEM GERDESIUM, Theologum, quamdiu aura vitali usus est, pium & doctum, ac de litteris, inprimis historicis

cis & theologicis bene meritum, fato defunctum esse. Tu Vir doctissime! ipsi cognatione & aliis nominibus conjunctus fuisti, ego ipso Amico usus sum Quid in hoc luctu agendum? Deum laudemus, qui GERDESIUM ex hoc terrarum ergastulo liberatum in cœli palatia transtulit, ubi theologia, non magis hæc tenuia nostra ingeniola exercente & tantis negotiis implicante, sed mere contemplativa, omnibus moeroribus & solicitudinibus exclusis fruetur. Dissertationi meæ ad charissimum mihi Virum, tum præter spem meam extremum spiritum ducentem, de CIRCUMCISIS Seculi XIII. hæreticis in collectione tua opusculorum philologico-historico-criticorum, quam *Bibliothecam Bremensem novam* inscripsisti, quæque de ingenio tuo & litterarum, litteratorumque non vulgari cognitione testatur, locum concessisti. Hac tua in me benevolentia excitatus sum, ut TIBI, Viro ornatissimo, prima alius dissertationis, quam meditor, lineamenta, Bibliothecæ tuæ inserenda, mittere in animum instituerem. Hæc Græcarum litterarum cultoribus & Professoribus destinata est, quo exstimulentur, ut historiæ Byzantinæ Scriptores, qui alicujus pretii sunt, quique rarissime occurrunt, seorsim typis imprimi & divulgari curent. Aliis omnibus ANNÆ COMNENÆ *Alexiadem* præfero, quæ res gestas patris sui, ALEXII

COMNENI, Imperatoris, XV. libris complexa eſt. Is ad imperii Græci gubernacula ſedit, cum GREGORIUS VII. eccleſiæ Romanæ præſideret, & HENRICUS IV. imperium Romano-Germanicum regeret, cui cum illo Pontifice & ejus ſucceſſoribus magna odia & bella interceſſerunt. Præterea ALEXIO Græcorum imperatori ROBERTUS & BAIMUNDUS filius ejus, qui ex Normania oriundi ſedem in Apulia, Græcorum ditione, quæſiverunt & invenerunt, curas & ſolicitudines ſuſcitarunt. Hoc quoque tempore bella illa ad terram ſanctam Turcis eripiendam excitata, GOTTOFREDO BULLIONÆO duce, exorta ſunt, ex quibus ALEXIUS non ſolum tædia, ſed etiam damna non mediocria hauſit. Tandem illum Hæreſes in ipſa eccleſia Græca coortæ afflixerunt, maxime horum hominum, qui BOGOMILI dicti, Manichæorum ſoboles fuerunt. Quia ANNA harum rerum omnium in ALEXIADE ſua mentionem injecit, apparet, quantam utilitatem & Juris conſulti, & Theologi, & omnes hiſtoriarum curioſi ex hoc libro capere poſſint. Illum igitur amori & ſtudio eruditorum commendaturus, primo de ejus codicibus manuſcriptis & editionibus, typis impreſſis, deinde de harum editionum nævis & defectibus agam, tandem mea conſilia, quomodo novam ejus editionem inſtituendam eſſe putem, propoſiturus ſum. Codices manuſcripti

ſcripti in Bibliotheca publica Auguſtæ Vindelicorum, in Vaticana Romæ, & Medicea Florentiæ ſervantur, unus autem, isque optimus Toloſæ latet, alius tenebroſa nocte involutus in Hollandia abditus eſt. Editiones typis impreſſæ tres ſunt. Prima DAVIDIS HOESCHELII, Auguſtani, opera prodiit, *) ſed manca prodiit, VIII. tantum priores libros complectens. Secundam PETRUS POSSINUS Toloſanus procuravit, qui eam ſplendidiſſime impreſſam & verſione latina a ſe elaborata exornatam e typographia regia Pariſiis **) evulgavit. Hæc editio omnes libros ab ANNA conſcriptos comprehendit, attamen integra dici non poteſt, nam in fine nonnunquam fatiſcit. POSSINUS enim Toloſæ ſedens, ibique ALEXIADE exornanda & emittenda occupatus, codice, quem in hac urbe latere dixi, potiri non potuit, ſed SEGUERII, Cancellarii tum temporis Francici, opera & interceſſione codicem ex Barbarino, qui nunc bibliothecæ Vaticanæ adſcriptus eſt, & Mediceo conflatum nactus eſt, qui magnis hiatibus & multis aliis mendis laboravit. Tertia typis deſcripta editio eſt Veneta, quæ paucis ab hinc annis ex Poſſiniana verbotenus, quoad textum, & quoad verſionem exſcripta *magno corpori*

*) MDCX.
**) MDCLI.

Historiæ Byzantinæ tribus supra viginti voluminibus comprehenso inserta est, *) ejusque *Tomum* XI. complet. Ex his conjiciant Lectores, quam raro occurrat ALEXIAS, quantoque pretio emenda sit. Codicem Tolosanum non adeo multis ante POSSINUM annis PETRUS FABER & ante hunc JACOBUS CUJACIUS, ambo Jurisconsulti Tolosani, eruditionis & candoris laude celebratissimi, tractarunt. Postea in tenebras incidit, in quibus POSSINI tempore absconditus fuit, ut ab illo reperiri non potuerit. Tandem editione Possiniana facta & divulgata, ex improviso in lucem erumpens in POSSINI potestatem pervenit, qui exemplar impressum secundum illum correxit, bis mille meliores lectiones exscripsit & lacunas supplevit. Ad secundum Dissertationis meæ caput pervenio, quod de nævis editionum impressarum aget. Non de rebus, quæ in ALEXIADOS libris comprehensæ sunt, dicam. Hæ magnos nævos habent, sed suos etiam habent lepores. ANNA fuit femina ingenii acumine, eruditionis laude & præprimis eloquentiæ studio florentissima, cui, etsi nimium in rebus Patris extollendis & vitiis ejus occultandis studium tribui possit, attamen laus concedenda est, quod pleraque ejus tempore acta diligenter & veritati convenienter perscri-

*) MDCCXXIX.

ſcripſerit, ut ex libris ejus multorum principum virorum ingenia, incerti bellorum eventus, res bene maleque in utroque imperio geſtæ, Chriſtianæ religionis facies, ſpeciesque, & ſeculi ejus mores perdiſci poſſint. De his, inquam, rebus hoc loco non dicturus ſum, ſed de ipſius libri, quatenus in editione Pariſina, quæ ſola & unica eſt, ut eruditorum ſtudiis inſervire poſſit, deſcriptus eſt, nævis, qui tales ſunt, ut novæ & melioris editionis deſiderium excitaturi ſint. *Ipſo* POSSINO *fatente* codex, quo ad ſuam editionem uſus fuit, innumeris locis depravatus fuit & lacunæ ejus magnæ & multæ ſunt. Si jam ad Verſionem accedo, eamque, qua debeo, diligentia conſidero atque cum græco textu comparo, eam, licet magno ſtudio & diligentia elaborata ſit, non talem reperio, qualis eſſe deberet. Primo enim eloquentior, ut non dicam, verboſior, quam fas eſt, eſſe cognoſcitur, verba ſcriptoris excedens ei nonnunquam ſenſus affingit, quos non habuit, inprimis in his rebus, quæ theologiam ſpectant, in quibus hiſtoricus accuratiſſimus eſſe deberet. Homini ſi aliter de Deo ſentire atque ſtatuere, quam ſentit & ſtatuit, tribuas, ipſi injuriam facis maximam. Ergo neque horum cuiquam, qui nobiſcum in his terris agunt, neque iis, qui ante nos vixerunt, alienas aut ſtudio temeratas opiniones

adſcribamus. Quod hæreticos, qui medio ævo viguerunt, adtinet, duplici modo peccatur, primo ab his, qui illos maxime denigrare ſatagunt, quo illos deteſtemur, & ab illorum religione abhorreamus. Deinde ab his, qui eorum doctrinas, quia ipſis duræ & abnormes videntur, emolliunt & pulchris coloribus illinunt, ut boni & pii homines habeantur, quaſi in tot Chriſtianorum ſectis & religionibus non reperti fuerint, qui abnormia & aliorum in auribus ac mentibus horrorem excitantia crediderint & docuerint. ALEXII ætate in Græcia Chriſtiani inventi ſunt, qui SATANAËLEM,*) h. e. ſpiritum illum faſtuoſum & rebellem, qui Deo æqualis eſſe voluit, filium Dei, Chriſto, Sotere noſtro natu majorem & præſtantiorem fuiſſe ſtatuerunt. Quis orthodoxorum tum fuit, quis noſtro tempore eſt, qui hanc ſententiam non abhorreat? attamen homines fuerunt, qui hoc crediderunt & etiam nunc ſunt, qui ad illorum opinionem accedunt. **) Cur igitur doctrina illorum ita coloranda & exornanda eſt, ut illi recte ſenſiſſe dici debeant, & ALEXIUS eos immerito perſecutus eſſe videatur? Hæc unica

*) Hujus ævi hæretici Spiritum malignum non *Satanam* ſed *Satanaëlem* vocavere.

**) Hos indigito, qui ante mundi creationem Deum chao permixtum fuiſſe autumant.

unica res exemplo sit, quo Lectores de operibus novorum historico-criticorum sincerum judicium ferre possint. Tandem ultima Dissertationis parte consilia mea exponam, quibus, qui ALEXIADOS denuo edendæ curam susceperit, adjuvari possit. Ante omnia opus erit Codice bono & integro, ex quo textus castigari queat, ut ALEXIAS, quæ hactenus tam deformis mutilataque fuit, suo lepori & perfectioni restituatur. Cum igitur *Tolosano illo codice nullus integrior & elegantior notus sit, editor in id inprimis incumbat*, ut illo potiatur. Quod si hoc fieri non possit, fatumque voluerit, ut optimus ille codex, qui secunda vice luce amissa in noctem nihil moderabile suadentem conceſſit, non detegatur, hoc tamen editori elaborandum erit, ut exemplari illo, in cujus ora POSSINUS tot Lectiones meliores conscripsit, uti possit. HOESCHELIUS annotationes in ALEXIADEM fecit, paucas quidem, sed quæ bonæ frugis sunt. CAROLUS DU FRESNE, Cangii dominus, ampliores concinnavit, quæ non solum exegeticæ sunt, sed etiam historiæ lucem accendunt; has editor in usum suum convertat, easque integras edat, & si velit, augeat. Cum enim novas lectiones producturus sit, eas confirmet, roboretque oportet. Tandem nova versio ALEXIADOS, quæ mentem ejus accu-

ratius exprimat, deſideratur. Ut Lectores intelligant, me POSSINI in hac re diligentiam non immerito vituperare, unicum verſionis ab illo elaboratæ exemplum proferam, in Diſſertatione ipſa plura exhibiturus. ANNA L. XV. de Baſilio hæretico prodidit: τὴν θεολογίαν ἡμῖν παρεβλέψατο, καὶ τὴν οἰκονομίαν πᾶσαν ἐφάντασε. Hæc POSSINUS reddidit: „ Divinam Chriſti naturam, creditam a no- „ bis, traducebat impius & humanitatem „ ipſam incarnati Verbi nihil verum extitiſſe, „ ſed merum duntaxat ſpectrum phantaſtici „ corporis garriebat veſanus nebulo." Hæc a mente illuſtriſſimæ Principiſſæ valde aliena ſunt. Illa paucis dicere voluit: *Theologiam noſtram contemſit, totam œconomiam* (perſonarum divinarum) *imaginatione deceptus aliam finxit.* Error Baſilii non in eo conſiſtebat, quod corpus Chriſti, ut plerique Fanatici fecerunt, non terreſtre, ſed cœleſte, non ſubſtantiam, ſed corporis tantum phantasma fuiſſe aſſeruerit, ſed in hoc, quod Filium Patre minorem, & longos poſt mundi creationem annos cum ſpiritu S. exortum eſſe ſtatuerit. Ex hoc unico ſpecimine Lectores cognoſcent, editorem requiri, qui novæ verſioni parandæ, eique obſervationibus hiſtorico-theologicis illuſtrandæ par ſit. Ego vero, ut talis mox proveniat, & Græcarum litterarum & hiſtoriarum ſtudioſis

eu-

curam, diligentiam, peritiam & in Græcorum ſcriptis recenſendis dexteritatem ſuam comprobet, opto. Te vero clariſſime Barkei! ut conſilia mea cum noſtræ ætatis eruditis in *Bibliotheca tua* communices, rogo. Vale. Velthemii Calendis Junii MDCCLXV.

VII.

HENRICI KOOKEN,

V. D. M.

IN VALKENSWAERD ET DOMMELEN.

OBSERVATIO

AD

ROM. VII: 8–12.

QUA INQUIRITUR IN DISCRIMEN, QUOD INTERCEDIT INTER

NOMON & ENTOAHN,

EOQUE CONSTITUTO BREVIS EORUM §. §. EXEGESIS DATUR.

§. 1.

Poſtquam Apoſtolus objectionem initio *vſ.* 7. propoſitam, an *Lex ſit peccatum?* removerat, & oſtenderat, tantum abeſſe, ut Lex hominem ad peccandum incitet: ut

e

e contrario ſit medium cognoſcendi peccatum: *vſ.* 8. progreditur, & aperit fontem, ex quo affectus peccatorum, de quibus *vſ.* 5. mentionem injecit, promanant. Hunc in finem ſe ipſum in exemplum proponit his verbis: ἀφορμὴν δε λαβοῦσα ἡ αμαρτία, δια τῆς ἐντολῆς, κατειργάσατο ἐν εμοὶ πᾶσαν επιθυμίαν. In anteceſſum inquirendum eſſe cenſeo, quid per *præceptum* intelligi oporteat, inprimis cum videam, Interpretibus, quos ego quidem inſpexi, eam ſedere ſententiam, quod νομος & εντολη in hoc & ſeqq. *vſ.* 5. idem denotent.

§. 2.

Ut vero ordine procedamus, obſervandum eſt, vi ſanioris hermeneutices *talia eſſe ſubjecta, qualia permittuntur a ſuis prædicatis:* hanc itaque regulam in ſignificatu vocis εντολη determinando & mente Apoſtoli perveſtigandâ ſecuturi obſervamus, quod Apoſtolus *vſ.* 9. diſerte dicat: „ ego vero vi„ vebam absque lege ποτε quondam, ελθου„ σης δε της εντολης, peccatum revixit; ego „ vero mortuus ſum." Quibus verbis vir ſanctus clare admodum diſtinguit *inter vitam*, quam ποτε, id eſt, ante adventum illius præcepti vixit, & *inter vitam aut vitæ mutationem*, quæ ab adventu illius præcepti initium ducit. Si jam vitam Apoſtoli Pauli per-

perluſtremus, exploratum eſt, quod aliam vitam vixerit, dum Phariſæorum ſectæ addictus in Judaismo verſabatur: aliam vero vitæ rationem ſecutus fuerit ab eo tempore, quo adeo mirando modo ad Chriſtum converſus Euangelio ejus credidit; unde igitur ſequitur, quod illud praeceptum venerit, cum Chriſtus Paulo Damaſcum tendenti ſe ipſum in gloria manifeſtaverit, & eo modo Paulum convicerit, ſe eſſe *Filium Dei* & verum *Meſſiam*. Jam vero cum doctrina, quæ monſtrat, Jeſum eſſe Chriſtum, Filium Dei, ſit euangelium Chriſti *Joh.* XX. vſ. 30. hinc colligo, per εντολην intelligendum eſſe *Euangelium Chriſti*, in qua ſententia me confirmari ſentio, dum *cap.* I. *vſ.* 12–16. epiſtolæ ad Gal. inſpicio, ubi Apoſtolus diſerte fatetur, „ ſe per revelationem Jeſu Chriſti „ accepiſſe & edoctum eſſe Euangelium" non ſolum, ſed & diſerte diſtinguit *inter ſuam* αναστροφην ποτε εν τω Ιουδαισμω & *inter vitam, quam vixit ab eo tempore, quo Deo placuit, Filium ſuum in ipſo manifeſtare.*

§. 3.

Sed pergamus & contemplemur, quid de hoc præcepto *vſ.* 20. prædicitur? ubi Apoſtolus inquit: ἡ εὑρέθη μοι ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωὴν, αὕτη εἰς θάνατον. Quoniam Euangelium vitam per Chriſtum partam monſtrat & offert, hinc

hinc manifeſtum eſſe cenſeo, hoc prædicatum in euangelium Chriſti aptiſſime quadrare. Sed forte quis objiciet; etiam legem ſtricte dictam poſſe vocari præceptum ad vitam, reſpectu habito ad primum hominem in ſtatu integritatis, quatenus obedientia huic legi præſtanda erat medium ad vitam perveniendi, & per conſequens hanc Apoſtoli mentem eſſe „ & Lex illa, quæ „ primo homini ante lapſum medium erat „ vitam conſequendi, mihi inventa eſt ad „ mortem." Si vero hanc verborum Apoſtoli mentem eſſe paulisper ponamus, tum nemo non videt, manifeſte ſupponi, quod Apoſtolus heic loquatur de lege ſpectatâ in relatione non ad hominem peccatorem, ſed ad hominem imagine Dei adhuc præditum. At vero id non ſupponendum, ſed ex antecedentibus probe vel conſequentibus probandum erat. Tantum vero abeſt, ut id ex antecedentibus vel conſequentibus probari poſſit, ut contrarium inde pateſcere putem. An non *vſ.* 5. lex ſpectatur in relatione ad homines peccatores, dum Apoſtolus diſerte inquit: ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκὶ, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου ἐνηργεῖτο.....? nonne Lex ſpectatur in relatione ad hominem peccatorem, dum *vſ.* 7. repræſentatur tamquam medium peccata cognoſcendi? nonne *cap.* 8. *vſ.* 2. Euangelium vocatur *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto*

Chriſto Jeſu, in contradiſtinctione ad Legem, quæ vocatur *Lex peccati & mortis?* Cum itaque tantum abſit, ut Lex in hac relatione ſpectata peccatori vitam offerat, ut e contrario eum de peccato convincat, illique mortem ut juſtam pœnam dictet; hinc denuo colligo per εντολην *non Legem*, ſed *Euangelium*, quod vitam in Chriſto eſſe monſtrat, intelligi oportere. Quibus tandem adde, quod *vſ.* 11. Lex diſerte diſtinguatur a præcepto. Cum autem ex *vſ.* 7. planum eſſe putem, quod per Legem intelligenda ſit Lex decalogica, hinc mihi manifeſto liquere videtur, *præceptum* in contradiſtinctione ad legem denotare Euangelium Chriſti.

§. 4.

Hiſce prælibatis jam brevem horum commatum exegeſin adgredimur. *vſ.* 8. Itaque vir ſanctus diſerte inquit: ἀφορμὴν δε λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς εντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοι πᾶσαν επιθυμίαν. Ad planiorem hujus commatis intellectum meminiſſe oportet, Paulum ante converſionem Phariſæorum ſectæ & diſciplinæ addictum fuiſſe *Philip.* III. 5. *Actor.* XXIII. 5. Phariſæi vero docebant, hominem ex operibus juſtificari *Luc* XVIII. 10–14. hinc juſtitiam Dei, quæ in Euangelio patefacta eſt, non agnoſcentes, propriam juſtitiam coram Deo conſtituere ſtude-

debant, & juſtitiæ Dei non erant ſubjecti, *Rom.* X. 3.; quo reſpectu Phariſæismus e diametro oppoſitus erat Euangelio Chriſti. Porro Phariſæi magno zelo propugnabant veterum traditiones, partim falſas, partim inanes *Mat* V. & *cap.* XV. 3. quæ traditiones cum paſſim vanitatis & falſitatis a Chriſto convincantur, hinc & hoc reſpectu diſciplina Phariſæorum & doctrina Chriſti adverſis frontibus ſecum invicem pugnant. Cum vero Paulus, a teneris unguiculis huic diſciplinæ innutritus *Act.* XXII. 3., eas traditiones & dogmata tamquam ad ſalutem neceſſaria amplecteretur, non poterat non Euangelium Chriſti falſum, & animarum ſaluti quam maxime noxium eſſe judicare, eoque nomine illud repudiare. Et quoniam etiam traditiones a Patribus acceptas maximo zelo proſequebatur *Gal.* I. 14., hinc quam maxime ſui officii eſſe judicabat, omni virium contentione in id incumbere, ut eæ ſartæ tectæ ſervarentur, & Euangelium Chriſti extirparetur, *Act.* XXVI. 9. Ex hiſce ita, quibus imbutus erat, perverſis opinionibus non poterant non propullulare maxime peccaminoſi affectus, puta odium, inimicitia & ardens furor omnes, qui Chriſto ſtudebant, omnibus malis, ipſâque morte afficiendi. Legimus hinc, quod domatim iens tractos viros & mulieres tradiderit in cuſtodiam *Actor.* VIII. 3. & quod pote-

ſtate impetrata a Pontifice totoque ſenatu Judæorum, perſecutus fuerit, in vincula & carceres conjiciens viros & feminas *Actor.* XXII. 4. curans eos flagris cædi per Synagogas *vſ.* 19 cogens blaſphemare, & perſequens ad mortem usque, non ſolum in Judæa ſed & in exteras usque civitates *Act.* XXVI. 11, 12. Omnes itaque hæ perſecutiones cum proficiſcebantur ex peccaminoſo zelo dogmata & inſtituta Phariſaica ſarta tecta ſervandi, hinc ille zelus erat revera cauſa illarum perſecutionum. Jam vero cum αμαρτια *vſ.* 8. repræſentetur tamquam cauſa πασης επιθυμιας, hinc eam ἁμαρτιαν de eo, quem diximus, zelo, & πασαν επιθυμιαν de illis ſimilibusque perſecutionibus, quas recenſuimus, interpretamur. Hic vero zelus vel ἁμαρτια occaſionem ſumebat Δια της εντολης. Quamdiu enim Paulus eam fovebat ſententiam, ea, quæ ab ineunte ætate imbiberat, dogmata complecti veram ſalutis viam, & unicum Deum colendi modum; non poterat non ſimul judicare, Euangelium Chriſti, quod hiſce dogmatibus e diametro oppoſitum erat, animarum ſaluti prorſus noxium eſſe, & ad everſionem cultus divini tendere; Ut igitur ea dogmata conſervarentur, non poterat non judicare, progreſſui Euangelii obicem ponendum, eumque in finem ſectatores Chriſti opprimendos eſſe. Hoc itaque, quod

quod Paulus de Euangelio ferebat judicium non poterat non ejus zelum excitare, ad eas, quas ſupra memoravimus, actiones adverſus Chriſtianos perpetrandas. Quoniam vero Euangelium non erat talis doctrina, qualem illud eſſe Paulus judicabat, hinc ratio, quare Paulus tanto furore in Chriſtianos ſæviebat, non erat ipſum Euangelium, ſed perverſum Pauli de hoc Euangelio judicium. Unde tandem ſequitur, quod hoc Euangelium Paulo non ſuppeditabat occaſionem, ſed quod ipſe perverſo illo, quod de Euangelio ferebat, judicio occæcatus, inde ſumebat occaſionem Chriſtianos perſequendi. Rectiſſime itaque Apoſtolus dicit: αφορμὴν δε λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία διὰ τ̃ ἐντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν.

§. 5.

Sed pergit Apoſtolus, & αμαρτιαν cauſam πασης επιθυμιας eſſe *vſ. 9.* hunc in modum probat: χωρὶς γαρ νόμου ἁμαρτία νεκρά, ἐγὼ δε ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ, ἐλθούσης δε τ̃ ἐντολῆς ἡ ἁμαρτία ἀνέζησεν, ἐγὼ δε ἀπέθανον. Uti in genere *mortuum* dicitur, quod nullam actionem exerit, ſic peccatum dicitur *mortuum*, quando non producit eos effectus, qui alias neceſſariæ peccati ſequelæ ſunt, prouti ſunt *morſus conſcientiæ*. Nam quando quis actionem, quam perpetravit, contem-

platur, eamque comperit Legi contrariam eſſe, tum non poteſt non *morſus conſcientiæ* in ſe ipſo ſentire. Quando vero quis judicat, actionem ſuam laudabilem & Legi minime contrariam eſſe, licet revera ei contraria ſit, tum nullos conſcientia morſus in ſe experitur; quo caſu *peccatum revera eſt mortuum.* Jam vero cum Paulus ante converſionem judicaret, zelum ſuum pro traditionibus a Patribus acceptis prorſus laudabilem, & ſe quam maxime obligatum eſſe *multa contraria adverſus nomen Jeſu facere*, *Act.* XXVI. 9. hinc non poterat non judicare, actiones ſuas ex hoc zelo profectas & adverſus Jeſum ejusque ſectatores patratas ad gloriam Dei tendere, adeoque Divinæ legi minime contrarias eſſe, hinc *vivebat absque lege*, id eſt non intelligebat, eas actiones Legi contrarias eſſe, & per conſequens nullos inde conſcientiæ morſus in ſe ſentiebat, *ſicque peccatum erat mortuum.* Sed ελθουσης της εντολης, id eſt, cum ipſe Paulus per revelationem Chriſti, Domini gloriæ, Euangelium accipiebat & edocebatur, *peccatum in ipſo revixit, & ipſe mortuus eſt. Peccatum in ipſo revixit*, quatenus ſummam turpitudinem actionum ſuarum, utpote adverſus ipſum Chriſtum, Dominum gloriæ, perpetratarum *Act.* IX. 4. clariſſime intelligebat, & inde conſcientiæ morſus, ſive maximum animi dolorem ſentiebat: cujus doloris clariſſimum

in-

indicium esse *triduanum jejunium* existimo, vide *Act.* IX. 9. *Ipse vero mortuus est*; quatenus ille dolor salutarem admodum effectum, id est, infucatam ad salutem resipiscentiam in ipso producebat, quâ nuntio vitæ anteactæ misso prorsus aliam & novam vitam vivere incepit. Cum igitur Paulus mediante illo præcepto ad vividam peccatorum suorum agnitionem perductus fuerit, & ab iis desistendo vitam prorsus aliam vivere cœperit; hinc evidentissime patescere puto, culpam πασης επιθυμιας non in την εντολην sed in την ἁμαρτιαν rejiciendam esse; adeoque peccatum per illud præceptum occasionem sumpsisse πασαν επιθυμιαν in Paulo efficiendi.

§. 6.

Sed pergit Apostolus in id, quod diximus, probando: hunc in finem *vs.* 10. inquit: καὶ εὑρέθη μοι ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωὴν, αὕτη εἰς θάνατον. Nervose admodum Euangelium vocatur *præceptum ad vitam*, quoniam Christus vitam & incorruptibilitatem per Euangelium in lucem produxit, 2 *Tim.* I. 10. *Huic vitæ* cum opponatur *mors*, ea necessario summum malum, id est, æternum exitium denotat. Jam vero Apostolus testatur, illud præceptum, quod est ad vitam, sibi inventum esse ad mortem, id est, „ illud ipsum

„ Euangelium, quod vitam æternam per „ Chriſtum in lucem productam eſſe, dilu„ cide oſtendit, me tamen, quamdiu in „ veteri vitæ inſtituto pergebam, æterno „ exitio dignum eſſe, & me perſeverando „ in eo vitæ inſtituto exitium illud non „ effugiturum, pronuntiabat." Id vero cum fieri non poſſet, ſi culpa πασης επιθυμιας in την εντολην eſſet conferenda, hinc denuo patere cenſeo, eam culpam non in τὴν εντολὴν ſed in αμαρτιαν eſſe rejiciendam.

§. 7.

Quod autem ἡ εντολη ἡ εις ζωην, ſibi inventa ſit ad mortem, Vir ſanctus *v/.* 11. validius adſtruit & quidem his verbis: ἡ γαρ ἁμαρτια αφορμὴν λαβουσα διὰ τ̃ εντολης εξηπάτησέ με, καὶ δι' αὐτῆς ἀπέκτεινεν. In genere aliquis dicitur *ſeduci*, quando falſum pro vero habet; in ſpecie vero, habito reſpectu ad moralitatem actionum, quis dicitur *ſeduci* quando non ſolum actionem aliquam, quæ revera mala & illicita eſt, judicat eſſe bonam & licitam, ſed & eam ſub ſpecie bonæ & licitæ actionis, appetit & committit. Et hoc modo Paulus revera erat *ſeductus*, quoniam in ſuperioribus vidimus, quod actiones adverſus Chriſtum & ejus ſectatores commiſſas, bonas licitasque eſſe judicaverit, non ſolum, ſed & quod ſpecie bonitatis illa-

illarum deluſus eas commiſerit: & quidem *occaſione per illud præceptum non datâ ſed ſumptâ*. Euangelium enim omnem ex operibus juſtitiam condemnat, & ſolam juſtitiam Dei per fidem Chriſti tamquam unicum ad vitam perveniendi medium commendat. Hinc vero Paulus occaſionem ſumebat Euangelium Chriſti tamquam peſtiferam doctrinam rejiciendi, & omnes, qui huic Euangelio credebant, omnibus malis imo ipſâ morte afficiendi, & extirpandi. Cum vero juſtitia Chriſti revera ſit unica vitæ cauſa, & Euangelium, in quo hæc juſtitia ἀποκαλύπτεται, *Rom.* I. 17. ſit fidum & omni acceptione dignum, an non hinc eluceſcit, quod ratio, quâ Paulus inductus fuit, ad turpes, quas memoravimus, actiones committendas, derivanda ſit non ex Euangelio, ſed ex eo, quem diximus, zelo, incitato per perverſum, quod ipſe de Euangelio ferebat, judicium? Quæ cum ita ſint, facile intelligitur, quomodo ἁμαρτία διὰ τῆ ἐντολῆς *eum interfecerit*. Paulus enim tanto furore adverſus illud præceptum, quod eſt ad vitam, ſæviendo, & juſtitiam Dei in Euangelio oblatam rejiciendo, eo ipſo ſe ipſum vitâ æternâ indignum judicabat, & ſe æterni exitii reum reddebat *Act.* XIII. 46. Hinc benigniſſimus Salvator dicebat; „ durum fuerit tibi, contra „ ſtimulos calcitrare " *Act.* IX. 5. innuens: Paulum in furore illo pergentem,

ſibi ipſi maximum malum arceſſiturum; unde ſimul eluceſcit, Paulum *vſ.* 10. rectiſſime dixiſſe: ἡ εὑρέθη μοι ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωήν, αὕτη εἰς θάνατον.

§. 8.

Hiſce tandem Apoſtolus *vſ.* 12. ſequentia addit: ὡς τε ὁ μὲν νόμος ἅγιος, καὶ ἡ ἐντολὴ, ἁγία καὶ δικαία καὶ ἀγαθή. Indubium eſt, ὡςε, heic *indicium eſſe, quod hoc commate* contineatur concluſio ex antecedentibus ducta. Cum itaque ex præmiſſis concluſio formetur, neceſſe eſt, ut ex præmiſſis in antecedentibus obviis hæc concluſio intelligi & determinari poſſit. Jam vero Apoſtolus *vſ.* 7. oſtendit, tantum abeſſe, ut Lex cauſa peccati ſit, ut e contrario ea medium ſit peccatum cognoſcendi, & illud omittendi. Unde igitur colligo, quod νόμος heic dicatur ἅγιος, quatenus actiones, quæ ſunt omittendæ detegit, & eas prohibendo homines ab iis perpetrandis deterret. Porro cum Apoſtolus vi commatis 9. mediante illo præcepto ad vividam peccatorum ſuorum agnitionem fuerit adductus, & ab iis deſiſtere cœperit, an non hinc manifeſtum eſt, quod hoc Euangelium etiam ſit medium peccata cognoſcendi, & ea omittere jubeat? Unde igitur ſequitur, quod ἡ ἐντολὴ dicatur ἁγία, quatenus Euangelium easdem, quas

Lex

Lex prohibet, actiones etiam condemnet, & homines ab iis desistere monet *Act.* XVII. 30. Et quoniam Apostolus etiam mediante hoc præcepto *mortuus erat*, id est, nuntio anteactæ vitæ misso, vitam novam & per consequens vitam pristinæ vivendi rationi oppositam vivere inceperat, hinc colligo, την εντολην vocari δικαιαν, quatenus Euangelium actiones bonas malis oppositas præcipit, & ad eas committendas homines efficacissimis motivis incitat, 1 *Tim.* I. 5, 9, 10. Et quoniam tandem Euangelium testatur, vitam æternam in Christo Jesu esse *vs.* 10. & 1 *Joh.* V. 11. hinc εντολη vocatur αγαθη, quatenus Euangelium hanc vitam tamquam summum bonum in Christo peccatoribus monstrat & offert 1 *Cor.* II. 9. Quoniam itaque præmissæ omnes, ex quibus hæc conclusio formata est, in antecedentibus inveniuntur, patet hanc conclusionem ex antecedentibus ab Apostolo recte deduci.

§. 9.

Si ea, quæ hactenus disseruimus, se recte habeant, dubitari nequit, quin Apostolus in his & sequentibus commatibus de se ipso loquatur; ex cujus exemplo tandem perspicere possumus, quantum malorum perversus pro gloria Dei zelus parere possit, cujus

zelus cum ex falſis, quas de via ſalutis modoque Deum colendi animo conceperat, opinionibus proficiſceretur, hinc nemo non videt, neceſſe eſſe, ut recta Dei & veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, cognitio zelum pro gloria Dei dirigat, *Rom.* X. 2. *

* Recte omnino egiſſe cenſendus eſt pl. Rev. & Doctiſſimus KOOKEN, quod inquiſiverit in diſcrimen, quod intercedit inter νομον & ἐντολην, quia Paullus non ſine ratione την ἐντολην a τω νομω diſtinguit. Prodit quoque ingenii acumen, quod diſcrimen illud *in lege & Evangelio* poſuerit, & hanc obſervationem omni modo adſtruxerit. Vereor tamen, ne multis perſuadeat, Paullum hoc diſcrimen intendiſſe, neque hi dicant, hanc obſervationem haud facile cum ſequentibus poſſe conciliari, & ne quidem cum antecedentibus, dum *adhuc in eo* hæret Apoſtolus *vſ.* 8. *ſeqq.*, *ut probet legem non eſſe peccatum.* Salvo meliore judicio, intentum a Paullo diſcrimen του νομου inter & την ἐντολην in eo ſtatuendum eſſe cenſeo, quod νομος *generatim* legem Divinam, *normam actionum humanarum externarum*, deſignet, η ἐντολη autem ad *ſpeciale præceptum* modo memoratum *vſ.* 7. *normam actionum internarum*, Ουκ ἐπιθυμησεις reſpiciat, de quo poſtea, quam præſtet utilitatem, quamque ſanctum, juſtum & bonum ſit, pronunciat. N. B.

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICA

CLASSIS SEXTÆ, ET ULTIMÆ,
FASCICVLVS TERTIVS ET VLTIMVS.

AMSTELODAMI & LUGDUNI BATAV.
Sumptibus Bibliopolarum
H. VIEROOT & JOA. LE MAIR.
MDCCLXVII.



VIRO

PLURIMUM VENERANDO

ET

DOCTISSIMO

RUTGERO SCHUTTE,

VERBI DIVINI

APUD

AMSTELODAMENSES

MINISTRO

FACUNDISSIMO ET FIDELISSIMO,

INSIGNI QUI

CANTICA SACRA VETERIS TESTAMENTI ILLUSTRAVIT LUMINE,

QUIQUE,

CONAMINE NUNQUAM SATIS LAUDANDO,

EO ADLABORAT,

UT

SACRA PUBLICA ET PRIVATA APUD BELGAS SUOS CULTIORI POESI CONCENTUQUE MUSICO

REDDAT

DIGNIORA GRATIORAQUE,

AMICO MEO
ÆSTUMATISSIMO ET CHARISSIMO,
ULTIMUM HUNC
BIBLIOTHECÆ
BREMENSIS NOVÆ
FASCICULUM,
EX
VETERI FORMULA
D. D. D.
QUAS
POLLICITUS FUIT SYMBOLAS
AD
CONSTRUCTIONEM
BIBLIOTHECÆ
HUJUS,
QUÆ IN POSTERUM ADNUENTE DEO,
HAGANÆ,
SUB NOMINE PRODIBIT,
AD EJUS ORNAMENTUM ENIXE EXPETO,
MEQUE CUM VOTO
OMNIGENÆ FELICITATIS,
IN CHRISTO PERFECTÆ,
EJUS AMORI ET FAVORI
COMMENDO
NICOLAUS BARKEY.

LECTORI BENEVOLO

S. ET O.

NICOLAUS BARKEY,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTOR,

IN ECCLESIA HAGANA

V. D. M.

Non *est, cur in limine hujus Fasciculi rerum mearum rationes prolixe explicem, aut caussam sonticam, quare* FASCICULUM HUNC OCTAVUM DECIMUM BIBLIOTHECÆ BREMENSIS NOVÆ HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICÆ *dixerim* ULTIMUM. —— *Satis est, si noverint benevoli Lectores, me ex Ecclesia & Schola* BREMENSI *Divino nutu, qui omnia sapientissime & benignissime gubernat, translatum esse* HAGAM-COMITUM, *Belgii totius Fœderati ornamentum & gaudium, sacroque ibidem munere fungi.* —— *Rationi ergo consentaneum putaverim, quod Bibliothecæ huic Bremensi, quam hucusque in subsidium reip. Litterariæ exstruxi, Deo O. M. pendantur dignæ grates!* FINEM IMPONAM. —— *Ne tamen labori hactenus præstito me subtraxisse aut reip. Litterariæ defuturum opinentur Viri Doctissimi, qui vel symbolas suas ad me ablegarunt, aut ablegare decreverunt, eos certiores reddere fas est, me* AD CONTINUATIONEM BIBLIOTHECÆ BREMENSIS

NOVÆ *actutum parare* BIBLIOTHECAM HAGANAM, *condendam eodem modo, quo Bremenſis Nova prodiit, quæque iisdem ſub conditionibus Viris omnibus Litteratis patebit. Si pote curabo, ut Faſciculus primus ipſo hoc, quem vivimus, anno prodeat.* —— *Ceterum viris eruditiſſimis, qui ſymbolas ſuas ad Bibliothecam Brem. Novam contulere, pro præſtito mihi auxilio, quo multos Lectores & fautores nacta fuit, grates perſolvo maximas, eosque ut & quoscunque cujusvis regionis Litteratos oro rogoque, ut futuræ* BIBLIOTHECÆ HAGANÆ *non minus faveant, eamque doctiſſimis ſuis Scriptis inſtruant exornentque.* —— *Tendant omnia noſtra conamina ad ſummi Numinis gloriam, Eccleſiæ & reip. Litterariæ emolumentum. Vale,* LECTOR, *& inſtituto huic fave, Divino ſub umbone tutus felixque. Dabam Hagæ Comitum a. d.* XVI. *Calend. Septembris anni* CIↃ IↃ CC LXVII.

S E.

SERIES SCRIPTORUM FASCICULI TERTII CLASSIS SEXTÆ ET ULTIMÆ.

I. JOA. MEDHURST, *V. D. M. Bremenſis* Obſervationes Miſcellaneæ. pag. 187

II. AUG. LUDOV. ZACHARIÆ, *V. D. M. Cothenienſis*, Meditatio Exegetica de Ευποιια & Κοινωνια, *quam Paulus Hebræis commendat* HEBR. *XIII.* 16. pag. 219

III. JOA. HENR. PRATJE, *Conſiliarii Regii & Superintendentis Generalis Eccleſiarum in Ducatu Bremenſi ut & Verdenſi*, & NICOLAI BARKEY *S. Th. D. & Profeſſoris Theologiæ Bremenſis tunc Ord. nunc V. D. M. Hagani* Epiſtolæ *Tres ſuper* COL. *II.* 14. pag. 251

IV. JOA. CHRISTOPH. HARENBERGII, Epiſtola ad *Virum S. Rever. L. Kulenkampium* de *Etymologicis quibusdam Græcis.* pag. 278

V.

V. JOA. GEORGII WENTZ, Dissertatio de *functionibus Pontificis M. in S. Adyto earumque significatione.* pag. 287

VI. ALMONII Epistola *ad Plonium*, de *Thebæa legione, cum Mauritio per Maximianum martyriis cruentis subjecta.* pag. 305

VII. JOA. THEOPHILI ELSNERI, *V. D. M. & Pastoris Ecclesiæ Bohemicæ Berolinensium*, Disquisitio Theologico Philologica de *admirabili Ecclesiæ Dei conditione in medio persecutionum & afflictionum squalore* ad PS. *LXVIII.* 14. pag. 316

VIII. INDICES. pag. 387

I.

JOANNIS MEDHURST,

V. D. M. BREMENSIS,

Obſervationes miſcellaneæ.

§. 1.

Pergimus Obſervationibus miſcellaneis hujus Bibliothecæ Claſſ. III. Faſcic. 3. inſertis, alias ſubjungendo, & id imprimis agimus, ut nonnulla S. S. loca illuſtremus, & rerum varietate delectemus. Et primum quidem locum iis dandum eſſe putamus, quæ notata nobis ſunt de imagine virgæ, & ſurculi, qua uſus eſt *Jeſajas*, ortum Chriſti præſagiens, in libro vaticiniorum *cap.* XI. 1. *Et poſtea*, dicit Vates, *exibit virga de trunco Jiſchai, & ſurculus e radicibus ejus fructum feret.* Hic videmus Meſſiam eleganti metaphora *virgam* & *ſurculum* appellari, quemadmodum alias etiam domus regia Davidis cum cedro alta & patula comparatur. Ea-

dem metaphora ſplendet quoque gemmæ inſtar in ornatiſſima SOPHOCLIS tragœdia, quæ *Electra* audit, ubi in ſomnio CLYTEMNESTRÆ ramus e ſceptro AGAMEMNONIS creſcens, effigies eſt, & ſimulacrum ORESTIS regnum patris ſui olim occupaturi:

εἶτα τὸν δ' ἔφεσιον
Πῆξαι λαβοντα σκῆπτρον, ὃ φορεῖ ποτε
Αὐτὸς τανῦν δ' Αἴγισθος· ἐκ τε τοῦδ' ἀνὼ
Βλάστην βρύοντα θάλλον, ὡς κατάσκιον
Πᾶσαν γενεὰν τὴν μυκηναίων χθονα.

Deinde (vidit) *illum in domo*
Fixiſſe ſceptrum acceptum, quod olim geſtare
ſolebat,
Nunc vero illud Ægiſthus gerit: ex illo autem
In altum ſuccreviſſe germinantem ramum, quo
Tota Mycenarum terra obumbrata ſit.
El. v. 420. ſeq.

Cum hiſce conferendum illud HOMERI ὄζος Ἄρηος RAMUS MARTIS, quo indigitatur Vir egregiæ virtutis, qui quaſi e ſtirpe Martis ortus eſt. *Il.* 7. *v.* 238.

§. 2.

Veteres ſolebant originem eorum, quæ peſſima erant, & nefanda Orco tribuere. *Jacobus* linguam eorum, qui in alios crimina ſerunt,

ſerunt, affirmat eſſe φλογιζομενην υπο της γεεννης *inflammatam ab inferno. Jac.* III. 6. Sic quoque Græci dicebant a Diis inferorum fabricata eſſe, quæ hominibus erant noxia. TEUCER apud SOPHOCLEM hanc opinionem præ ſe ferebat de balteo, qui HECTORI, deque gladio, qui AJACI mortis cauſa fuit; Ita enim ille:

Αρ᾽ ουκ ερινυς τυτε εχαλκευσε ξιφος,
Κακεινον αδης δημιουργος αγειος;

Nonne hunc Erynnis fabrefecit gladium,
Et illum (balteum) *ſævus Pluto opifex?*

Notum ſcriptores Hebræos imprimis delectatos eſſe imaginibus lucis, & tenebrarum ad depingendum ſtatum rerum lætum, & optandum, ſive triſtem, & terroris plenum. Hoc quoque de auctoribus Arabum obſervant, qui eorum libros evolvunt, & ad elucidandas ſacras litteras adhibent. Sed imagines illæ in ſcriptis Græcorum, & Romanorum etiam lucent. CICERO ad SULPICIUM ſcripſit: *Dices, quid me iſta res conſolatur in tantis tenebris reipublicæ. Epiſt. ad Fam.* l. IV. c. 3. Et AJAX a SOPHOCLE ita loquens introducitur:

Ιω σκοτος, εμον φαος, ερεμβος
Ω φαεινον ως εμοι,

O Lux mea, quam in tenebras mutata es!
O Lux olim clariſſima mihi, ut nunc atra nox
facta es! Aj. v. 395.

Fieri non poteſt, quin iis, quibus Sacra ſcriptura eſt delectamento, in memoriam recurrant, quæ in vaticiniis paria ſunt illis, quibus hoc loco uſus eſt SOPHOCLES.

§. 3.

Illa, quæ Chriſtus quærentibus ſeſe regeſſit: συ ειπας, *tu dixiſti*, *Matth.* XXVI. 64. συ λεγεις *tu dicis Joh.* XVIII. 37. ab interpretibus doctiſſimis recte habentur pro formula affirmandi; ſed errant, qui opinantur illam minus Græcam eſſe, & Hebraismum redolere. Utrumque nos docebit SOPHOCLES. Apud illum enim quærit CLYTEMNESTRA:

Ω θρεμμ' αναιδες η σ' εγω, κ) ταμ' επη,
Και τ αργα τα μα πολλ αγαν λεγειν ποιει;

O! beſtia impudens, an mea dicta
Et facta te multa dicere cogunt?

ELECTRA vero reſpondet:

Συ τοι λεγεις νιν, ȣκ εγω· συ γαρ ποιεις
Τȣργον· τα δ εργα τȣς λογȣς ευρισκεται.

TU

TU DICIS HOC, *non ego: Tu enim*
Iſta facis, ex factis vero ſermo oritur.
Elect. v. 622. ſq.

§. 4.

Paulus Apoſtolus affirmat 2 *Cor.* XII. 4. ſe verba in paradiſo audiviſſe ἀρρητα, & adhuc ſub judice lis eſt, quomodo hoc ſit intelligendum. Obſervavimus in SOPHOCLE locum, qui forſan Paulino illi explicando inſervire poteſt. Uſus enim eſt voce illa, cum de TIRESIA vate ageret, & illi cognitionem cœleſtium, & ſubterraneorum, quæ aliis non ſunt revelata, tribuit. OEDYPUS enim in Tragœdia, quæ ab eo nomen nacta eſt, dixit cœco Vati TIRESIÆ:

Ω παντα νωμων τειρεσια διδαχτατε
Αρρητατ', ἐφχνιατε, χθονοσιβη
Πολιν μεν ει ϗ μη βλεπεις, φρονεις δ' ομως
Οια νοσω συνεχιν'

O! qui conſideras omnia vates, & quæ addiſci poſſunt
Et arcana cœleſtia, ac ſubterranea,
Etſi non vides, attamen noſti quemadmodum hæc urbs
Gravi morbo infeſtetur:
Oedip. vſ. 322. ſeq.

Videmus hic loci ἄρρητα talia ſignificare, quæ vati divinitus revelata ſunt, quæque ipſi ab hominibus non erant dicta, nec aperiri poterant. OEDIPUS enim, poſtquam TIRESIÆ dixerat, quod conſideret vel animo ſuo ſubjiciat ἄρρητα κέρδια &c. mentem ſuam ita exprimit, ut ſubjungat illam non ignorare vim morbi in urbe graſſantis, licet illum non viderit. Cum enim talem cognitionem aſſignet Tireſiæ vati, ſatis clarè oſtendit reliquos in urbe cives illa carere. Ἄρρητον itaque hanc habere videtur virtutem, ut indigitet illud, quod hominibus occultum, & incognitum eſt, quod nemo oculis ſuis uſurpavit, de quo igitur nemo ſermonem facere poteſt ad inſtruendos alios, niſi illud divina revelatione cognoverit. Hunc ſenſum loco Paulino haud incongruum eſſe quivis facile, vel me nihil monente, intelligit, cum Apoſtolus de rebus loquatur, quas nemo mortalium unquam vel audivit, vel conſpexit, quæque auxilio divino in Paradiſo audiverat. Notandum imprimis eſt SOPHOCLEM dixiſſe ἄρρητα κέρδια; namque ita quoque Apoſtoli ἄρρητα appellari commode poterant, cum de cœleſtibus ſermonem faceret. Non ignoro eſſe viros eruditiſſimos, qui ἄρρητα hæcce aliter explicant, exiſtimantes illa ſonare verba, quæ dicere nefas eſt. Hanc ſuam ut probent ſententiam, argumentum petunt ex iis, quæ ſequuntur, α κ εξον ἀν-

ανθρωπω λαλησαι, quæque a Paulo adjecta eſſe putant, quo præcedentia illuſtrentur. Sed quis crederet in cœlis audiri verba, quæ nefas eſſet hominibus proloqui? Nonne potius ſtatuendum non illud eſſe εξον hominibus loqui, quod deeſt illis ad id εξουσια, poteſtas. Aſſurgendum itaque puto Rev. RAPHELIO, qui hanc fuiſſe exiſtimat mentem Apoſtoli: *Non licet, non datum hoc eſt a Deo homini, qui, utcunque ſit in aliis rebus eloquens, in cœleſtibus certe balbus, vel potius infans, & mutus eſt.* Si autem Paulus dixit ſe audiviſſe, quæ proloqui nefas ſit hominibus, non ſtatim ſequitur, eum his ipſis declarare, quid ſignificetur per αρρητα, quorum antea mentionem fecerat, ſive αρρητα eſſe, quæ hominibus proloqui ſit illicitum.

§. 5.

Mira nobis videri poſſet metaphora, quando Paulus fidem, quæ mentis eſt operatio, in hominibus habitare ενοικειν' dixit 2 *Tim.* I. 5. Sed illa non eſt ſine elegantia Græci ſermonis. De affectibus enim auctores Græci affirmant, quod habitent in hominibus, quorum animos occuparunt. Sic SOPHOCLES

Οργην εμεμψω την εμην· την σην δ' ομως
Ναιουσαν κ κατειδες.

Iram accuſas meam, ſed eam, quæ tecum
Habitat, non vides. Oedip. Tyr. v. 345. ſq.

Habitare autem fides, ira, & ſimilia in nobis dici poſſunt, quando fixam quaſi ſedem in mentibus noſtris acceperunt, & ex ea non facile expelli poſſunt, ſed potius facultatibus noſtris, ut ſuis utuntur, quotiescunque iis occaſio offertur. Ad hoc ipſum autem requiritur *habitus mentis*, quem QUINCTILIANUS *firmam facilitatem* appellat.

CREON Orator dixit apud SOPHOCLEM:

Ου —— δικαιον ϰτε τϰς ϰακϰς ματην
Χρηϛϰς νομιζειν, ϰτε τϰς χρηϛϰς ϰακϰς.

Non juſtum, ſive malos temere
Bonos judicare, ſeu eos, qui boni ſunt, malos.
Oedip. Tyr. v. 617. ſq.

Nervoſius Salomon: *Abſolvens impium, & condemnans juſtum abominatio Jehovæ, ambo illi ſimul.* Prov. XVII. 15.

§. 6.

Uſitatum erat veteribus, cum pericula, calamitates, aliaque hominibus dura, & injucunda, quibus mentes eorum explorari poſſunt, depicta dare vellent, ut imagine ignis uterentur. Si verba Petri, quibus fidem

fidem auro corruptibili per ignem explorato pretioſiorem inveniri affirmat, ſecundum nexum conſideres, videbis fidem menti ejus obverſatam fuiſſe ut talem, quæ igne ſit cognita. Sic CICERO dixit: *Amicitias igne perſpectas tuear. Orat.* 28 *c.* 9. Et in epiſtola, quæ eſt inter illas, quæ ad Familiares datæ ſunt, l. IX. decima ſexta, idem ignem cum periculo comparat. *Non facile*, ſcribit, *dijudicatur amor verus, & fictus, niſi aliquod incidat ejusmodi tempus, ut quaſi aurum igne, ſic benevolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit.*

Apoſtolus ille gentium, qui nonnullis in locis oſtendit ſe in ſcriptis Græcorum verſatum eſſe, dicit in epiſtola *Philip.* I. 21. Εμοι το ζην χριστος, και το αποθανειν κερδος. *Vita mihi Chriſtus, mors autem lucrum.* Sic quoque ANTIGONE apud SOPHOCLEM cum maxima in mala præcipitata eſſet, mortem pro lucro habebat, dicens:

Οστις γαρ εν πολλοισιν, ως εγω, κακοις
Ζη, πως ου χι καθανων κερδος φερει;

Nam qui magnis in malis, ut ego
Vivit, quomodo huic non pro lucro eſſet mori?
Antig. v. 473. ſq.

§. 7.

Nemini incognitum eſt vitia mentis, & triſtitiam, quæ commiſſis peccatis oritur, morbos in S. S. appellari, deque iis, qui a vitiis ad frugem reducuntur, dici quod ſanentur. De Meſſia affirmatur, quod *morbos noſtros tulerit Jeſ.* LIII. 4. & com. 5. adjungitur, per *vulnera* ejus *ſanitatem nobis redditam eſſe.* Haud aliter de vitiis mentem depravantibus ſentit SOPHOCLES. *Prudentiæ* enim putat eſſe, ut remedium quærat, qui peccavit; & pro morbo habet ſtultitiam e crudelitate & pertinacia ortam, vel cum illis junctam. TIRESIAM vatem ita loquentem introducit:

Επει δ' αμαρτη, κεινος ηκει εις ανηρ
Αβουλος ουδ' ωολβος, οστις εις κακον
Πεσων ακειται,

Poſtquam peccavit autem aliquis,
Non eſt ſtultus, aut infelix, qui
Remedium quærit, *Antig.* v. 1140. ſq.

De ſtultitia autem affirmat idem TIRESIAS incuſans CREONTEM:

Ταυτης συ μεντοι τ' νοσω πληρης εφυς.

Hoc tu morbo laboras.

Dixe-

Dixerat autem CREON:

Οσω ϖλε οιμαι, μη φρονειν, πλειϛη βλαβη.

Quanto plus mali eſt, ut *puto*, *deſipere!*

In hacce Bibliotheca loco ſupra allegato §. 5. docuimus ex SOPHOCLE non pro Hebraismo habendum eſſe, ſi in ſcriptis N. T. præpoſitio εν hanc obtineat virtutem, quam alias habet præpoſitio Διά. *per.* Nunc loca ex HOMERO adjuncturi ſumus, quo eo clarius pateſcat illam dicendi rationem veteribus Græcis non ita inuſitatam fuiſſe, ut vulgo creditur. In *Il.* E. *v.* 557. ſq. legimus

οφρα μιν αυτω
Ανδρων εν παλαμηϛι κατεκταθεν ωξει χαλκω

donec & ipſi
Virorum manibus interfecti ſunt acuto ære.

Hiſce paria ſunt, quæ ejusdem libri verſus 594. exhibet:

Αρης δ' εν παλαμηϛι πελωριον εγχος ενωμα.

Mars vero manibus ingentem haſtam quaſſabat.

§. 8.

Elegantiſſima eſt metaphora, quando tentationes, ac calamitates imagine fluctuum impetuoſi maris pinguntur. Hoc in ſcriptura S. pluribus in locis factum, & oculis noſtris ſubjicere aptum natum eſt ingentem miſeriarum cumulum, nec non terrorem, atque pericula, quæ illis juncta ſunt. Splendidiſſima imprimis eſt hæc metaphora *Pſalmo* XLII. 8. *Abyſſus ad abyſſum clamat ad vocem canalium* (nubium) *tuarum. Fractæ omnes undæ tuæ, & fluctus tui ſuper me tranſiverunt.*

Eadem metaphora inſignem vim & nitorem largitur ſermoni ſenis OEDIPI apud SOPHOCLEM:

Εν ω τλαμων ο δ' ουκ εγω μονος
Παντοθεν βορειος ως τις ακτα
Κυματοπληξ χειμεριαι κλονειται,
Ως ηδη τον δε κατακρας
Δειναι κυματοαγεις
Αται κλονευουσιν αει ξυνουσαι
Αι μεν απ' αελιου
Δυσμαν, αι δ' ανατελ —
Λοντος, αι δ' ανα μεσαν
Ακτιν, αι δε νυχιαν απο ριπαν.

In qua (ſenectute) *infelix non ego ſolus*
Undique ceu boreale littus

Flu-

Fluctibus expoſitum quatitur:
Sic & hunc funditus
Procellæ tempeſtuoſæ
Et ærumnæ aſſiduæ exercent,
Quarum aliæ ab occaſu ſolis,
Aliæ vero ab ortu,
Aliæ a meridie,
Aliæ ab ambroſis Riphæis montibus cumulantur.
Oedip. Colon. v. 1234. ſq.

Notandum autem eſt longè uberiora, & elegantiora eſſe Pſaltæ verba, quam poetæ græci alias longe præſtantiſſimi. David enim tempeſtatem ſuam ita pingit, ut commoto mari vocem tribuat, qualis terribilis eſſe ſolet, eique nubium ſonitum, vel tonitru jungat, quod terrorem tempeſtatis augere ſolet. Magnamque vim habet, quod undarum fractarum, & fluctuum mentionem facit, eosque conſiderat ut fluctus Divinos. Cum OEDIPUS dicit procellas ſeſe tempeſtuoſas exercere, quarum aliæ ab occaſu ſolis, aliæ vero ab ortu, aliæ a meridie, aliæ a Riphæis montibus cumulentur; brevius & nervoſius David idem exprimit hiſce verbis: *Fractæ omnes undæ tuæ, & fluctus tui ſuper me tranſiverunt.* Omnes enim undæ Dei ſunt undæ, ab omnibus cœli partibus jactatæ, & cumulatæ, & in vatem miſerum magna vi irruentes, ita ut David paucis verbis plura dixerit, quam SOPHOCLES majori verborum copia.

Dor-

Dormientes Paulo Apoſtolo ſunt tales, qui negligunt, quæ ad ſalutem pertinent, nec cogitant quo pacto evitanda ſint pericula, quæ certum interitum minantur; hinc contrarium facientes ut dormientes proponit. 1 *Theſſal.* V. 6–8. Eàdem metaphora quoque SOPHOCLI placuit. Ille enim in *Oedipo Tyr. vſ.* 64. & ſeq. ita canit:

Ως ȣχ ὑπνω γ ευδοντα μ' εξεγειρετε,
Αλλ ισθ πολλα μεν με δακρυσαντα δη

Neque me dormientem excitaſtis unquam,
Et quam multas lachrymas profuderim ſcitis.

In præcedentibus excitabatur OEDIPUS, ut urbi laboranti opem ferret, hic loci autem ipſe cauſam docere voluit, quare illud a ſe antea non ſit factum, ſc. dormivit, & a civibus non fuit excitatus.

§. 9.

Narrant qui terras orientales oculis luſtraverunt, in petra Meribæ, quam Moſes baculo ſuo percuſſit, conſpicua eſſe foramina, ex quibus aquam profluxiſſe credendum ſit. Nonnulli teſtabantur illa duodecim numero fuiſſe, quos inter ſunt MORISON & THEVENOT. Fateor mihi dubiam redditam eſſe hanc narrationem, cum in celeberrimi

SHA-

SHAWII itinerario legerem conſpici in canali quadam, quam ſibi unda e petra effluens in illa excavaverit, magnam foraminum copiam, quæ ſignis indubiis oſtendant hæc olim tot fontes fuiſſe. Ecce ipſa viri celeberrimi verba: *we ſee all over this channel, a great number of holes, ſome of them four or five inches deep, and one, or two in diameter, the lively, and demonſtrative tokens, of their having been formerly ſo many fountains.* SHAW. *Trav.* T. II. C. v. p. m. 317. Imago autem petræ illius, quam ære excuſam nobis dedit vir præſtantiſſimus, repræſentat duodecim foramina, id quod præcedentem narrationem confirmare videtur. Jam ante multos annos creditum eſt tot foramina petræ dictæ ineſſe. Alcoranum legentes obſervavimus in eo memoriæ proditum eſſe, quod Moſe petram percutiente erupti ſint duodecim fontes; & imprimis notandum ad probandam hujus rei veritatem dici, locum potationis Iſraelitarum omnibus cognitum eſſe. Ex quo ſequi videtur jam tempore Mohammedis veſtigia duodecim fontium in petra illa conſpecta fuiſſe. *Alcor.* c. 7. v. 160. Ad illuſtrandam hanc rem pertinet quod Arabes petram memoratam pro Sancta habeant, neque permittant ut illa ſe inſpectante lædatur. Namque loco citato narrat laudatus SHAWIUS parum abfuiſſe, quin Arabes ipſum lapidibus obruerint, cum partem de angulo petræ defringere conaretur. §. 10.

§. 10.

Obſervarunt ſatis recte interpretes eruditiſſimi, Chriſtum elegiſſe ex undecim Apoſtolis ſuis tres illos, nempe Petrum, Joannem & Jacobum, eosque ſibi adjunxiſſe, quo non ſine teſtibus eſſet anxietas in horto Gethſemane, quae ipſi ſudorem cum ſanguine excuſſit. Non autem oſtenderunt quorum ſcripta evolvimus, viri præſtantiſſimi, cujus rei teſtes fuerint Apoſtoli: Namque certum eſt illos non omnia, quæ Chriſtus locutus eſt, & toleravit audiviſſe & conſpexiſſe, cum plus ſemel ſomno opprimerentur. Sine dubio etiam tanti & tales fuerunt labores Chriſti, ut diſcipuli eos omnes non ſine inſigni damno ſuo intueri potuiſſent. Nihil autem eſt veriſimilius, nec probabilius, quam illos oculis, & auribus percepiſſe, quæ imprimis luculento teſtimonio ſcire noſtri intereſt. Et quis negaret huc illa pertinere, quæ de triſtiſſimis angoris Chriſti documentis imprimis a Matthæo litteris conſignata ſunt? Et Chriſtus quidem iis ad diſcipulos uſus eſt hortationibus, quibus ſomnus ad tempus ab oculis eorum abigi, & arceri potuit.

Sic videre poterant, quomodo Chriſtus ſe coram Patre ſuo in terram projiceret; audire quoque poterant verba, quibus ille

pa-

patrem affabatur, quæque præter Marcum & Lucam, Matthæus memoriæ prodidit. Chriſtus quidem relictis Diſcipulis ulterius in hortum progreſſus eſt, ſed ſi conferas quæ Matthæus & Lucas hac de re notaverunt, patebit tantum illos non diviſiſſe intervallum, ut Diſcipuli, luna noctem illuſtrante, videre non potuerint magiſtrum ſuum in terram procidere orantem, vel audire quænam verba proloqueretur. Matthæus rem ita narrat: Και προσελθων μικρον επεσεν επι προσωπον αυτε, &c. Cap. 26. com. 39. Lucas autem: Και αυτος απεσπασθη απ' αυτων ωσει λιθε βολην, και θεις τα γονατα προσηυχετο. Habemus itaque tres fide digniſſimos teſtes proſternentis ſeſe Chriſti, & animo fracto, atque humili ſupplicantis Deo Patri ſuo, judici nunc ſeveriſſimo, & triſtiſſima illa noctis hora inexorabili. Habemus luculentos, & omni exceptione majores teſtes precum, quæ hanc imprimis ob cauſam nobis ſcitu maxime ſunt neceſſariæ, quod ex illis tanquam documentis clariſſimis intelligere poſſumus, quanta fuerit Chriſti anxietas in horto Gethſemane, & quam promtus, & paratus fuerit ad exhauriendum acerbiſſimum illud iræ divinæ poculum, ſi ipſi bibendum eſſet.

Intellectu autem difficillimum viſum eſt vel perſpicaciſſimis interpretibus, quo pacto congrueret cum magno illo fortique ani-

mo, quem Chriſtus alias præ ſe tulit, quod Patrem ſupplici prece oraret, ut hoc poculum a ſe abiret? Notum eſt hæc verba hoſtibus veritatis cauſam fuiſſe, falſa in Chriſtum jaciendi crimina, & fuiſſe inter patres Eccleſiaſticos, qui fatis imprudenter martyribus nonnullis majorem, quam Chriſto virtutem attribuerunt. Ne autem Chriſto, qui maximo inter homines, & fortiſſimo eſt animo, ſimilem faciamus injuriam, id imprimis agendum eſt, quo rectum de dictis illius precibus judicium feramus. Scilicet nemo mortalium in his terris ſatis intellexit & expertus eſt, quanta & qualis ſit ira divina, quæ in Chriſtum exarſit, cum ipſi peccata noſtra eſſent ferenda. Quid ſunt dolores martyrum, quid horrores, quid anxietates illorum etiam, quorum corpora lento igne combuſta ſunt viventia, cum placatum ipſis eſſet numen, quod iratum pœnas peccatorum noſtrorum a mediatore noſtro Chriſto petebat, ſi cum hujus triſtitia, & angore conferantur? E re noſtra erat ut certiores redderemur, tantos fuiſſe Chriſti labores; & quo pacto hoc fieri melius poterat, quam ſi doceremur Chriſtum oraſſe, ut poculum illud a ſe tranſiret? Quis autem affirmaret indignum fuiſſe Chriſto, quod Patrem ſuum oraret, ut ſeſe liberaret a malo, quo ita affligebatur, ut propè abeſſet, quin vita ipſi extingueretur, imprimis

primis cum illud arbitrio Patris ſui permitteret?

Sed hoc adhuc clarius patebit, ſi perſcrutemur quodnam fuerit illud poculum, quod reſpiciebat Chriſtus orans ut illud a ſe transferretur. Hoc enim cum non intelligerent doctiſſimi interpretes, difficilior ipſis reddita eſt precum Chriſti explicatio. Exiſtimaverunt enim Mediatorem divum per poculum illud indigitaſſe omnes ſequentes paſſiones, de quibus tamen cogitandum non eſt Illum patrem ſuum precatum eſſe, ut illas averteret. Dixerunt quidem aliquid viri illi præſtantiſſimi, quò tales Chriſti preces excuſarent, & defenderent; at vero tantum abeſt ut rem confecerint, ut potius maxima, quæ contra illas moveri poſſunt, dubia intacta reliquerint. Prædixerat ille diſcipulis ſuis quænam ſibi Hieroſolymis eſſent patienda, & ſe illuc etiam hanc ob cauſam contulerat; quo pacto igitur cum animi virtute, & conſtantia poſſet congruere, ſi Chriſto preces aſſignare velimus, quibus a patre petiverit, ut mala illa a ſe depelleret?

Facilius omnia oppoſita dubia, & imprimis iniquos ſermones hoſtium veritatis diſſolvere, & refutare poterimus, ſi ſtatuamus Chriſtum non aliud intellexiſſe poculum, niſi quod ipſi ante adventum hoſtium ſuorum in horto Gethſemane erat

exhauriendum. Et quidem rem ſe ita habere nos dubitare non ſinit Marcus, qui hoc fuiſſe precum Chriſti argumentum docet, quod petiverit ut *hæc hora tranſiret*. Και προελθων μικρον, dicit ille, επεσεν επι της γης· και προσηυχετο ινα, ει δυνατον εστι, παρελθη απ' αυτου η ωρα. *c.* 14. *com.* 35. Quis negaverit Marcum non aliam niſi præſentem horam indigitaſſe, dum illius ſine ulteriori deſcriptione mentionem facit? imprimis cum antea dixerat Chriſtum de graviſſima triſtitia, qua fere opprimebatur, conqueſtum eſſe. Nonne igitur putandum oculis Evangeliſtæ obverſatam eſſe triſtiſſimam horæ illius, in qua Chriſtus ita affligebatur, imaginem? Ab illa autem hora poſtea diſtinguitur alia, de qua Chriſtus ipſe ſermonem fecit, quæ hanc ob cauſam memoratu digna, quod illa adventante manibus peccatorum tradendus erat. *com.* 41.

Horam in allegatis Marci verbis non aliam fuiſſe niſi horam triſtitiæ, & angoris Chriſti, quo in horto premebatur, inde quoque intelligi poteſt, quod Chriſtus oraverit ut tranſiret. Hoc ipſo enim docemur illam fuiſſe horam, quæ jam cœpta erat, quoniam ratione horæ, quæ nondum advenit, peti non poteſt ut tranſeat, vel abeat, aut ad finem perducatur. De hac itaque hora ſtatuendum, quod diſtincta fuerit ab ea, de qua Chriſtus poſtea affirmavit quod venerit; cum

cum enim hæc venit, illa jam erat præterlapſa. Chriſtus itaque in precibus ſuis reſpexit tantum poculum in horto bibendum, non autem omnia, quæ poſtea erant ferenda.

Adhuc clarius intelligemus preces illas contra pietatem animique magnitudinem, & firmitatem Chriſto tribuendam non pugnaſſe, ſi ſtatuamus illum ut hominem ignoraſſe, quanti ſpatii hora illa futura eſſet. Si enim *dies judicii, quod diſcipulis ſuis prædixit, ipſum latuit, ignorare* etiam potuit, quantum temporis anxietati ſuæ & labori in horto Gethſemane a Patre ſuo conſtitutum eſſet. Et hanc ob cauſam orare etiam potuit ut, ſi fieri poſſet, hora illa tranſiret.

Cum autem hoc ipſum permitteret voluntati Patris ſui, manifeſtum faciebat, quanta eſſet in illum pietate, & quam firmum ſibi ſit propoſitum omnia ferendi, quæ pater ſibi imponere decreverit. Sane perfectiſſimam oſtendebat obedientiam patri præſtandam, & incomparabilem magnanimitatem, atque conſtantiam, cum intolerabilia potius mala perpeti, quam ſe voluntati Patris reſiſtere velle teſtaretur. Tam perfecta Chriſti obedientia juſtitiæ noſtræ cauſa poterat eſſe (*Rom.* V.) omnesque pios inflammare, ut ipſius exemplum imitentur.

§. 11.

Cum Judas ad Chriſtum acceſſiſſet ficto ad fallendum vultu, eique oſculum tuliſſet, quo eum per ſimulationem amicitiæ hoſtibus ſuis proderet, divus Servator eum nomine ἑταῖρε affatus eſt. Haud idem ſenſerunt interpretes eruditiſſimi ſententiam dicturi, qua mente Chriſtus proditorem ita appellaverit. Celeberrimus HEUMANNUS, ut aliorum præteream opiniones, exiſtimavit voci illi heic loci ſenſum aſſignandum eſſe, qualem habere ſolet apud Græcos; ſi quis ignotum ἑταῖρε nomine affatur, quod & obtinet aliis in linguis. Sed rectiſſimè obſervavit plurim. reverendus BRUCKER in notis ad Commentarios Anglorum a ſe Germanicè editos, ad veritatis ſpeciem proxime accedere Chriſtum Judam adpellantem voce חבר uſum eſſe. Cum autem vox illa diſcipulum deſignet, quo cum magiſter familiariter vivit, & ἑταῖρος ſimilem habeat virtutem, pollicem premendum eſſe duco laudato BRUCKERO putanti, Chriſtum Judæ in memoriam revocare voluiſſe, quo pacto a ſe ſit inſtitutus, & quanta ſecum familiaritate conjunctus. Adhuc magis ſe commendabit nobis hæcce ſententia, ſi docere queamus, hanc vocis ἑταῖρε virtutem a ſcriptis N. T. alienam non eſſe.

Allegavit quidem eruditiſſimus BRUCKER præter

præter loca ex profanis auctoribus, quibus dicta ſignificatio probari poteſt, alium ex novo Teſtamento, ſed, ne quid celem, qui parum aptus eſt ad probandam & adſtruendam ipſius ſententiam, cum in eo εταιρ@ *familiarem* ſonet. Extat autem locus in Evangelio Johannis, ubi εταιρ@ diſcipulum denotat qui Magiſtro intimus eſt. *Joh.* XV. 14. 15. dicit Chriſtus Υμεις φιλοι μυ εςε, εαν ποιητε οσα εγω εντελλομαι υμιν: υκετι υμας λεγω δυλυς, οτι ο δυλ@ υκ οιδε τι ποιει αυτου ο κυρι@: υμας δε ειρηκα φιλυς, οτι παντα α ηκυσα παρ@ μυ, εγνωρισα υμιν. Hic itaque videmus Chriſtum diſcipulos ſuos, quibus omnia revelaverat, & quibuscum vixerat, amicos appellaſſe. Inter illos autem Judam fuiſſe nemo ignorat.

§. 12.

In ſecunda parte com. 6. cap. 1. Cantici Cantic. juxta SCHMIDIUM, aliosque eruditiſſimos Interpretes dicitur: *Filii matris meæ exarſerunt contra me*, (eo quod) *poſuerunt me cuſtodem vinearum*, (ego vero) *vineam meam, quæ mihi* (commiſſa) *non cuſtodivi.* Non ſane mihi placet hæc interpretatio plures ob rationes, quarum prima, & præcipua eſt, quod verba, quæ nobis per illam exhibentur, minus recte cohærent. Licet enim

illa, *eo quod*, *ego vero* interjecta ſint, quo oſtendatur, & illuſtretur nexus ſermonis, nihil tamen, me quidem judice, effectum eſt ad conjungenda illa, quæ nimio intervallo disjuncta ſunt, & a ſe invicem abhorrent. Illi, de quibus agit perſona loquens, ſunt fratres ipſius uterini, *Filii matris*; quis crederet illam hiſce tantam tribuiſſe auctoritatem ut dixerit: *conſtituerunt me cuſtodem vinearum?* Et licet admittamus haud nimium ſibi arrogare fratres, qui ſorori & imprimis natu minori injungunt, & præcipiunt ut vineam ſuam cuſtodiat, minus tamen præcedentibus reſpondent ſequentia: (ego vero) *vineam meam*, *quæ mihi* (commiſſa erat) *non cuſtodivi*; & hæc verba quoque ſecum ipſa pugnant. Quid enim? iratine fuerunt fratres, quod illa vineam ſuam neglexerit? Hoc ſane, ſi dicendum quod res eſt, fratres nihil attinebat. Præterea quo ſano ſenſu dicere poterat illa, ſibi commiſſam eſſe vineam ſuam? Quo pacto aliquis curam horti noſtri, qui ad illum non pertinet, nobis demandare poteſt?

Patet itaque Interpretes illos, præſtantiſſimos licet, locum tamen noſtrum minus rectè intellexiſſe, id quod & conſtructio verborum quam clariſſimè docet. In lingua ſancta hæcce legimus בני אמי נחרו בי שמני נטרה את הכרמים כרמי שלי לא נטרתי,

Non

Non autem puto illud שמני referendum eſſe ad ſequentia, cum non ſequatur nomen ſed potius participium in Kal, ita ut verba non reddenda ſint *cuſtos vinearum*, ut callidè reddita ſunt ab interpretibus doctiſſimis, ne ſe prodat, quod fraudi poſſit eſſe ipſorum verſioni, ſed potius *cuſtodiens vineas*. Non autem puto ullam linguam id admittere, ut dicamus ponere aliquem cuſtodientem vineas. Si enim eſt cuſtodiens, atque adeo cuſtos, id ut ſit eligi, & conſtitui non poteſt. Si quis autem exiſtimet & exemplis docere poſſit, quod tamen non credimus, dici poſſe *ponere quem cuſtodientem vineas*, putandum tamen non eſt talem conſtructionem hic locum habere. Si enim, quæ de fratrum ira queritur, dixit fratres ſeſe feciſſe vinearum cuſtodem, nulla alia iræ illius cauſa ex ſermone ejus elici poteſt, niſi quod vineam ſuam non cuſtodiverit, id quod rationi ſanæ contrarium eſt, ut ſupra vidimus.

Majorem denique vim, & nitorem facilioremque ſenſum habere verba, & affectum loquentis clarius exprimere putamus, ſi ita reddantur: *Filii matris meæ exarſerunt contra me, injuria me affecerunt, cuſtodiens vineas, vineam meam, quæ meum eſt peculium, non cuſtodivi.* Verbum שׂום accipio ſenſu *faciendi injuriam.* Fatendum quidem eſt me

non alia notaviſſe loca in ſcriptis ſanctis Hebræorum, ubi verbum hoc dictam habeat virtutem. Sed filia linguæ hebrææ, Arabica ſcil., reſervavit matri ſuæ illam ſignificationem verbi שום, eamque huic reſtituit. Scil. سام inter alia ſonat, *noxa, & injuria affecit.* In *Alcorano* extat locus, in quo virtus illa verbi eſt conſpicua:

واذ انجيناكم من أل فرعون
يسومونكم سوء العذاب

Et cum liberavimus vos a populo Pharaonis, qui injuria afficiebat vos (illato vobis) *peſſimo poenæ.* cap. 7. com. 138.

Et hic videmus verbum illud imprimis adhiberi de pœna alicui injuſte irrogata, id quod in locum noſtrum optime quadrat. Nihil enim veroſimilius, nec probabilius eſſe poteſt, quam illam, quæ de ardente fratrum ira conqueritur, gemere quoque ob pœnam a ſe indigno modo ſumtam. Imprimis cum verba, quæ ſubjuncta ſunt, defenſionem fidei fratribus in cuſtodiendis ipſorum vineis demonſtratæ complecti videantur. Hoc omnium ſeſe oculis ingeret, modo recte intelligant, quid illud שלי in verbis Salomonis deſignet. Vidimus jam illud non ſignificare *quæ* (vinea) *mihi commiſſa eſt*;

Nihil

Nihil itaque reliquum eſt, niſi ut ſtatuamus illud idem ſonare, ac ſi dicamus, *quæ mea* eſt *poſſeſſio*, vel *peculium meum*. Videtur quidem hoc ſuperfluum eſſe, poſtquam dixiſſet ſoror fratrum injuſtorum, *vinea mea*, ſed hoc dubium poſtea ſoluturi ſumus.

Conqueritur itaque illa, quæ hic loquens inducitur, de ira fratrum, deque injuria, qua ab iis eſt affecta. Quænam fuerit cauſa iræ fratrum, & quam injuſta ſit pœna, qua multata fuit, demonſtrat affirmans: *Cuſtodiens vineas, vineam meam, quæ mea eſt poſſeſſio, non cuſtodivi.* Niſi me omnia fallunt hiſce verbis vult indigitare ſe omnem curam & attentionem convertiſſe in vineas fratrum ſuorum, ita ut ſuam ipſius vineam fere neglexerit. Ex hiſce intelligimus illam accuſatam eſſe apud fratres, quod ipſorum vineas non recte cuſtodiverit. Iis autem utitur verbis, quæ ipſi juſta indignatio ſuggeſſerat. Loquitur abrupte dicens: *Filii matris meæ exarſerunt contra me, injuria*, vel *injuſta pœna me affecerunt*. nulla hic utitur formula ſive particula copulandi verba, illam omittit, ut irati ſolent. Loquitur nervoſè; Fratres appellat *filios matris ſuæ* cum oſtendere vellet, quam parum deceret illos ſe tam indigne & inhumaniter tractare. Hac dicendi ratione, qua fratres appellantur *filii matris*, uti ſolent Arabes, quando animo concitato loquuntur.

In

In *Alcorano*, ubi agitur de Moſe, irata mente tabulas legis in terram projiciente, hic Dei ſervus Aharonem orans, ne hoſtibus occaſionem præberet ex infortunio ſuo lætitiam hauriendi, illum ita affatur: ابن ام *fili matris* (meæ). *cap.* 7. *com.* 150. Prodit quoque inſignem commotionem animi miſera illa, dum non modo dicit, non cuſtodivi vineam meam, ſed etiam, quæ *mihi eſt*, vel *peculium meum*. Non curavit itaque illa quæ poſſidebat *ipſa*, quæ *cuſtodire alias* amor ſui ipſius, ei ſuadere potuiſſet. Affectus animi etiam prodit non omnia, quæ ſentiebat, quæque docere volebat, verbis exprimens; promit tantummodo argumentum, quo fides in fratres, & ſtudium iis omnia officia perſolvendi probari poteſt: affirmat ſe *cuſtodientem vineas*, *ſuam non cuſtodiviſſe*, ex quo manifeſtum erat ſeſe eo majorem curam vineis fratrum impendiſſe.

§. 13.

Docuimus in Miſcellaneis Bremenſibus, (*in dem Bremiſchen Magazin*) moris fuiſſe apud veteres Hebræos ut viri ſaltarent ſoli, & a feminis ſejuncti, & hanc ſententiam noſtram poſtea contra nonnullas objectiones ibidem vindicavimus. Haud parum illuſtra-

ſtrari, & confirmari poteſt quod hac de re ſtatuimus, ſi oſtendere queamus & apud alias gentes antiquis temporibus illum ſaltandi morem haud inuſitatum fuiſſe. Hac de re autem nos dubitare non ſinit princeps ille vatum, omnes excellens non modo ſcientia poëtica & ingenio fertiliſſimo, ſed & ſtupenda eruditione, & permultarum rerum cognitione. Ille autem chorum ſaltantium, quem Vulcanus ſcuto a ſe fabricato inſculpſerat, ita deſcribit:

Κυροι δ' ορχησηρες εσινεον, εν δ' αρα τοισιν
Αυλοι, φορμιγγες τε βοην εχον· αι δε γυναικες
Ισαμεναι θαυμαζον επι προθυροισιν εκαστη.

Adoleſcentes autem ſaltatores in orbem agebant ſe, interque eos
Tibiæ, citharæque ſonum edebant: mulieres vero
Stantes admirabantur in veſtibulis unaquæque.
Il. Σ. *v.* 494. ſq.

Sic mulieres non mixtæ erant choro illi, ſed ſpectatrices erant lætitiæ adoleſcentum, quemadmodum & Michal ſaltationem regis Davidis inſpectabat.

Obſervandum eſt HOMERUM hanc ſaltandi rationem non deſcripſiſſe ab auctore, aut a loco ubi inventa, & recepta fuerit, ex quo in-

intelligimus illam apud Veteres uſitatiorem fuiſſe. Hoc enim non tantum enarrandi, quo uſus eſt, modus docet, ſed etiam deſcriptio alterius chori ſcil. adoleſcentium cum virginibus junctorum, quam in eodem libro dedit, & quidem ita ut non tacuerit auctorem illius chori, nec locum ubi inventus fuerit. Ita autem ille:

Εν δε χορον ποικιλλε περικλυτος Αμφιγυηεις,
Τω ικελον, οιον ποτ' ενι Κνωσω ευρειη
Δαιδαλος ησκησεν καλλιπλοκαμω Αριαδνη
Ενθα μεν ηιθεοι τε παρθενοι αλφεσιβοιαι
Ωρχευν', αλληλων επι καρπω χειρας εχοντες.

In eo (clypeo) *& chorum vario effinxit artificio inclytus Vulcanus*
Ei ſimilem, qualem olim in Cnoſſo lata
Dædalus concinnavit comas pulchræ Ariadnæ.
Ibi quidem adoleſcentes, & virgines formoſæ
Tripudiabant, alter alterius ad carpum manus tenentes. *Il.* Σ. *v.* 590. ſq.

Ex hiſce autem manifeſtum eſt, illam mixto choro tripudiandi rationem apud veteres ante Dædalum incognitam fuiſſe.

§. 14.

Diximus ſupra illuſtrantes verba Salomonis

nis in Cantico *Cantic.* I. *com.* 6. nos haud notaſſe locum, ubi verbum שׁוּם ſenſum habeat *faciendi injuriam.* Poſtea vidimus plurim. reverendum BOYSENIUM virtutem verbi illius aſſignaſſe loco in vaticiniis Ezechielis *c.* 21. *com.* 21. in Symbolis philologiæ Hebraicæ (*in den Beytrag zu einem richt: Syſtem der hebraïſchen Philologie*) ad verbum שׁוּם. At vero huic loco non congruere videtur, (quod pace viri egregii dixerim) ſignificatio injuriæ, vel noxæ, quod verba vatis inſpicientibus patebit. Si illud השׁימי autem de noxa, vel malo inferendo accipiendum eſſet, dicerem id hic ſonare juſtam pœnam impiis infligendam, quam Propheta iis prædicere juſſus ſit. Dictio enim illa, quam ſupra ex *Alcorano* in medium protulimus in eodem libro *cap. 7. v. 166.* de juſta pœna, qua afficiendi eſſent immorigeri Iſraëlitæ, uſurpatur. Sed in vaticinio illo Ezechielis verbum hoc non de pœna aliqua accipiendum eſſe ſuadet nexus ſermonis, cum ex eo manifeſtum ſit, ibi ellyptice dictum eſſe השׁימי & omiſſam eſſe vocem פניך ex ſequentibus reſtituendam. Ita enim Deus ad vatem locutus eſt:

התאחרי הימיני השׁימי השׁמילי אנה פניך מערות

Niſi illud השׁימי de ponenda vel dirigenda ver-

verſus dextram & ſiniſtram facie intellectum ſit, nullo ſenſu adjecta eſſent ſequentia אנה פניך מערות. Addendum integram phraſin שים פניך in capite allegato bis occurrere, ſcil. *com.* 2. & 7.

II.

AUG. LUDOV. ZACHARIÆ,

V. D. M COTHENIENSIS,

DE

ΕΥΠΟΙΙΑΙ & ΚΟΙΝΩΝΙΑΙ,

QUAM

PAULUS

HEBR. XIII: 16.

HEBRÆIS COMMENDAT,

MEDITATIO EXEGETICA.

ARGUMENTUM.

I.) *Proœmium & ſcopus Apoſtoli* §. 1, 2. II.) *ipſius dicti expoſitio.* A.) *tractandorum ratio & ordo* §. 3, 4. B.) *officia*: Ευποιια §. 5. Κοινωνια §. 6, 7, 8. C.) *hortatio*: Μη επιλανθανεσθε §. 9. D.) *motiva*: Τοιαυταις γαρ θυσιαις ευαρεστειται ὁ Θεος. §. 10.

§. 1.

Neſcio, unde id ſit, quod *expoſitiones Textuales* S. Scripturæ, cum maxime dicta ejus ad claſſem *Hortationum* perti-

neant, adeoque *officia* vel *mores* concernant, hodie in desuetudinem ut plurimum veniant, ac imprimis quando *plebem Christianam* publice erudimus, fere vilipendantur. Propositiones ex Textu facimus, hasque dein, non *verba & phrases* S. Scripturæ explicamus. Quasi vero dedeceret Theologum ac V. D. Ministrum, oraculorum divinorum, quod ad verba phrasesque Spiritus Sancti, agere *interpretem*, nec id verbum DEI scriptum pro vero ac adæquato principio cognitionis nostræ Theologicæ haberemus; cum tamen & Theologus, & verbi Divini Minister, nomen inde trahat suum. Ad me quod attinet, tantum abest, ut eum morem *in totum* approbem, ut potius, quando dicta S. Scripturæ inspicio, sæpius me in admirationem rapiat *sapiens suadendi ratio*, quæ in *sacrarum literarum admonitionibus ac hortationibus* occurrit: ubi ut plurimum multa paucis dicuntur; verbaque rebus, & res verbis respondent aptissime; & illa æque ac hæ scopum optime feriunt: omnia vero hæc plane aliquid *divinum* in Sacris scriptoribus spirant. Atque id idem est, quod mihi nuper accidit, cum in *hortationem ad beneficentiam in egentes, pauperes atque afflictos*, inciderem, quæ in *Epistola ad Hebræos c.* XIII. 16. his verbis exprimitur: Της δε Ευποιιας ϗ Κοινωνιας μη επιλανθανεσθε· Τοιαυταις γαρ θυσιαις ευαρεσειται ὁ Θεος·

§. 2.

§. 2.

Ad *officia charitatis*, & cum maxime ad *beneficentiam in egenos ac afflictos fratres*, ſcriptorem Sacrum (& quis ex convenienția, quæ ex hac tractatiuncula pateſcet, tum ſtyli tum rerum cum aliis dictis Paulinis dubitet, *Divum PAULUM* eum eſſe?) hortari, nullum mihi eſt dubium. Nam & Paulus digitum jam eo intenderat ſupra *vſ.* 1. & 3. & propoſitio ipſa, quæ in verbis noſtris continetur, & temporis perſonarumque ratio, quando & ad quos Paulus hanc hortationem ſcribebat, id ſatis evincunt. Cogitemus, *in quo ſtatu* tum verſati fuerint *Chriſtiani*. *Quidam*, imo vero plurimi, cum Evangelio J. C. nomen dediſſent, jam erant *pauperes*. Id quod, uti per communem ſortem hominum in mundo extra dubium ponitur; ita ex Actis Apoſtolicis adhuc propius liquet: utpote ubi in deſcriptione primæ, quæ Hieroſolymis fiebat, eccleſiæ fundationis mox talium injicitur mentio, quibus ex *bonorum communicatione*, quam Lucas Διακονιας καθημερινης nomine *c.* VI. 1. inſignit, ſuccurrendum erat: licet, quia recens credentium tum ἡ καρδια καὶ ἡ ψυχη μια erat, ex communione fraterna, & inde enata bonorum quadam communicatione, res eo eſſet deducta, ut, hoc reſpectu, dici

poſſet, ὁτι ἐνδεης τις οὐχ ὑπηρχεν ἐν αὐτοις, *c.* IV, 32, 34. *Quidam* vero, & forte haud minores numero, cum maxime in ſubſequentibus temporibus, dum ſive ex Judaismo porro, ſive & dein ex Gentilismo ad Chriſtianismum tranſibant, bona ſua temporalia, quæ adhuc habuerant, & quam parva jam antea apud quosdam forte fuerant, amittebant, & *rapinam* quaſi eorum incurrebant; quo Paulus in ipſa hac noſtra epiſtola *c.* X. 34. reſpexit. Quin imo, quod plurimi in primordiis Chriſtianismi eſſent pauperes, id ex *ſingulari gubernatione DEI* in conſtituenda primitus eccleſia originem trahebat; qua fiebat, ut, licet ditiores quidam, ad quos 1 *Tim.* VI. 17. reſpicitur, imo illuſtres Viri *Act.* I. 1. *Phil.* IV. 22. non deeſſent, longe plures tamen pauperes ad eccleſiæ pomœria tranſirent: non tantum, quia horum ſemper major inter homines exiſtit numerus, pauperesque, hoc illo reſpectu, quaſi per naturam rei magis apti poſſint videri ad recipiendum regnum DEI, *Matth.* XIX. 23, 24., verum potius adhuc, quia ſingularis, ut dixi, in ea re divina erat εὐδοκια, ſapientiſſimis procul dubio innixa rationibus, ut ex aſſertis tum Pauli 1 *Cor.* I. 26. *ſeqq.* tum Jacobi in epiſt. ſua *c.* II. 5. nullum ſupereſt dubium. Quorum omnium ſtatus tum adhuc eo magis erat deplorandus, ac miſerrimus, ſi præter ege-

egeſtatem inſimul *multa dura* experiebantur, *multasque afflictiones*, ſive a fratribus ſecundum carnem, ex quorum communione exierant; ſive, quod magis eſt, a magiſtratibus etiam, tum in Judaismo tum in Gentilismo, ipſis immiſſas: exempli gratia, ſi captivi ducerentur, carceribus intruderentur, & quæ ejus generis afflictiones erant plures. Ita ut hiſce de cauſis omnibus eo tempore, rebusque ſic ſtantibus, ii credentes, quibus & bona temporalia ſuppetebant, quibusque ſuis rebus adhuc in pace ac quiete uti licebat, Beneficentiam erga egenos ac afflictos fratres exercere, & officia pietatis, quæ eo ſpectabant, plane ut hic Paulus ad ea hortatur, ſibi omnino habere deberent commendatiſſima.

§. 3.

De *obligatione* ad benefaciendum pauperibus & afflictis, *officiorumque*, quæ huc pertinent, *ratione*, *in genere* *) dicere, nunc

*) Conferri ea de re poſſunt, qui & *Juris Naturæ*, & *doctrinæ Moralis* in ſpecie, ſyſtemata condiderunt, PUFFENDORFIUS, GROTIUS, BUDDEUS, LA PLACETTE & plures alii: Et quod ad curam pauperum, in ſpecie in *politia Judaica* & in *eccleſia Chriſtiana*, VITRINGA *de Synag. Vet. Lib. III. P. I. c.* 13.

nil attinet: cum in animum tantum induxerim, PAULUM hac vice audire, & ostendere, quam *aptis & sensu uberrimis* is ea de re utatur *vocabulis*; quam *sapienter* etiam, & *appositè ad scopum*, hortetur; ac *motivum* hortationi subjungat *selectissimum* ac *stimulantissimum*.

§. 4.

Vocabula, quibus Beneficentiam illam exprimit Apostolus, duo ab ipso distincte adhibentur. ΕΥΠΟΙΙΑ & ΚΟΙΝΩΝΙΑ. Prius *generale*; posterius *speciale* & intensive ἐξηγητικον *) est. Ego vero, ut appareat, quam *apte*, quaque cum *ubertate sensus* id fiat, utrumque paucis lustrabo.

§. 5.

ΕΥΠΟΙΙΑ, quam vocem latine BENEFICENTIAM, ut in vernacula *Wohlthätigkeit*, optime dixeris, ut modo monui, *generale* vocabulum est, significatus latissimi, & adhi-

*) Exempla ejusmodi propositionum sæpius in S. S. occurrunt. Vide ex. gr. *Jos.* II. 1. *Ps.* XVIII. 1. & alibi. Neque adeo opus est interpretatione quorundam per ἐν ἀρχῇ Δυων, qualis v. c. THEODORETI est, quam refert SUICERUS *in Thesaur. eccl. sub voce* κοινωνια.

hibitum procul dubio a divo Apoſtolo, ne *quicquam*, *quod ad Beneficentiam pertinet*, in admonitione ab ipſo prætermittatur, ad quod pii ſe non obſtrictos ſentirent erga fratres, ſi eorum χρειαις ſubvenire poſſent, non eleemoſynis tantum; ſed beneficiis charitatis ac humanitatis quibuscunque. Quaeritur an vox Ευποιια, in S. S. ἁπαξ λεγομενη, *pure græca* ſit? Sed forte eodem jure quis in anteceſſum quæreret, *an ſcriptoribus Divinis non niſi talis conveniat ſermo, qui verbis ac phraſiologia puriſſime græcus ſit?* Ad me quod attinet, uti non intercedo, quo minus vocabulum ευποια æque græcum eſſe poſſit ac το ευποιειν, a quo deſcendit; ac quo minus revera graecum ſit, quod Viri docti auctoritate SUIDÆ, qui vocem refert, probant: ita tamen nec ab altera parte puto, *hac diſputatione valde opus eſſe*, parumque abſum, quin dicam, divum Paulum, eam vocem ſi vel pure græca ſit, non tamen ideo, ſed longe verius & rectius ſimpliciter ex *Helleniſtarum* uſu hoc loco adhibuiſſe: nimirum ex uſu των LXX, qui uti ευποιειν loco Hebraici היטיב ponunt; ita idem verbum de *quavis beneficentia* tum ipſius Dei *Gen.* XXXII. 9. 12. *Exod.* I. 20. tum de illa, de qua heic Apoſtolus agit, hominum nempe, & quidem erga pauperes, adhibent. Imprimis in loco *Salomoneo Prov.* III. 27. Μη ἀποσχῃ ΕΥΠΟΙΕΙΝ ἐνδεη, ἡνικα

ἡνικα ἂν ἐχῃ ἡ χειρ σου βοηθειν. Ea enim verſione Hebræi Helleniſtæ, quales Hebræi, ad quos Paulus ſcribebat, nunc Ex-Judæi, erant, in Synagogis & fuere aſſueti, & Paulus in citandis locis S. Scripturæ V. T. ut plurimum uſus eſt. Et mihi vix dubium eſt, eum ad locum citatum Salomoneum, tum in hac cauſa ſatis notabilem, tum Hebræis ſuis notum, in ſpecie aliquem reſpectum feciſſe. Sufficit, quod vox hæc ἐυποια, ſi rem ipſam ſpectes, *egregia* plane & *aptiſſima* ſit: utpote quae *ſenſum* fundit *ampliſſimum*, & το *materiale* æque ac το *formale* beneficentiæ non tantum *conjunctim* exprimere valet; ſed & præterea ita comparata eſt, ut ſimul *ſtimulos* ſecum ferat, ad officia, quæ ſub ea continentur, eo libentius exequenda. *Materiale* Beneficentiæ non animus tantum; non verba tantum; ſed *facta* ſunt, quibus pauperibus atque afflictis cum primis auxilio eſſe convenit: quod, quemadmodum Chriſtianæ fidei veræ ac vivæ documentum præcipuum efficit; ita cum reſpectu ad egenos cum maxime ſummæ neceſſitatis eſſe, nemo non ſibi perſuaſum habet. *Quæ utilitas, Fratres mei, ſi fidem dicat aliquis habere ſe, opera vero non habeat? num poteſt fides illa eum ſervare? Quod ſi frater aut ſoror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu; dicat autem eis aliquis: abite cum pace, caleſcite & ſaturamini*, μη δωτε

δωτε δε αὐτοις τα ἐπιτηδεια του σωματος, τι το ὀφελος; *Jac.* II. 14–16. conf. 1 *Joh.* III. 18. *Formale* autem Beneficentiæ penes Chriſtianos eſt, ut non tantum ex *fide* & *amore* beneficia proveniant; quod cum omnibus bonis operibus habent commune: verum & partim *haud parca & illiberali mente ac manu* exhibeantur, *ut benedictio ſint, non avaritia*, ut 2 *Cor.* IX. 5. eleganter Paulus noſter monet; partim autem *bono cum diſcrimine*, quod cum reſpectu ad egentem proximum & fratrem varium eſſe poteſt; imo & *conſtanter*, pro re nata, fiant, *Gal.* VI. 9. Quæ omnia ſub particula ΕΥ, quæ vocem ευποιιας ingreditur, haud obſcure indigitantur ac comprehenduntur. Et annon tacitum ſimul *motivum* hæc vox ſecum ferret? Quid magis laudabile; quam ſi *bene* facias, *bene rectèque* agas, cum maxime ubi *amor* & *charitas* intercedunt? Quid magis nos facit ſimiles *DEO*, qui uti natura eſt *optimus*, ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ ſummus, ita & beneficentiæ ſummum exemplar conſtituit, quod imitari ſumma creaturæ rationalis, nedum credentium ac filiorum ejus, dignitas eſt. Optimi *Servatoris* ſanctiſſimus per omnem vitam character, nonne is erat ὁτι διηλθεν ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ; κ. τ. λ. *Act.* X. 38.

§. 6.

Haud vero incertos voluit esse Hebræos Apostolus, quonam imprimis directa sit sua ipsius intentio. Subjungit igitur alteram vocem, quæ KOINΩNIA est, quæque mentem suam dilucidius explicat. Equidem, si hæc vox sola posita esset, omnino dubium aliquem posset tenere, quid Paulus ea vellet indigitare. *Procul dubio enim multo plura*, quam quæ *respectum tantum* habent ad pauperes, vocabulum κοινωνια sub se complectitur. conf. D'OUTREINIUS in Comment. ad Hebræos ad h. l. At vero dum priori subjuncta, dumque in nexu cum ευποιιας sub schemate *oblationum*, quæ Deo placent, usurpatur; quin tandem ex dicto nexu cum *vs.* 1. & 3. dijudicatur: mens Pauli & res, quam intendit, in aprico est posita. ELEEMOSYNAS enim, certam ευποιιας *speciem*, ex communi fere omnium Interpretum sententia, & ex collatione *Act.* XXIV. 17. distincte intelligit, earumque ELARGITIONEM, qua Hebræi COMMUNIONEM suam cum fratribus pauperibus atque afflictis imprimis testatam facerent: sive tales *inter semet ipsos* haberent; sive *alibi locorum*, in Ecclesiis ac consortio credentium, reperirentur: ubi eleemosynas in priori casu erogandas sub *privatarum* & *domesticarum* quasi; in po-

posteriori vero sub *publicarum* & *extranearum*, vulgo των ΛΟΓΙΩΝ, COLLECTARUM, 1 *Cor.* XVI. 2. nomine designari possunt. Atque ego *has posteriores* imprimis, pro SANCTIS *c.* VI. 10. *Rom.* XV. 26. id est, *fratribus Christianis Ex-Judæis*, cum maxime *Hierosolymis* & *in Palæstina* degentibus, in epist. ad Galatas *c.* VI. 10. judice Ven. NONNENIO, οἰκειους της πιστεως scite dictis, eo minus heic exclusas vellem *), cum & Hebræi ad eas quam proxime obstricti essent; & Paulus cum abiret Hierosolymis ad prædicandum Evangelium inter Gentes, id negotii, ut ejusmodi collectas faceret, in mandatis a reliquis Apostolis, ex conventione quasi, accepisset, qua de re locus ad *Gal.* II. 10. omnino conferri meretur.

*) De causis, cur tales egeni cum maxime in *Palæstina* existerent, & quinam DEI hac in re fuerint sapientissimi fines, Ven. NONNENIUS, supra jam laudatus, in Diss. de *Dissidiis inter vocatos Ex-Judæos & Ex-Paganos tempore Apostolorum*, quæ prodiit Bremæ a. 1755. quasdam passim immiscet observationes elegantissimas, imprimis §. XVI. Forte & per adventum multorum fratrum Hierosolymas, quos suscipiebant, ærarium publicum de tempore in tempus ita gravatum & tandem exhaustum fuit, ut nec ipsi amplius, venditis suis bonis & erogatis, haberent, unde vivere possent.

retur. Et ſane, vocem κοινωνιας æque ut κοινωνειν *Rom.* XII. 13. & *Phil.* IV. 15, 16. in hoc ſenſu in ſacris literis occurrere, & PAULO imprimis quaſi *familiarem* ac *privam* eſſe, alia loca, cum maxime in epiſtolis Paulinis, ſatis evincunt. Ita enim eam adhibitam videas 2 *Cor.* IX. ubi in eo eſt, ut CORINTHIOS hortetur ad Διακονιαν εις τους Αγιους *vſ.* 1. quam dein Διακονιαν της λειτουργιας *vſ.* 12. & verſu tandem 13. diſerte KOINΩNIAN appellat. Ubi, quia de munificentia & elargitione ELEEMOSYNARUM cum maxime PUBLICARUM pro pauperibus agitur, LUTHERUS, ut videtur, rectiſſime in verſione vernacula ſemper vocabulum *Steuer* adhibuit. Ita pariter in Epiſt. ad *Rom.* XV. 26. ubi in Macedonibus & Achæis laudat, quod lubentes KOINΩNIAN aliquam fecerint (nempe *facultatum*,) εις τους πτωχους των Αγιων των εν Ιερουσαλημ, quare & hic recte per *Steuer* iterum vox κοινωνια in verſione noſtra explicatur. Item denique 2 *Cor.* VIII. 2, 3, 4. ubi Paulus denuo Macedonum την χαριν κ) την KOINΩNIAN της διακονιας (LUTHERUS: *die Wohlthat und die Gemeinſchaft der handreichung*,) την εις τους Αγιους laudat, eamque ſic deſcribit, ut obſervare haud difficile ſit, eam in *elargitione ac collatione facultatum*, publice & certa *pecuniæ* portione (*Act.* II. 42.) pro pauperibus facta, conſtitiſſe. Admittitque hæc vocis

vocis interpretatio eo minus aliquod dubium, cum & PATRES GRÆCI, quorum teſtimonia SUICERUS *in Theſauro eccleſiaſt.* ſub vocabulo κοινωνια excitat, & alii Interpretes, in eo fere ad unum omnes conſentiant.

§. 7.

Mirum autem alicui forte adhuc videbitur, unde hoc ſit, quod Paulus, qui voce ΕΛΕΕΜΟΣΥΝΗΣ nunquam in epiſtolis ſuis uſus eſt, has Eleemoſynas ſub vocabulo κοινωνιας deſignaverit; ita, ut hanc vocem, quamvis id non ſit in ſe, in uſu tamen, IDIOTISMUM PAULINUM, niſi ſic male audiret, *) dicere poſſes? Notum eſt, *Viros ſummos*, imprimis clariſſimum VITRINGA *de*

*) At qui audiret? ſi modo id verum ſit: *Idiotismos non ſemper impedire emphaſin, ſed illam potius nonnunquam, accedente affectu, reddere graviorem.* Vid. RAMBACHIUS *Hermeneut. S. Lib. II. c. VIII.* §. 17. *p.* 360. & JO. OLEARIUS *in Diſſ. de Stylo N. T. membr. III.* Ne jam commemorem, id ipſum, quod *Idiotismi* nomine in Sacris literis gravatur, longe aliter a DEO ſalutari. Sunt enim ſubinde hi λογοι διδακτοι πνευματος αγιου· quo ſenſu & Paulus, Divini vir ſpiritus, forte ſe ipſum ΙΔΙΩΤΗΝ τω λογω vocavit, 2 *Cor.* XI. 6 conf. cl. J. H. BENNER *de Paulo Idiota, in otiis ſuis Sacris p. m.* 183.

de Synagoga vetere Lib. III. c. 12. p. 805. cum quo & facit D'OUTREINIUS *in Comment. in Epiſt. ad Hebr.* ad h. l. id inde factum exiſtimare, quia Apoſtolus phraſi ΕΤΟΙΜΙΑΣ & ΚΟΙΝΩΝΙΑΣ, cum maxime vero voce POSTERIORI, ad frequentatam valde a JUDÆIS phraſin גמילות חסדים, quæ quaſi *retributionem benevolentiæ & reciprocum amoris exercitium denotet*, reſpexerit; quemadmodum & BUXTORFIO teſte *in Lexico Chald. & Talmud.* RABBINI ea phraſi pro *Eleemoſynis* utuntur. Verum enim vero hæc ſententia, licet VIRORUM ſit, a quibus, ob ſummam eorum *eruditionem* ac *auctoritatem*, non niſi reverenter ac timide diſſenſum prodo, mihi tamen, ne quid diſſimulem, ſe non vult probare. *) Primo enim Pau-

*) Accidit ſæpe maximis Viris, qui veterum rerum, rituum, imo *dictionum* & *phraſium* notitia imbuti fuerunt, ut quia iis familiares illæ *antiquitatum ideæ*, mens eorum quadam conſuetudine ducta, in ipſa etiam S. Scripturæ lectione & explicatione identidem eo recurſum fecerit; ſicque iis ob oculos aliquid obverſatum, quod ſcriptor ſacer in mente nunquam habuit. Saltem *modus* in ea re, cum maxime ſi alluſio ad rem ſeu & phraſeologiam aliquam non ſacram, ſed *profanam* facta cenſeatur, tenendus videtur: ne aliquid, utut *eruditum* ſit, præter *rei* tamen *veritatem*, ut *heïc* in dictione Paulina illuſtranda, offeratur.

Paulus non heic tantum ad HEBRÆOS, ſed & SEMPER ac UBIVIS hoc vocabulo utitur. At vero, ſi vel commode id in Epiſtola ad *Hebræos*, quibus iſta phraſis haud plane ignota, feciſſet; non tamen ita pari ratione, quando ad credentes ex GENTILIBUS ſcripſit, utpote quibus ea ignota, inſtituiſſet. Ac dein גמילות חסדים & κοινωνια, in *litera*, revera, ſive ſignificatum verborum, ſive rem ſpectes, *parum conveniunt*, imo vero *ideam unaquæque ab altera diverſam* quodammodo excitat. גמילות enim eſt RETRIBUTIO, ſaltem id eſt in litera, ac primario; κοινωνια vero COMMUNIO. *Illa retributio*, quæ pios intercedit, eſt *latior*; κοινωνια vero, quatenus ELEEMOSYNAS hac voce Paulus, ex demonſtratis, intendit, *arctior*. *Illa* inter *æquales* quodammodo, qui reciprocare in beneficiis ac retribuere poſſunt; *hæc* inter *inæquales* etiam, ditiores & pauperes, & ubi præterea, ex monito Chriſti, oportet ἀγαθοποιειν καὶ δανειζειν, παρ' ὧν οὐκ ἐλπιζομεν ἀπολαβειν, *Luc.* VI. 33–35. locum habet. Et ſi vel concedam tandem Magno VITRINGA, vocem גמל in genere *cumulatam boni tributionem* aliquando involvere, pro quo is l. c. p. 799. ſqq. diſputat, adeoque גמילות חסדים ex uſu Judæorum & *eleemoſynas* in ſpecie ſub ſe comprehendere, vix tamen mihi perſuaſum habeo, hanc ad *mere humanam*, nec, ut videtur, *puram ſatis*

Tal-

Talmudiſtarum phraſin alluſionem in exhortatione Apoſtolica, quæ ad Chriſtianos *Ex-Judæos* dirigebatur, magnam πρὸς οἰκοδομὴν χάριν ſive emphaſin habituram, aut Apoſtolo, doctore eccleſiæ, ſaltem in hoc paſſu, ubi vel quaſi in *dogmaticis* verſabatur, adeo dignam fuiſſe. Dicam ergo ego, ſi licet, quod ſentio, & quod mihi ſaltem magis arridet. PAULUS ELEEMOSYNAS ſub vocabulo KOINΩNIAΣ per *Metonymiam* quandam *in ſacris haud inuſitatam* (conf. GLASSIUS *Rhet. S. L. V. Tr. I. c. I. num. 3. p. m. 674.*) proponit, quia non ſolum ἀπὸ τοῦ KOINOT, quæ phraſis eſt LUCIANI (conf. cl. WALCHII *Compend. Antiquitatum eccleſiaſt.* p. 63.) proveniebant; ſed adhuc potius *ſenſu profundiori*, & magis ad mentem Apoſtoli compoſito, quia KOINΩNIAΣ, quae inter credentes intercedit, & cujus docendæ ac promovendæ omnia ſcripta N. T. ſunt plena, nemo tamen in ea urgenda occupatior, quam Paulus eſt, EFFECTUS ſunt REALISSIMUS. Vide locum ſupra jam citatum 2 *Cor.* IX. 13. & confer, quæ ad præclariſſimum illud de COMMUNIONE SANCTORUM dogma, quod & *Symbolum* ſic dictum *Apoſtolicum* ingreſſum eſt, Doctores, & imprimis WITSIUS *in Exercitt. ad illud Symbolum, Exercit. XXIV. p.* 467. *ſqq.* commentati ſunt. Iſta profecto SANCTORUM COMMUNIO, & inde profluen-

fluentia CHARITATIS OFFICIA, cum maxime per ELEEMOSYNAS demonſtranda, ex doctrina Apoſtolica, nedum in ſpecie Paulina, uti aliis, ita nec HEBRÆIS, poterat eſſe ignota; utpote ab iis jam anterioribus temporibus exercita. vide omnino c. X. 32-34. coll. c. VI. 10. Adhibuit ergo Paulus illam vocem, quam nunc dicam *metonymicam*, & adhibuit ſapienter & cum ἐμφασει, quia *egregium ampliſſimumque* *) non tantum *ſenſum* fundit; ſed & officium BENEFICENTIÆ per Eleemoſynas quaſi NOBILE **) reddit: hincque id ſimul ſibi peculiare habet, ut & *blande* animos credentium afficiat, & *ſi-*

*) Ea enim *Metonymiæ* eſt virtus, quod in tali commutatione *majus aliquid dicatur aut minus*, quo oratio eo *ſignificantior* evadat. Et ſi quis ita hunc loquendi modum extendere velit ad *ſtudium Pauli*, vel ſic magis magisque promovendi *unionem*, & quaſi *coalitionem credentium Ex-Judæorum & Ex-Gentilium*, quod ſemper in epiſtolis ſuis prodit, non video, quid huic ſententiæ obſtet. conf. celeberr. NONNENIUS in *Diſſert. ſupra jam excitata* §. *XVIII.*

**) Placent verba GENEBR. VAN LEEUWEN, haud contemnendi Interpretis epiſtolæ ad Romanos, ad vocem κοινωνειν *Rom.* XII. 13. *Dit is een* EERLYK *Woord*, om ſe indagtig te maken, wat *gemeenſchap alle de Heiligen in Chriſtus met malkanderen* hebben, gelyk dit naderhand *een deel van hare belydenis* geworden is.

ſtimulos ſecum ferat ad officium, quales vix unquam ab alia denominatione exſpectes, majoresque, quam vox ipſa ΕΛΕΗΜΟΣΥΝΗ. Per hanc enim fidelium ac SANCTORUM COMMUNIONEM, ſi ex *eo fonte* deriventur beneficia noſtra, fit, ut ea *in CHRISTUM IPSUM*, cum quo ceu capite myſtico credentes *unum Totum* conſtituunt, quique, communionis *ſanctorum* radix & fundamentum eſt, *ſe refundant*, conf. omnino *Matth.* XXV. 35, 36, 40. Qui reſpectus, ut FIDEI eſt, & cum idea communionis Sanctorum, quam ſcriptura docet, quam arctiſſime cohæret; ita fidelibus certe debet eſſe, ſi quicquam, *Sanctiſſimus*. Neque quemquam facile fugit, Paulum noſtrum eo mentes, ubi *cauſam pauperum* agit, revera dirigere ſolere, eoque ceu *argumento ſuaſorio* uti, ut *prægnantiſſimo*, ita doctrinæ chriſtianæ *convenientiſſimo*, vid. 2 *Cor.* VIII. 9. coll. cum *Matth.* l. c. & alibi.

§. 8.

In hac expoſitione ΚΟΙΝΩΝΙΑΣ, quæ ſe haud equidem erudita quadam aſſentatione, ΑΠΛΟΤΗΤΙ tamen, ut videtur, commendat, pius animus acquieſcere poteſt. Si quid reſtaret, id forte poſſet eſſe, ut disquiramus, an non Paulus id illuſtre KOINΩΝΙΑΣ EXEMPLUM fidelium ſimul in animo habuerit,

ex

ex quibus prima fundamenta *ecclesiæ Christianæ Hierosolymis* jacta fuerunt, atque exinde in specie rationem denominationis hujus, quod ad *Eleemosynas credentium*, desumserit. Non solum enim de iis legimus, eos fuisse προσκαρτερουντες τη διδαχη των Αποστολων, κ τη ΚΟΙΝΩΝΙΑΙ *Act.* II. 42., verum & eosdem, quasi per consequens aliquod suæ communionis, ὁσοι κτητορες χωριων ἡ οἰκιων ὑπηρχον, *ea bona* (fere ut olim servator juveni Pharisæo ἐχοντι κτηματα πολλα in rei præludium quasi, & vatidico animo, tale quid injunxerat, *Matth.* XIX. 21. 22.) *vendidisse*, & *pretium*, τας τιμας των προσκομενων *posuisse ad pedes Apostolorum*, atque sic *datum fuisse cuivis*, καθοτι ἀν τις χρειαν εἰχεν· Fateor, me non valde refractari. Quamvis enim in illa fidelium communione, & agendi erga pauperes modo, aliquid plane *extraordinarium* fuerit, quod ad eos primos Christianos, JESU ac APOSTOLORUM discipulos, HIEROSOLYMIS ac in PALÆSTINA, se solum restringit, qui, SPIRITUS SANCTI ductu, hac ratione mentem eo magis nunc, post impetratam a Christo salutem, ab HIEROSOLYMA & TERRA CANAANE, non amplius sacris, mox deserendis, & per Romanos devastandis, abalienare voluerunt, & de reliquo omnia, ut ex oratione Petri ad Ananiam *Act.* V. 4. liquet, facta sint LIBERRIME; quare nec simpliciter exinde ad

alias Chriſtianas eccleſias applicatio inſtituenda, nec illa res ullibi ab Apoſtolis Chriſtianis extra Canaanem in exemplum ſive regulam propoſita: *exemplum* tamen profecto, tam ratione ANTIQUITATIS, ſive PRIMÆ AC DIVINÆ ECCLESIÆ CHRISTIANÆ ORIGINIS, quam in RE IPSA, tam ILLUSTRE exſtitit, ut & PERPETUO MEMORIALI per hoc in ſcripturis KOINΩNIAΣ vocabulum, dignum, & ita comparatum fuerit, ut ii, quibus ea res per communicata cum iis Acta Apoſtolorum, quæ LUCAS deſcripſit, haud ignota, ARGUMENTO *a majori ad minus* deſumto, ſingulari ratione, quando id ipſum in memoriam revocaretur, ad *ordinarium* ſaltem *charitatis exercitium* & *bonorum per ELEEMOSYNAS collationem*, EXSTIMULARI potuerint. Atque proin ſaltem aliquid contradictorium in eo non reperitur, ſi dicamus, quod Paulus, inter Chriſtianos *Eleemoſynas* urgens, earum *denominationem* inde deſumſerit, vel eo tacite *reſpexerit*. Verum in eo judicium meum judicio Lectoris libenter ſubmitto. *)

§. 9.

*) Si hypotheſis obtineret, *Hebræos*, ad quos Paulus ſcripſit, non fuiſſe eosdem *extra Palæſtinam*, ad quos Petrus ſuas epiſtolas direxit 1 *Petr.* I. 1. 2 *Petr.* III. 15. ſed *Hebræos Ex-Judæos in Palæſtina*, & imprimis *Hieroſolymis*, quam hypotheſin & Ven. NONNENIUM *in Diſſ. citata*

§. 9.

Potius ab objecto hortationis Paulinæ ad HORTATIONEM IPSAM me converto, quam divus Vir phrasi ΜΗ ΕΠΙΛΑΝΘΑΝΕΣΘΕ expressit. Phrasis, qua & supra *vs.* 2. jam usus, talis est, qua *minus dicitur*, & *plus intelligitur*. conf. *vs.* 3. & *Cap.* X. 32. Sed, missis aliis, paucis tantummodo & *sapientissimam* & simul *emphaticam* hortandi rationem circa hanc phrasin iterum ob oculos ponere liceat. Ευποιια & κοινωνια officia erant, ad quæ Christiani per ipsam *legem divinam* *) obstricti tenebantur. Et si hoc materiale officiorum respicias, Paulus confidenter potuisset non HORTARI tantum, sed

citata §. *XXIII-XXVII.* adoptasse video, ea allusio, fateor, adhuc magis urgeri posset. Verum, quia de eo non convictus sum; imo vero ei hypothesi ipsum hunc locum nostrum de eleemosynis pauperibus SANCTIS, coll. *c.* VI. 10. erogandis, refragari existimem, (Hierosolymitani enim non habebant, sed potius ex consensu aliarum epistolarum *accipere* debebant,) in dictis subsistere oportet.

*) *Deut.* XV. 7, 11. *Jes* LVIII. 7. Et quidni etiam in *Decalogo præcept. VIII.* modo ex justis principiis, quicquid recentiores quidam in contrarium moneant, fluat explicatio.

& JUBERE ſtrenue. At vide, quam *ſapienter* & quam *ſalubri ratione* PAULUS rem expediat. Officia erant ; ſed & OPERA CHARITATIS debebant eſſe, quæ omnem, ut rite præſtentur, COACTIONEM reſpuunt. Et in eo το *formale* ευποιιας κ̓ κοινωνιας demonſtrandæ conſiſtebat. Quid ergo facit Apoſtolus ? Removet omnem, ut rigorem removeat, ſpeciem Doctoris legalis, (qualis nec erat) & eam potius aſſumit, quæ *Amici*, quæ *Fratris* & ad ſummum PATRIS eſt. Non jubet, ſed hortatur ; quin imo non tam hortatur, quam monet tantum SUADETQUE, & rem non tam exigere, quam COMMENDARE videtur, ac ſi ipſum Hebræorum *propenſum animum* ad officium jam ſupponeret : quod & ob documenta rerum, quæ ut ſupra ex *c.* VI. 10. X. 33. ſqq. obſervavi, jam dederant, & quatenus την αρχην της υποστασεως ad finem usque firmam retinerent, *c.* III. 14. facere poterat. Is etenim adhortandi modus demum aptus erat, ut omnem COACTIONEM in faciendo officio quaſi PRÆVERTERET ac IMPEDIRET, ut pro natura rei revera ab operibus CHARITATIS abeſſe debebat. Animadvertamus aliud exemplum iſtiusmodi ſapientiæ Paulinæ, quia rem illuſtrat, & haud minus notabile eſt. Reperimus id 2 *Cor.* VIII. ubi Paulus hortari vult *Corinthios* ad quandam

dam ELEEMOSYNARUM *elargitionem* ac *collationem.* Quid facit, & quomodo inſtituit? Primo *exemplum eccleſiarum in Macedonia* proponit, ac ſi per merum *exemplum* tam laudabile eos in æmulationem trahere vellet *vſ.* 1. Et ubi jam tandem ad *exhortationem* deveniendum erat, en, quomodo, ut *coactionem prævertat*, & LIBERAM MENTEM ac VOLUNTATEM nihilominus efficaciter PROLICIAT, inſtituat, ac veluti *laboret. Laudat* Corinthios; & ſub laude ad officium, inopinato quaſi, *exſtimulat:* Atque tum adhuc, quaſi forte jam nimis feciſſet, *vſ.* 8. ſqq. hæc ſubjicit: *non κατ' ἐπιταγὴν dico; ſed ut aliorum ſtudio veſtræ quoque DILECTIONIS ſinceritatem reddam exploratam. NOSTIS enim Gratiam Domini noſtri JESU CHRISTI, ut is propter vos PAUPER factus eſt, cum eſſet dives, ut vos illius paupertate diteſceretis. Et γνώμην ἐν τούτῳ δίδωμι· τοῦτο γὰρ ὑμῖν* ΣΥΜΦΕΡΕΙ *κ. τ. λ.* uti cum ſuada prorſus Divina fere per totum caput pergit. Interim quoque, ne quid reticeam, hæc hortatio adhuc alia ratione poteſt illuſtrari, ita tamen, ut eo ipſo vim adhuc eo majorem acquirat; nimirum pro certa quadam phraſeως *μὴ ἐπιλανθάνεσθε fœcunda indole*, vel quatenus *ſenſus ſeu ſignificatus duplicis*, quem, pro re nata, admittit, cujusque alter alteri plane non contrariatur,

Συλληψις *) concipiatur. Nempe: Μη επιλανθανεσθε, primo Paulus Hebræis dixit in ſenſu COMMENDANDI, ac ita, ut Hebræorum *propenſum animum* ad officium jam ſuppone-ret. Hoc habuimus. At annon το μη επιλανθανεσθε & adhibere potuit in ſenſu paulum *rigidiori* ADMONENDI, & quodammodo EXPROBRANDI? Imo; nec hoc excluſum vellem. Hebræi procul dubio non omnes æque promti erant ad officium. Dabantur quoque inter eos *tardiores*, *oblivioſi*, ſi non plane *immorigeri*. Igitur & *hos* in ſua hortatione *ſimul* tangit Apoſtolus. Imo *in genere* tantum ſi rem conſideremus; quid, proh dolor! magis certum eſt, quam mentem hominum a natura, ſi alibi, certe hic, in faciendo officio, quod beneficentiam & elargitionem facultatum in bonum aliorum concernit, *pigram*, *negligentem*, *minus attentam*, quin tandem *oblivioſam* eſſe? At *oblivioſum* eſſe, an hoc decet? Annon *imbecillitatis* nota, atque *infantum* ut plurimum, non *virorum* eſt? An *tales* eſſent Hebræi; & ſi eſſent, an in tali ſtatu *manerent?* Vide, quam ſignificantiſſima & quam efficax ad ſuadendum ſub unico tantum vocabulo ſit hæc Pauli oratio! §. 10.

*) Ne hæc ſiniſtre accipiantur, juvabit forte conferre cl. RAMBACHIUM *in Inſtitut. Hermeneut. S. L. II. c. VII.* §. 15. *p. m.* 289. & AUTORES, quos idem l. c. laudat.

§. 10.

Præter ea tamen, quæ in ipſa hortatione jam latent incentiva, placuit Apoſtolo adhuc ſeorſim MOTIVUM aliquod ſubjicere. Age ergo, & hoc paucis luſtremus. ΤΟΙΑΥΤΑΙΣ γὰρ ΘΥΣΙΑΙΣ, inquit, ΕΥΑΡΕΣΤΕΙΤΑΙ ὁ ΘΕΟΣ· *Varia*, ni fallor, in dictione hac argumenta moventia ad explicandam liberalitatem in beneficentia & ad κοινωνιαν commonſtrandam continentur *fortiſſima*, & *ſapientia Spiritus*, quo actus Paulus hæc ſcripſit, longe digniſſima.

PRIMO charitatis opera quæcunque, Ευποιιαν & κοινωνιαν, comparat Apoſtolus ΘΥΣΙΑΙΣ *), quæ DEO ex animalibus puris debebant offerri, quæ in genere vel *expiatoriæ*; vel *euchariſticæ* erant. *Poſterioris* generis, שלמים dictæ, occaſione BENEFICIORUM DIVINORUM grata mente ab Iſraëlitis fiebant; & ad *has* pro natura rei procul dubio heic reſpicitur. Præterquam enim, quod in iis publica *beneficiorum* fieret *confeſſio*, id ſimul moris erat, ut offerentes ex iis CONVIVANDO eſſent hilares, & invitarent ad ea convivia, præter propriam familiam, ſimul alios, ſive propinquos, ſive

*) Ita & facit *Phil.* IV. 18. & forte vox eodem ſenſu *Act.* XXIV. 17. uſurpatur.

amicos in genere, & forte (saltem id quandoque factum, haud incredibile est,) PAUPERES, Levitas aliosque, ut sic in his sacrificiis, quæ ob præstantiam & dignitatem in ipsa S. S. κατ' ἐξοχην זבחי צדק, זבחים &c. vocantur, publicum PIÆ SUÆ COMMUNIONIS secum invicem exstaret symbolum, publicaque professio. conf. cl. Herm. BRÜNINGS Dissert. *de Sacrificiis Eucharisticis* Bremæ sub præsidio B. LAMPII 1729. habita cap. I. §. 3. & 41. *Carnalia* illa *sacrificia*, ut quondam *pretiosa* ut plurimum, & cum multis *incommodis* conjuncta: ita ceu *pars cultus Levitici* suo tempore, quod prophetæ prædixerant, *abroganda*, & nunc, consummata per CHRISTUM salute, revera *abrogata* erant. At *supererant* Θυσιαι πνευματικαι, 1 *Petr.* II. 5. semper & ubivis offerendæ, Θυσιαι αἰνεσεως sive καρπὸν χειλεων, *vs.* 15. coll. *Hos.* XIV. 3. & Θυσιαι operum CHARITATIS, sub denominatione των זבחי צדק *Ps.* IV. 6. coll. CXII. 8. *Prov.* XXI. 2. *) pa-

*) Opera charitatis, & in specie ELEEMOSYNAS sub vocabulo צדקה includi, nec eam denominationem *Rabbinorum* tantum serioribus temporibus; sed ipsius SPIRITUS SANCTI esse, contra PRIDEAUXIUM ostendit VITRINGA l. c. *de Synagoga Vet. Lib. III. P. I. c. XII. p.* 783. *seqq.* Et quamvis negandum non sit, *Judæos* sequioribus temporibus conceptus falsos per hanc vocem assumsisse, vid. DEYLINGIUS *Obs.*

pariter comprehenſæ, ut longe *præſtantiores* in ſe, ita & longe *faciliores*. Annon ergo & propter hoc *præſtantius* & μειζον in iis, & propter *gratias*, quas DEO, & Chriſto, liberatori ſuo, debebant, Ipſi per Chriſtum ſpirituale ἱΕΡΑΤΕΥΜΑ ac ſpirituales ἱΕΡΕΙΣ conſtituti 1 *Petr.* II. 9. *Apoc.* I. 6. talia ſpiritualia ſacrificia FACERENT LIBERRIME?

DEIN, quia ſacrificia illa charitatis opera erant, adeoque res, quæ *ad DEUM relationem* habebat, ſive quæ *ipſi DEO*, & quidem ad modum illorum שלמים ſub V. T. *cum grata mente ac profeſſione beneficiorum Ejus*,

Obſ. 5. *Lib. III. obſ. XIX.* qui in opiniones *de operum merito* exeunt: id tamen certum eſt, opera charitatis ipſa ſpeciem quandam eſſe JUSTITIÆ, vel potius IN JUSTITIA, quam *Jus Naturæ* vult, radices agere. conf. Auctores ſupra citati PUFFENDORF. *de J. N. & G. Lib. II. c. VI.* §. 5. GROTIUS *de Jure B. & P. Lib. II. c. II.* §. 6. Adde Illuſtr. HEINECCII *Elementa J. N. & G. Lib. I.* §. *CCXXI. & alii.* De reliquo, ſi quis illa charitatis opera ad præcepta *legis moralis* in *S. S. revelatæ*, ſive *Decalogi*, æſtimaret ac exigeret: tum adhuc eo magis ſub nomine צדקה poſſent venire. Nam id ſibi illa lex ex rationibus heic nunc non allegandis, peculiare habet, ut ſub conceptu *amoris* ſeu *charitatis* omnia præcepta quodammodo ſint poſita, vid. *Matth.* XXII. 36. *ſeqq.* 1 *Tim.* I. 5. *Rom.* XIII. 7 - 10. cet.

Ejus, *offerebatur*, hinc magnam ea, imo maximam DIGNITATEM acquirebant. Poterant enim nunc ſpectari ut pars CULTUS, qui ΑΙΝΕΣΙΝ ac gloriam DEI pro objecto habet, 2 *Cor.* IX. 11. *ſqq.* quique, ut ex *fide* & *amore DEI* debet fieri, ita & *amorem* PROXIMI infert, illum quaſi ex ſe gignit, & cum eo, ſi ſincerus ſit, debet eſſe conjunctiſſimus: uti & heic in nexu cum *vſ.* 15. res ab Apoſtolo proponitur. Quid ergo non facerent Hebræi, & facerent SPONTE, ſi qualiacunque ſua beneficia in egentes fratres, imprimis per eleemoſynas elargienda, ex *ſacratiſſima* illa *ad ipſum DEUM relatione*, *dignitateque* æſtimarent? Ecquid non facerent, ſi *DEUM amarent*, *beneficia Ejus* tot & tanta tum naturæ, tum imprimis gratiæ in CHRISTO, ipſis prius exhibita, diligenti animo ſecum recolerent, *laudisque Ejus* ac *gloriæ* eſſent cupidi? Annon diſcerent hanc JUSTITIAM, per Paulum moniti? Quid non *rependerent DEO? Pſ.* CXVI. 12. & quia DEO nil poſſent, ad mandatum Ejus *proximo*?

TERTIO denique, talia erant illa ſacrificia, quibus DEUS ΕΤΑΡΕΣΤΕΙΤΑΙ. Nimirum κατ' ἐξοχην: ita, ut certo reſpectu ea jam ſub V. T. omnibus *ſacrificiis* in cultu Levitico non *comparaverit* tantum; verum & *antepoſuerit*. חסד חפצתי ולא זבח *Hoſ.* VI. 6. conf. *Pſ.* L. 13, 14. CRITICA quædam circa vocem

tem εὐαρεστεῖται nunc non moror. Verto: *in ejusmodi ſacrificiis* DEUS DELECTATUR; vel *in talibus ſacrificiis* DEO EST BENEPLACITUM: & deinde ſubſcribo iis, quæ clariſſimi Viri *Imman.* WEBER in *Diſſert. ad h. l.* quæ *Tomo II. Theſauri Theol. Phil. Diſſert. in loca V. & N. T. Amſt.* 1702. *pag.* 778. inſerta eſt, & JO. HENR. MAJUS, Fil. *Obſervatt. S. Libr. IV. p.* 154. doctiſſime pro defendenda *ſignificatione activa* verbi εὐαρεστεῖται *in forma paſſiva* hic adhibita, in medium protulere, quæ abunde ſufficere poſſunt. Si vero cum GROTIO quis vertat: ejusmodi ſacrificiis *DEO placetur*, ſenſus cum priori quodammodo coincidit, ſaltem ei non eſt contrarius, adeoque hic cum illo conjungi poteſt. Utrobivis modo ſubintelligatur ἘΝ ΧΡΙΣΤΩΙ, quod ſecundum analogiam fidei & per ſe patet, & ab Apoſtolo verſu præcedenti 15. jam expreſſe erat monitum. *) En ergo hic

*) *Verſio vulgata* τὴν δωρεὰν exponit: *promeretur*; quam verſionem quoque GROTIUS defendere ſatagit. Mihi tamen hæc longius abire videntur. Conferatur, qui hanc verſionem ex profeſſo refellit, IMMAN. WEBER *l. c.* §. 6. *ſqq.* Id tantum addo: *omne meritum*, ſi beneficentia & eleemoſynæ noſtræ ex conceptu שלמים conſiderentur, uti fas eſt, per ſe *cadere*. Gratia gratiam equidem *parit*, ſed non *meretur*. Quod ſi vero *Pontificiorum* quidam

hic *novum* & *elegantiſſimum* argumentum, vel potius *plura* ſub uno vocabulo aut phraſi, quibus *blandiſſime* ſimul & *efficaciſſime* ad ſacrificia illa facienda, inſtigarentur. DEUS habebat BENEPLACITUM in *ſacrificiis carnalibus V. T.* ſi rite, id eſt, fiduciali quodam reſpectu ad Soſpitatorem promiſſum, ac exacte ad MANDATUM Ejus peragerentur. *Juſſerat* enim ea: & quod ita ad Ejus VOLUNTATEM fit, in eo Ipſi eſt BENEPLACITUM, & eo quaſi DELECTATUR; quæ verbi חפץ l. c. *Hoſ.* VI. 6. eſt emphaſis. At quidni *majus* adhuc haberet *beneplacitum*, *magisque delectaretur* in SACRIFICIIS SPIRITUALIBUS, operibus εὐποιΐας & κοινωνίας, quæ non minorem, ſed potius majorem in modum jam ſub V. T. ut ex loco HOSEÆ aliisque manifeſtiſſimum eſt, JUSSA, & nunc, illis carnalibus abrogatis, in locum

dam ad locum *Dan.* IV. 24. חטיך בצדקה פרק, quæ verba *vulgatus interpres* reddit: *peccatum eleemoſynis redime*, provocent, atque ex collatione hujus loci cum noſtro eleemoſynas *meritorias* & *ſatisfactorias* extorquere ac ſtabilire velint, tunc ea conferri merentur, quæ in hunc locum Danielis cl. DEYLINGIUS commentatus eſt *Obſſ. S. Lib III. Obſ. XIX. p. m.* 171. *ſqq.* Addo tantum, quod nusquam in S. literis dicatur *peccatum* redimi; ſed *peccator*. Quare פרק non per *redime*; ſed per *abrumpe* vertendum eſt.

cum eorundum venerant, ſolaque ſupererant obſervanda. Imo, ſi in his bene ſe gererent credentes; utique & IPSI PLACEBANT DEO, atque ad eos beneplacitum convertebatur. At vero, quam *egregium* hoc iterum INCENTIVUM? Ad quid magis ſumus obligati, quam ad facienda MANDATA DEI & voluntatem Ejus, το θελημα ΕΥΑΡΕΣΤΟΝ; *Rom.* XII. 2. Quid majus eſt, quam PLACERE poſſe DEO, quod amicorum Ejus ſummus ſcopus, & quaſi apex eſt, 2 *Cor.* V. 9. 1 *Theſſ.* IV. 1. Ecquid non facit amicus, ut amico; quid filius, ut parenti placeat? Et quid non facerent credentes, ut *amicitiam DEI*, ut *favorem Ejus paternum*, ſibi conciliarent; ex quo, ut jam habebant omnia, quæcunque habebant, ita & plura, vi promiſſionum Ejus, exſpectare poterant, tum ſpiritualia, tum corporalia? Quam *parva* illa expenſa, quam facimus egenti fratri, quamque in ΕΥΑΡΕΣΤΙΑΙ ac gratia ſua DEUS, omnium donorum bonorum fons & largitor, (cum EO enim in eleemoſynis nobis res eſt,) RETRIBUERE, tum in hac, tum in futura vita, & *in immenſum valet*, & quod idem *velit*, certo ſuo verbo ſe piis & credentibus quaſi obſtrinxit? Non tantum *colit* DEUM, velut per ſacrificium, *Prov.* XIV. 31. *Pſ.* L. 23., ſed, quod magis eſt, MUTUAT *Jehovæ*, *qui largitur pauperi: Et* IS *beneficium Ejus* REPENDET *ipſi*,

Prov.

Prov. XIX. 17. *Dispergit, dat egentibus:* JUSTITIA *Ejus perstat in æternum; cornu ejus elevatur honore, Ps.* CXII. 9. 2 *Cor.* IX. 9. Quod pauperi fratri factum, id CHRISTUS aliquando reputabit *ut SIBI factum*; dignatur enim pios, ac credentes in se, suos insignite vocare FRATRES, fidemque in se inde æstimabit, *Matth.* XXV. 34-40. Quis non in omnibus hisce sive *verbis* sive *phrasibus*, quibus usus est APOSTOLUS, & *ubertatem sensus*, & summam præterea in hortatione ac hortationis modo, ejusque ad scopum directione, *sapientiam*, verbo ΘEION quoddam in dictis, ultro perspicit, videt ac admiratur? Vereor, ut *doctrina moralis*, quam ex principiis RATIONIS haurimus, quamque ceteroquin legitimo usu suo defraudare nolo, fœcundiora atque efficaciora sit suppeditura.

TANTUM.

III.

III.

VIRO SUMME REVERENDO
DOCTISSIMOQUE

NIC. BARKEY,

FAUTORI SUO ÆTATEM
COLENDO,

S. P. D.

JO. HENR. PRATJE.

Bibliothecæ Tuæ partem noviſſimam, obſervationibus utiliſſimis, doctiſſimisque refertam, eo, qui benevolentiæ & humanitati Tuæ debetur, animi affectu excepi, gratiasque Tibi pro dono hoc, mihi gratiſſimo, quas poſſum habeo, agoque maximas: ſed referam etiam aliquo modo, dummodo referre me putes, cum conjecturam quandam in *Col.* II. 14. Tecum communico, non equidem, ut Te doceam, ſed ut ex Te diſcam: multum enim eruditioni

Tuæ, eique limatiſſimæ ſolidiſſimæque, tribuo.

Animus mihi quidem nunc non eſt, totum hoc comma, in quo illuſtrando explicandoque Viri eruditi complures multa cum laude occupati fuerunt, examinare & exponere. Unum tantum monebo, quod a nemine, quantum quidem memini, hactenus obſervatum eſſe ſcio. Nimirum το καθ' ημων χειρογραφον ab omnibus interpretibus redditur: *Quod contra nos erat chirographum.* Ita LUTHERUS, & cum eo HEUMANNUS: *die handſchrift, die wider uns war*; VHLENBERGIUS: *die widerwärtige handſchrift*; PISCATOR: *die wider uns ſeynde handſchrift*; VERSIO BELGICA: *het handſchrift, dat tegen ons was*; GALLICA MARTINI: *l'Obligation, qui etoit contre nous*; ANGLICA: *the hand-writing, that was againſt us.* Pari ratione paraphraſin, DODDRIDGE, MICHAELIS, & exegetæ WOLFIUS, RAMBACHIUS, aliique excellentiſſimi dederunt. At enim vero, ſic καθ' ημων idem eſſet, quod ο ην εναντιον ημων. Num quid vero credendum eſt, PAULUM idem in eodem verſu binis dicere voluiſſe locutionibus?

Liceat mihi, libere, quid ſentiam, exponere. Το καθ' ημων χειρογραφον nihil aliud ſignificare mihi videtur, quam *noſtrum chirographum.*

Græci enim ex pronominibus perſonalibus per præpoſitiones προ, ως, & κατα ſæpius

ſæpius faciunt poſſeſſiva. Ita apud AXIOCHUM p. 6. ex edit. JOH. FRID. FISCHERI Lipſ. 1758. 8. hæc leguntur verba: νυν ο καιρος ενδειξασθαι την ατι θρυλλεμενην σου σοφιαν, quæ, licet a nonnullis ita reddantur: *Tempus nunc eſt, ut ſemper a te celebratam illam ſapientiam oſtendas*, recte tamen, vel ipſo FISCHERO in indice, ſub voce θρυλλειν, teſte, eoque fide digno, ita quoque redduntur: *Tempus nunc eſt, ut ore omnium ſemper celebratam tuam ſapientiam oſtendas.* Neque in novi fœderis libris exempla deſunt, quibus hæc loquendi ratio comprobari poſſit. Nolo autem ad τα περι ημων *Eph.* VI. 22. & τα καθ' εμε *Eph.* VI. 21. *Col.* IV. 7. quorum illud *res veſtras*, hoc autem *res meas* denotat, ſubintellecta voce οντα, provocare. Quae enim *Eph.* I. 15. leguntur, ita comparata ſunt, ut rem omnem uno ictu confici illis poſſe arbitrer. Quid enim, quæſo, η καθ' υμας πιστις aliud eſt, quam *fides veſtra*, *fides, quæ in vobis eſt*?

At enim, inquis, multum diſcriminis inter το καθ' ημας & το καθ' υμων intercedit: neque facile exemplum ex ſcriptoribus ſacris aut profanis in medium proferes, quo eam, quam adhibitam cenſes, loquendi rationem vindicare poſſis.

Quod ad exemplum attinet, parum abeſt, quin ejusmodi apud ANACREONTEM

animadvertisse mihi videar. Is enim Od. III. vs. 9. ita cecinit:

Κατα μευ χισεις ονειρυς.

Quamvis enim hic versus per tmesin positus ita restitui possit: καλαχισεις ονειρυς μευ; tamen, quid magnopere impediat, quominus statuamus, ANACREONTEM simplex verbum χιζω hoc loco adhibuisse, per καλα μευ autem pronomen possessivum *meus* exprimere voluisse, & idem esse, ac si scriptum legeremus τυς κατα μυ ονειρυς σχισεις, ego quidem non video. Sed habeat tamen sibi hæc verba tmesis, Poëtis non infrequens.

Concedam etiam, præpositionem κατα, quando genitivum sibi adsciscit, adversandi potestate ut plurimum pollere, atque idem Græcis valere, quod Romanis *contra*, *adversus*. At dandum mihi tamen contra arbitror, eam, in hoc etiam regimine, alias quoque significationes induere. Nonnunquam saltim idem est, quod Latinorum *per* vel *de*. Nonne καθ' ολης, της Ιυδαιας *Act.* IX. 31. recte reddimus: *per totam Judæam?* Nonne ανθρωποι κατω τυ μειζονος ομνυσι *Hebr.* XI. 16. *homines per majorem jurant?* Nonne εμαρτυρησαμεν κατα τυ Θευ 1 *Cor.* XV. 15. *testati sumus de Deo?* Ita & PLUTARCHUS de puerorum institutione cap. IV.

IV. §. 1. κατα της αρετης φατεον εσι, i. e. *de veritate dicendum eſt.*

His poſitis, το καθ' ημων χειρογραφον reddi omnino poſſe arbitror: *Chirographum*, quod *per nos* eſt datum; vel: *Chirographum*, quod *de nobis* eſt, aut agit: ſubintelligitur enim participium ον. Quamcunque autem ſignificationem elegeris, idem ſemper eſt, quod *chirographum noſtrum*: qua quidem ratione ne leviſſima tautologiæ, vel alius vitii ſuſpicio in D. PAULUM, ſcriptorem Θεοπνευσον, recidet.

Habes, FAUTOR ÆSTUMATISSIME! conjecturam meam, circa cujus valorem tamen atque pretium anceps ipſe hæreo. Omnis illius ſors a Tuo unice pendet judicio: ex illo enim aut ſtare eam jubebo, aut cadere ſinam.

Deus labores Tuos ſacros, quos complures hoc tempore Tibi imminere ſcio, gratia ſua adjuvet benigniſſime. Vale. Scrib. Stadæ d. 3. April. 1765.

VIRO REVERENDISSIMO
ET ERUDITISSIMO

J. H. PRATJE,

FAUTORI SUO SUMMO,

S. ET O.

NIC. BARKEY.

Jucundiſſimæ mihi fuerunt, Vir ſumme, litteræ Tuæ die 3. Aprilis a Te exaratæ. Luculentius nec amplius documentum inſignis Tuæ erga me favoris, quem merito exoſculor & promereri ſtudebo, deſiderare licet. A Viris enim ſummis laudari eorumque favore frui felicitas eſt, quæ ad recte agendum & ſtrenue litteris incumbendum ſtimulos addit. Verum nimium profecto mihi tribuis. Meo me metior pede, nec arrogantiæ labe adeo me correptum ſentio, ut mediocritatis & tenuitatis meæ obliviscar.

car. Interea licet mihi adnotationes aliquot circa Conjecturam Tuam ad locum *Col.* II. 14. TUO tradere conſpectui.

Sub anni elapſi feſto Paſchali coram concione commata hujus capitis 11-15. explicui, & quidem phraſin το καθ' ημων χειρογραφον realiter ad vitandum Tautologiæ vitium eodem fere ſenſu, quem TU, Vir ſumme, eidem tribuiſti. Permittas ut oſtendam, quænam quoad το καθ' ημων Interpretationis noſtræ ſit *differentia*.

Ex TUA ſententia phraſis vertenda eſt Chirographum *noſtrum*, aut *de nobis*. Negare abſolute nequeo ex pronominibus perſonalibus apud Græcos per præpoſitiones προς, περι & κατα ſæpius fieri poſſeſſiva. Difficilis utique operæ eſſet, nec vacat quamplurima loca ſcriptorum Græcorum, ubi hæ propoſitiones cum pronominibus perſonalibus occurrunt, ſub examen vocare. Earum uſus admodum variat. Nollem tamen affirmare pronomina ſemper per præpoſitiones has fieri *poſſeſſiva*, aut promiſcuam harum eſſe notionem aut uſum; nam loca dum examinamus, patebit ſcriptores Claſſicos præſertim ſacros conſulto hac illave præpoſitione uſos fuiſſe. Senſus forte, ſi vel diverſimode eorum dicta vertamus, non multum diſcrepabit, verum præpoſitio uſurpata *ſpeciale aliquid* innuere videtur. Rectius quidem, ut exemplo utar a TE adducto, verba

AXIOCHI: νυν ο καιρ☞ ενδειξαϖ̃ την αει θρυλλ-
λ&μενην ϖ̃ϖ̃ σ& σοφιων interprete Doctiſſimo FISCHERO redduntur: *Tempus nunc eſt, ut ore omnium ſemper celebratam tuam ſapientiam oſtendas*; ſed mallem, *tempus nunc eſt, ut ſapientiam oſtendas, quæ ore omnium ſemper de te celebrata eſt.* Senſus non differt, ſed poſterior verſio Græcis ideo magis reſpondet, quia verba ϖ̃ϖ̃ σ& propius connexa ſunt & cohærent præcedenti θρυλλ&μενην, quam ſequenti σοφιων, cum quo tamen in *Fiſcheri* verſione conjunguntur, licet ſenſum fundant intentum. Nec Latium verſionem meam plane reſpuit. Hinc ex hoc loco, quoad το ϖ̃ϖ̃, mihi non patet, illam præpoſitionem tale quid poſitivum indicare, quale eſt *meum* aut *tuum* aut *noſtrum.*

Sed præcipue me converto ad præpoſitionem κατα. Generalem quidem hanc eidem vim ineſſe deprehendere mihi viſus ſui, ut *relationem aliquam* innuat, verum vehementer dubito, an in pronominibus adjunctis quid poſſeſſivi indicet. *Caput noſtrum* Græcis audit η κεφαλη ημων, non η καθ' ημων κεφαλη: *panis noſter* ο αρτ☞ ημων, non autem ὁ καθ' ημων αρτ☞, hoc ſi occurreret, verterem, *panis nobis deſtinatus* vel *congruens*, vel aliter prout nexus poſtularet: *ſomnium meum* ονειρ☞ μ&, non autem καθ' εμε vel κατα μεν ονειρ☞. Ad *Anacreontis* locum poſtea aliquid no-

notabo, uti etiam ad loca *Eph.* VI. 21. *Col.* IV. 7. & *Eph.* I. 15.

An multum diſcriminis intercedat inter κατα cum *Accuſativo* & κατα cum *Genitivo* dicere vix auſim. Caret exceptione, quod cum *Genitivum* ſibi adſciſcat, ut plurimum *adverſandi* poteſtate polleat ac tantundem ſit ac Romanorum *contra*, *adverſus*. Nec inficiari ſuſtinerem ſæpius idem eſſe ac Latinorum *per* & *de*. Loca quæ TU, Vir ſumme, excitaſti, qualia quoque eundem in finem produxit cl. CHRISTOPH. WOLLIUS in *Hermeneutica Novi F. Acroam. Dogmatica*, ubi de loco noſtro erudite agit pag. 245. 246. ſubjuncta ANT. BLACKWALLI *Criticæ S. N. T. Lipſ.* 1736. id primo quidem intuitu ſuadere videntur, & revera το κατα in eis occurrens, *per* vel *de* tranſlatum, commodum fundit ſenſum, reique prolatæ congruentem. Verum enim vero, ſi dicere liceat quæ ſentio, & hanc facultatem TU Ipſe mihi conceſſiſti, non opus erit, ut ſic ſemper vertamus, imo alio modo tranſlatum locupletiorem & magis definitum ſenſum indicabit. Lubet hoc inductione exemplorum citatorum probare, ſaltim probationis periculum facere. Modo dixi, mihi quidem ita videri, quod το κατα ſemper relationem quandam involvat, hinc ſæpius eſt *ſecundum*, *juxta*, cum *Accuſativo* non tantum, ſed etiam cum *Genitivo*. το κατα Ματθαιον aut Μαρκον Ευαγγελιον eſt E-

vangelium *ſecundum Matthæum* aut *Marcum*, vel ſecundum Matthæi aut Marci narrationem aut commentationem, vel Evangelium, quod ad Matthæum ſpectat, vel quoad Matthæum (*). —— Τα καθ' εμε ſunt quidem *res meæ* *Eph.* VI. 21. *Col.* IV. 7. uti hæc verba Latio ſermone optime tranſtuliſti, quæque idem valent ac τα περι ημων *Eph.* VI. 22. *res noſtræ* & τα περι υμων *res veſtræ* *Col.* IV. 8. Verum mallem, *quæ ad me ſpectant*, *quæ me concernunt*, ſc. perſecutiones, vincula, dolores hujusque generis alia & omnia vel contra Paulum vel in ejus & ſociorum commodum geſta; nam *Eph.* VI. 21. diſtinguit τα καθ' εμε a propriis ſuis laboribus, τι πρασσω, & hæc dein & *Col.* IV. 7. in complexu παντα vocat. Optime quidem, ut dixi, hæc Latio ore dicuntur *res meæ*, ſed in nexu Græci textus indicia ſunt ſpecialis cujusdam reſpectus. —— Locus vero *Eph.* I. 15. utique ita comparatus videtur, ut rem omnem uno ictu exinde confici poſſe cogites. Interim mirum videri poſſet, cur Apo-

(*) Pollicem quidem primo Reverendiſſimo PRATJE & Viro Doctiſſimo JAC. ELSNERO, vertendum eſſe το κατα Ματθαιον Ευαγγελιον *Euangelium Matthæi*, *in Comment. ad Euangelium Matthæi T. I. p.* 2. & quæ attulit exempla addiditque S. V. F. STOSCHIUS, ejus Editor, talem ſenſum fundere. Verum hæc non evertunt meam de τα κατα proprio ſignificatu ſententiam.

poſtolus hac phraſi ἡ καθ' ὑμας πιςις utatur, dum ſæpius ſæpiusque, ut *fidem veſtram, fidem quæ in vobis eſt*, ſignificet, faciliorem & uſitatiorem illam phraſin πιςις ὑμων adhibet. Unum modo hanc in rem cito locum ex Ep. ad *Col.* I. 4. qui cum illo ex Ep. ad Epheſios plane congruit. Dicit ακκσαντες την πιςιν ὑμων εν Χριςω Ιησ καὶ την αγαπην, &c. hic autem eſt ακκσας την καθ' ὑμας πιςιν εν τω Κυριω Ιησ, καὶ την αγαπην, &c. Quænam vero eſt *ratio*, cur *inſolita* phraſi fidem Epheſiorum deſignet? at rationem hujus diverſitatis Apoſtolo ſonticam fuiſſe nemo facile infitiabitur. Hanc quæſiverim in *qualitate fidei eorum*, quam in præcedentibus magnopere prædicaverat, quaque præ aliis Eccleſiis præſtabant. Audiverat de fide in Dominum, quæ Epheſiis præſertim gratuito conceſſa fuerat, ſolida, ſive firmitatem fidei eorum, ſive reſpiciat obedientiam fidei aut alios ejusdem fructus, ex quibus, quam vera ſit & probe radicata, cognoſci poterat. Hinc το καθ' ὑμας *ſpecialem relationem* & *qualitatem fidei* apud Epheſios indicare videtur.

Ubi autem το κατα *Genitivo* præponitur, quod propius diſpiciendum venit, niſi dilucide *contra* vel *adverſus* denotet, eundem ipſi ſignificatum plerumque tribuendum eſſe cenſeo. Eamus per ſingula a TE adducta loca. Recte quidem vertuntur καθ' ὁλης της Ιυδαιας: *per* totam Judæam; εμαρτυρησαμεν κατα

κατα τν Θεν: teſtati ſumus *de* Deo; κατα την αρετης φαλεον εσι: *de* virtute dicendum eſt, ανθρωποι κατα τν μειζον ομνυσι: homines *per* majorem jurant. Verum, ſi loca hæc curatius examinamus, κθ' ολης της Ιυδαιας, &c. ut το κατα nativam ſuam vim retineat, mea quidem ſententia rectius vertitur: *quoad omnem Judæam, Galilæam & Samariam* Eccleſiæ alta gaudebant pace & tranquillitate *Act.* IX. 31. oppoſite ad alias gentium regiones, veluti ad Syriam, ubi Eccleſiæ Chriſti, veluti *Damaſci*, uti ex ipſo hoc capite liquet, hoc tempore crebris perſecutionibus Judæorum erant expoſitæ. – Ἐμαρτυρησαμην κατα τν Θεν, ὁτι ἠγειρε τον Χριστον, rectius mea opinione, *teſtati ſumus quoad Deum* vel *juxta mandatum Dei*, ut *his verbis denuo indigitet Apoſtolus, quo auctore & cujus juſſu id fuerint teſtati, quod Deus Chriſtum ſuſcitaverit*, quæ eſt explicatio b. D. GERDESII, Theologi nuper adhuc Groningani, cujus cineres veneror, in *Iſagoge & Exegeſi in cap.* XV. 15. *prioris Ep. ad Corinth. Groningæ* 1759. *p.* 149, 150. – Verba PLUTARCHI, quæ quoque doct. CASP. FRID. MUNTHE in *Obſerv. S. ad N. T. ex Diodoro Siculo ad* 1 *Cor. l. c. p.* 334. citat; Ο κατα των τεχνων ἢ των επιςημων λεγειν ειωθαμεν, τκτο ἢ κατα της αρετης Φατεον εσι, mallem hoc modo exponere: *id quod quoad artes & ſcientias dicere ſolemus, idem quoque quoad virtutem dicendum eſt.*

eſt. Reſtant loca ex *Hebr*. VI. 13, 16. ubi recte quidem κατα & forte elegantius Latino ore dicitur *per*, ſed ad verbum reddenda puto. *Deus reſpectu ad majorem jurare neſcius, reſpectu ad ſe ipſum jurans confirmavit*, & vſ. 16. *homines reſpectu ad majorem jurant*. Juramentum autem certum aliquem reſpectum ad perſonam aliquam, & in loco Paulli comparative innuere res ipſa docet, & diſerte quoque a PHILONE obſervatur *Allegor. legis p. 98.* ὁ καθ' ἑτερου ὀμνυει Θεος, οὐδεν γὰρ ἀυτου κρεῖττον, ἀλλα καθ' ἑαυτου, ος ἐστι παντων ἀρίστος κ. τ. λ. Vel per *ellipſin* nominis alicujus ſubſtantivi hæc verba ſuppleri debent ac verti. *Deus, juxta majoris Nomen jurare neſcius, juxta ſui Ipſius Nomen jurans confirmavit: homines juxta majoris Nomen jurant*. Το ονομα autem ſæpius *Septuag. Interpretes* verbis ομνυω & ομοω jungunt. Obſervo etiam Apoſtolum hac phraſi τις ὁ ſecutum fuiſſe, qui aliquando pro Hebr. ב το κατα ponunt, dum apud Græcos uſitatius eſt dicere ομνυειν εις τινα, vel abſolute ομνυειν τινος *ſc. Numen*, quod poſtremum apud Græcos & Latinos eleganter dici probat cl. DRAKENBORGIUS ad *Silii Italici l. VIII. vſ.* 105. —— Ad locum ANACREONTIS, quem TU, Vir ſumme, citaſti ex Od. III. 9. κατα μεν χιζεις ονειρους, concedo hæc verba absque *tmeſi* legi poſſe, ſed tum mea opinione hunc fundunt ſenſum, *dividis ſomnia quæ me con-*

concernunt, ſive ipſe ſive alii de ſe ſomniarunt.

Cl. WOLLIUS l. c. bina protulit loca, quibus probare ſategit κατα tantundem valere ac *de*. Nec hanc verſionem in Latio ſermone ipſi denegem, ſenſus eſt perſpicuus; mallem tamen ad alterum ÆSCHINIS locum retinere propriam præpoſitionis κατα vim & notionem: πολυς δε επαινος ην κατα την ημετερας πολεως, *laus erat magna, quæ noſtram urbem concernit.* —— Ad locum DEMOSTHENIS, quia non ad manus eſt, το καθ' υμων εγκωμιον, τυτεσι, περι υμων, neſcio an poſtrema verba, prouti auguror, gloſſa ſint doctiſſimi Wollii. Sin itaque recte auguratus fuerim, verba priora dicunt, *Encomium quod vos concernit.* Et eodem quoque tendit interpretatio.

Poſſem jam ex libris M. DEVARII *de linguæ Gr. particulis*, FRANC. VIGERI *de præcipuis Græcæ dictionis Idiotismis*, quem laudando omnino labore illuſtravit locupletioremque reddidit cl. HENRICUS HOOGEVEEN L. B. 1752. & ex STEPHANI THESAURO integram exemplorum ſylvam ſtruere, ex quibus pateret uſum τε κατα ſive *Genitivum*, ſive ſibi adſciſcat *Accuſativum*, ſaltem plerumque reſolvi in nativum ſuum, quem enucleavi, ſignificatum, quo innuit *quoad*, *quod concernit* vel *ſpectat*, prouti nexus poſtulat; ſed hunc jam actum non agam. Unicum non poſſum

poſſum quin addam, quod ex STEPHANI THESAURO hauſi *T. IV. p.* 413. Exſtat apud ARISTOPHANEM. Dicitur το κατα χειρ@- υδωρ, *aqua quæ lavendæ manui inſervit*, & apud ATHENÆUM legitur facetum cujusdam dictum, qui quum diſceptaretur, quænam aqua eſſet omnium optima, dixit: το κατα χειρων υδωρ, id eſt, *ea aqua, quæ convivarum manibus, antequam adcumberent adfundebatur vel ſuperfundebatur.*

Et ex N. T. loca cieo hanc ſignificationem & uſum τα κατα probantia ex *Marc.* XIV. 3. *Luc.* IV. 14. XXIII. 5. *Act.* IX. 42. X. 27. 1 *Cor.* XI. 4. *Gal.* V. 23. *Jud.* 16. 18.

Explicui itaque, *Vir Reverendiſſime*, liberrime, quemadmodum juſſiſti, quid obſtet, quo minus ego dictum Paullinum TUA methodo explicem, aut cum C. WOLLIO, Viro certe eruditiſſimo, eadem loquar. Forſan autem habebis, quibus explicationem Tuam corroborare, at meam, quam nunc examini TUO ſubjicere liceat, propellere poteris. Tranſtuli το καθ' ημων χειρογραφον, *Chirographum quod nos concernit*, vel reſpectu ad chirographum habito, *quod nos obligabat.* Rationes quare καθ' ημων ita verto jam ſupra dedi. *Obligationis* autem notionem hic adpono ex natura *Chirographi*, quod ſoluto debito reddi ſolebat. v. ANT. MATTHÆI *de probationibus* p. 233. aut deleri pe-

penitus, ita ut nulla amplius vestigia reliqua sint, adnotantibus Viris doctissimis WOLLIO in BLACKWALLI *Criticam S. N. T. p.* 569. G. D. KYPKE *Observat S. in N. T. T. II. p.* 322. JO. TOB. KREBSIO *Obs. S. in N. T. ex Josepho p.* 337. & JAC. DE RHOER *Fer. Daventr. c. XXVIII.* qui cum NORTONO KNATCHBULLO *Animadvers. in N. T. p.* 102. si quid judico, recte statuit ponendum esse post χειρογραφον punctum, verbaque τοις δογμασιν jungenda esse sequentibus, ut hic, juxta observata ad καθ' ημων, emergat sensus: *Expunxit quod nos obligabat Chirographum, quodque institutis suis nobis erat contrarium.* Laudatus WOLLIUS l. c. doctissime ostendit Chirographum, de quo sermo est, legem non esse naturalem sed Mosis. Hoc vel ad oculum patet, hinc huic probationi non immoror. Solummodo observo Paullum credentes in Christum, quorum prærogativas exponit, dispescere in duas Classes. *Una* erat credentium *ex gentibus*, quorum prærogativas recenset *vs.* 11, 12, 13. quosque in persona secunda adloquitur. Depingit enim eos ut νεκρους οντας εν τοις παραπτωμασι, και τη ΑΚΡΟΒΥΣΤΙΑ ΤΗΣ ΣΑΡΚΟΣ ΑΥΤΩΝ. *Altera* erat credentium *ex Judæis*; horum prærogativas exponit *vs.* 14, 15. & dein eos, ut libertate sua rite utantur, hortatur. Horum in numero ipse erat Apostolus, gente Judæus, hinc *se ipsum* includit, & ostendit Chirographum legis Mo-

Mosaicæ *ad Judæos* pertinuisse, eosque ad legem illam servandam obligatos fuisse, contradistincte a gentibus, quæ quoad Mosen Chirographo illo solutæ vixerant. Inde est, quod illud vocat το καθ' ημων χειρογραφον, *quod nos, credentes ex Judæis, obligabat.* Allusionem hic deprehendo ad *librum legis*, quem Mediator Deum inter & Israëlem, *Moses, ipsa sua manu scripserat*, quodque Chirographum, nomine totius populi veluti signatum, reconditum erat *penes arcam fœderis in sancto sanctorum sive in pavimento, sive alio aliquo ad hanc rem parato, ab arca distincto vasculo*; sunt verba cel. E. L. VRIEMOETII in *Adnotationibus ad dicta Classica V. T.* ubi locum *Deut.* XXXI. 9, 24, 25, 26. quem intendo, exponit *T. I. p. 96, 97.* Merentur autem adtentionem ultima Mosis verba והיה שם בך לעד. Ad ea forte speciatim respexit Apostolus, dum Chirographum adpellat καθ' ημων, quasi dicat Moses: *Chirographum hoc, Israël, te obligat, & vel observantiæ vel prævaricationum tuarum testis esto.* Cum vero ex hoc Chirographo Judæi criminum omnis generis atrociſſimorum & innumerabilium rei essent & digniſſimi, quorum in capita ruerent omnis generis dirarum & maledictionum fulmina, quæ in hoc Chirographo disertiſſimis verbis minitata erant, quam ingens & maximum erat credentibus in Christum conlatum beneficium?

cium? quando Judex Juſtiſſimus & Benigniſſimus, ſoluto per Chriſtum debito, Chirographum hoc *e medio eorum ſuſtulit crucique adfixit*, quas phraſes optime illuſtrarunt laudati Viri docti KYPKIUS & MUNTHE ll. cc. Jam per hæc verba Paulli mihi videor videre manum Divinam ipſo mortis dulciſſimi Servatoris articulo, quando ſolutio debiti jam conſummata erat, Chirographum hoc, in luculentiſſimum juſtitiæ & gratiæ *ineffabilis documentum*, *ipſi Chriſto mediatori* tam *Veteris* quam *Novi federis in cruce* pendenti, & per eum omnibus in Eum credentibus ex Judæis exhibentem & reddentem. Hinc, *ut e medio Iſraëlis*, quod ſanctum erat ſanctorum, *tolli poſſet* Chirographum, *veli ſancti ſanctorum deſuperna ſciſſio* neceſſaria fuiſſe videtur; imo neceſſe erat, ut Chriſti cadaver, omnem portans maledictionem, cruci adfixum penderet, & poſtea juxta leges ſuſpenſorum orco traderetur cumque Chirographo ſepeliretur. Tam analogice verba Paulli explicandæ rei momentoſiſſimæ, in qua omnis ſalutis credentium ex Judæis cardo, quin etiam noſtra omnimoda ſalus verſatur, congruunt.

Sed manum de tabula. Diutius quam par eſt, TE, *Vir ſumme*, multifariis implicitum negotiis, quæ Eccleſias Ducatuum Bremenſis & Verdenſis, Tibi juſſu Regio concreditas, [illegible] unt, detinui. Ignoſcas verboſi-

boſitati meæ & ſedeas ad talos. Ubi erravero, monitus & convictus errores meos ilico exuam.

Quod ſupereſt, benevolentiam Tuam erga me ſummam quam maximi, ut par eſt, facio, eamque, ut ſemper mihi ſerves, enixe flagito. Deum veneror, ut Te tueatur quam diutiſſime incolumem, laboribusque Tuis in tot Eccleſiarum commodum exantlatis & adhuc exantlandis largiter benedicat. Vale Scrib. *Bremæ a. d. X. Maji* a. CIↃIↃCCLXV.

VIRO SUMME REVERENDO
DOCTISSIMOQUE
NIC. BARKEY,
FAUTORI SUO ÆSTUMATISSIMO,
S. P. D.
JO. HENR. PRATJE.

Multum Te veneror, Vir Summe Reverende! quod conjecturam meam in *Col.* II. 14. summa humanitate exceperis, Tuamque de ea sententiam mecum communicaveris: neque negligentiæ velim, sed febri, quæ per aliquot hebdomadas me tenuit, segnioremque ad scribendum reddidit, tribuas, quod tardius, atque quidem par fuerat, ad litteras Tuas, mihi quidem suavissimas, respondeam, gratiasque, quas Tibi debeo, id est, summas, ea, qua decet, ratione, agam.

Facilis omnino sententiarum nostrarum de phrasi το καθ' ημων χειρογραφον erit compositio;

tio; ſi qua compoſitione modo adhuc opus fuerit. Ipſe enim ego, dum phraſin iſtam ſic reddendam arbitror: *Chirographum, quod per nos datum eſt, aut: Chirographum, quod de nobis agit*, vel brevius: *Chirographum noſtrum*; chirographum intelligo, quod nos obligat. Poſtulat id cum natura chirographi, tum vero etiam totus verborum Pauli contextus atque ſcopus.

Quicquid differentiæ inter ſententias noſtras ſupereſt, id omne circa modum, præpoſitionem κατα exponendi verſatur. Permittas itaque velim, ut contra annotationes, quas conjecturæ meæ oppoſuiſti, aliud aliudque excipiam.

Non in ea quidem ſum opinione, ac ſi illa loquendi ratio, qua ex pronominibus perſonalibus per præpoſitiones προς, εις, & κατα poſſeſſiva fiunt, apud Græcos frequens ſit, vulgaris & ubivis obvia. Concedo eam inter minus frequentes & rariores referendam eſſe, quæ nunc variationis, nunc ornatus, nunc etiam certæ relationis cauſa, nam & in hac re refragantem me non habebis, adhibita ſit. Cum in litteris meis ſuperioribus præpoſitionem συν adducere me haud memini, nunc addere liceat, eundem, quem dixi, illius etiam uſum apud ſcriptores græcos claſſicos obſervari. Ita enim apud POLYBIUM Hiſt. lib. XV. c. 8.

dicitur: οι σοι σε πολιται, *tui*, Hannibal! *cives*.

Sed de voce κατα, de qua præcipue nunc quæritur, tantum, ut temporis habeatur ratio, disquirendum eſt.

Concedis omnino, illam idem ſæpius eſſe, quod Latinorum *per* vel *de*: putas tamen, eam ſemper relationem quandam, ſibi conjunctam, habere. Quod ad poſteriorem hanc propoſitionem pertinet, relationi ejusmodi, id quod antea ingenue confeſſus jam fui, non omnino locum ubivis denego: aſt difficile tamen mihi, &, ut verum fateor, coactionis aliquid inferre videtur, hanc particulam ubivis ita explicare, ut relationis quædam forma inde enaſcatur. Neque video, relationem ad exempla mea a Te applicatam, illis vel majorem lucem, vel majorem gravitatem, vel majorem ornatum conciliare: ut taceam, hanc relationis applicationem in nonnullis exemplis, illo ſaltem, quod ex Plutarcho excitaveram, nonnihil coactionis redolere.

Phraſin, η καθ' υμας πιϛις *Eph.* I. 15. illi η πιϛις υμων *Col.* I. 4. non tantum congruentem ſed parallelam, harmonicam & æqualem eſſe arbitror. Nimirum epiſtola ad Coloſſenſes eſt quaſi compendium epiſtolæ ad Epheſios. Videas, velim, quam parallela ſibi ſint duo hæc loca. Priori dicitur:

αλλ-

ακουσας την καθ' υμας πιστιν εν τω κυριω Ιησου Χριστω, και την αγαπην την εις παντας τους αγιους; posteriori autem: ακουσαντες την πιστιν υμων εν Χριστω Ιησου, και την αγαπην την εις παντας τους αγιους. Num quid ovum ovo ſimilius eſſe poteſt? Et nonne recte inde conficitur, την καθ' υμων πιστιν idem omnino eſſe & valere, quod την πιστιν υμων?

Putas quidem, prius ad fidei qualitatem reſpicere, Epheſiisque quandam fidei præſtantiam, præ aliis, tribuere: &, ut huic tuæ ſententiæ ſpeciem concilies quandam, addis, Paulum Epheſiorum fidem in antecedentibus magnopere prædicaſſe. At enim vero Paulus, me quidem judice, in antecedentibus fidei Epheſiorum usque ad *vſ.* 12. nullam mentionem fecerat: quæ enim in duodecim prioribus verſibus dicta ſunt, de gratia Dei generatim agunt: de illa autem, quæ Epheſiis obtigerat, ſpeciatim differere verſu demum decimo tertio incipit. Quam præſtantia & magnifica autem ſint, quæ Paulus *vſ.* 13, 14. de Epheſiorum fide refert, æque præſtantia tamen & magnifica ſunt, quæ de Coloſſenſium fide, in epiſtolæ ad eos perſcriptæ *cap.* I. *vſ.* 5, 6, 7, 8. habentur. Cum AELIANUS *var. hiſt.* II. 42. dicat: η καθ' αυτον αρετη, *ſua virtus*; & III. 36. ο καθ' αυτον κινδυνος *ſuum periculum*, nonne ad eundem modum Paulus η καθ' υμας

πιστις pro η πιστις υμων *fides veſtra* dicere commode potuit? (*)

Ad ANACREONTEM quod ſpectat, illum *ſomnia* pro *ſomno* poſuiſſe arbitror, eaque de re conqueſtum eſſe, quod Amor ſomnos ſuos turbaverit. Perinde ipſi fuerat, ſive ſomniaſſet, ſive minus: dummodo ſomno ulterius indulgere licuiſſet. Redderem itaque potius: *dividis ſomnia mea*, id eſt: *interrumpis ſomnum meum*, quam: *dividis ſomnia, quæ me concernunt, ſive ipſe, ſive alii de ſe ſomniaverint*. Poſteriorem gloſſam, quod pace Tua dixerim, contextui & ſcopo verborum non admodum convenire putaverim.

Locum *Act.* IX. 31. utrum vertas: *per omnem Judæam, Galilæam, & Samariam*; an vero: *quoad omnem Judæam, Galilæam & Samariam*, nihil omnino refert. Prior enim vertendi ratio æque ac poſterior, oppoſitionem ad alias gentium regiones, veluti ad Syriam, involvit. Quid? quod contenderim, etiamſi vicinæ regiones alta pace & tranquillitate quoque gaviſæ fuerint, tamen, ut

(*) Recte excipit Vir Reverendiſſimus paralleliam locorum *Col.* I. 4. & *Eph.* I. 15. præſtantiam fidei Epheſiorum & Coloſſenſium pari modo laudantium. Hinc, licet reipſa phraſes hæ idem innuant, την καθ' υμας πιστιν verterem cum Belgis: het geloove, *dat onder u is*, vel cum b. Luthero, der glaube *bey eüch*. Servatur hoc modo τε κατα notio. N. B.

ut ſtatus Judææ, Galilææ & Samariæ, qui tunc erat, indicaretur, & ab eo, qui antea fuerat, diſtingueretur, dici commode potuiſſe: καθ' ολης της Ιυδαιας ϗ Γαλιλαιας, ϗ Σαμαρειας.

Secundus locus 1 *Cor.* XV. 15. præeunte b. GERDESIO a Te ita redditur: *Teſtati ſumus ſecundum Deum* id eſt, ſecundum juſſum & ex mandato Dei: licet non ignores, quæ b. HEUMANNUS, Vir græce quondam admodum doctus, de hac interpretatione Tom. X. explicat. bibl. N. T. p. 667. ſcripſerit: *Es wird ihm ſchwerlich jemand Beyfall geben.* Ad manus mihi non ſunt diſſertationes Gerdeſianæ. Hinc dicere etiam, vel ſcire non poſſum, utrum aliis exemplis etiam comprobaverit, præpoſitionem κατα, quando Genitivo præponitur, ea ratione apud auctores græcos adhibitam eſſe, ut idem, quod Latinorum *ſecundum*, *juxta*, ſignificet. Inſolita autem non eſt ſignificatio *de*, quam exemplo, ex Xenophonte adducto, comprobat *Raphelius*: Ταυτα μεν δη κατα παντων Περσων εχομεν λεγειν. Significatio vocum non ſemper ex etymologia, ſed ſæpius etiam ex uſu cognoſcenda & finienda eſt.

In tertio loco, ex Plutarchi περι παιδων cap. IV. citato, ſignificatio *de* præpoſitioni κατα adeo convenit, ut non dubitem, fore plerosque, qui eam ſignificationem *ſignificationi* τϗ *quoad* vehementer præferant.

Idem fere de loco quarto *Hebr.* VI. 13, 16. ubi κατα *per* significare perhibetur dicendum est: præsertim, cum κατα in jurandi formulis sæpius a Græcis adhibeatur. Quem fugit Græcorum dicendi consuetudo: κατα Θεων *per deos*: ut taceam apud DEMOSTHENEM Con. (edit. Bas. 1585.) p. 1114. hoc legi: κατα παιδων ομειδζ *per filios jurare*, & apud CHRYSOSTOMUM Homil. XVII. in Matth. Δια τυτο ορκ@ ενομοθετηθη, ινα μη κατα των ειδωλων ομνυωσι.

Restat tantum, ut duo exempla utriusque significationis *de* & *per*, nuper observata, addam: faciunt enim ad sententiam meam de phrasi το καθ' υμων χειρογεαφον confirmandam. ARISTOTELES Met. III. 3. hæc habet: Ταυτα λεγεται κατα παντων: *Hæc de omnibus dicuntur.* Et CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS ecclesiæ catholicæ definitionem in *Cateches. illuminat.* XVIII. citante SUICERO in libro *de syntaxi græca* (edit. Tigur. 1651. 8.) p. 153. his verbis formavit: καθολικη καλειται η εκκλησια Δ@ το κατα πασης ειναι της οικυμενης, *Catholica vocatur ecclesia propterea, quod per omnem terram est.* Hic sane oppositio ad vicinas vel alias gentium regiones locum habere omnino nequit.

Sed claudendi sunt rivi: ne patientia Tua abutar. Tanti non est sententiarum nostrarum diversitas, ut operæ pretium sit, multum

tum temporis & operis illis conciliandis tribuere. Una nobis eſt veritas, alia autem aliaque ad illam via. Præſtat itaque, Tuæ benevolentiæ ulteriori me commendare. Deumque ſerio rogare, ut Te, quem egregiis donis atque virtutibus ornavit, in eccleſiæ, reique litterariæ præſidium & ornamentum, quam diutiſſime ſuperſtitem eſſe jubeat. Valæ Scrib. Stadæ d. 7. Jun. M. DCC. LXV.

IV.

JO. CHRIST. HARENBERGII, EPISTOLA AD VIRUM S. REV. L. KULENKAMPIUM, DE ETYMOLOGICIS QUIBUSDAM GRÆCIS. (*)

Juſtiſſimis laudibus evexiſti *Etymologicum magnum*, quod recudendum curabis, adſcitaque ex variis Etymologicis luce ſplendidius reddere paras. Laudes illas operi tantae frugis nec invideo nec detraho, eruditiſſimis dudum viris probatas jam & decantatas. Quam ob cauſam Tibi gratulor conatum tam utilem & præconiis dignum. Monui tamen generatim, ineſſe Etymologicis græcis id labeculæ, ut nonnumquam immiſceant erroneas verborum originationes. Majora tamen ſunt merita eorum, quam

(*) Conferatur Biblioth. hujus Cl. VI. Faſc. I. p. 147.

quam ut ea per hoſce nævos ſparſim obvios oblitterentur. Noſti, Vir præſtantiſſime, noſtrum utrique in hoc judicio nihil eſſe litis, nihil diſſenſionum. Fateor Tecum, quatuor Etymologici magni editiones nondum tuliſſe omne punctum, necdum omni penuriæ exemplarium tollendæ per eas eſſe proſpectum ita, ut emendata adpareant ea, quæ in mendis & ſqualore jacent. Specimine autem Tuo æquos litteraturæ græcæ arbitros *docuiſti illuſtribus exemplis*, Te ad morbos *illos*, *quibuscum* conflictatur Etymologicon magnum, expellendos eſſe adprime natum factum. Animum operamque ad id adhibuiſti, quod caput rei eſt & familiam ducit. Conſuluiſti ſcilicet etymologica alia potiora, Gloſſaria & Lexica græca, atque *ipſos Scholiaſtas*. Et utinam eruditi bibliothecas Tibi induſtriæque Tuæ patefaciendas curarent, ut opus Phidia dignum numerisque omnibus abſolutum dare poſſes; ad minimum illud ſic inſtruere, ut alii, opera Tua adjuti, lampada a Te ſibi traditam cum publico doctorum orbe communicare queant! Huc calida tendunt vota mea. In his deſideriorum meorum per jus fasque vertitur cardo. Quam vellem verſatus fuiſſet in manibus meis codex, a Photio vel ex ejus cura compilatus, quem recte *Etymologicum Photii* adpellamus. In ſua id olim tenuit bibliotheca magnus ille optima-

rum

rum litterarum coryphæus, *Thomas Gale*, Angliæ quondam decus & ornamentum insigne. Pervenit id tandem in manus præstantissimi *Burtoni*, qui in præsens academiam Oxoniæ condecorat atque ornat mirum in modum. In hujus codicis exemplari exscripto exstant ad latus, ad dimidiam fere ejus partem, egregiæ adnotationes, loca poëtarum græcorum exhibentes, aliisque eximiis commentariis adjectis fecundæ. Disserui de hoc codice atque de exemplari inde concinnato in Epistola, ad S. Rev. amicum, *Nicolaum Barkey*, data. Rediit hujus Etymologici exemplar Oxoniam, quum de instituto Tuo nondum certior essem factus, quod prolixo animo juvissem, siquid de eo suscipiendo mihi antehac innotuisset. Gratissima, ut ad alia gradum promoveam, mihi illa fuerunt, quæ de Lexico, quod tribuitur vulgo Cyrillo cuidam, edisseruisti. Nec minoris ea facio, quae de Etymologico *Photii* enarrasti, cujus partem usibus Tuis *Simon de Vries*, Daventriensis, hoc etiam nomine concelebrandus, concessit.

Colo Tecum diligentiam & benevolentiam viri juvenis excellentioris, *Abrahami Kall*, Havniensis, qui institutum Tuum Glossario græco manuscripto, quod inscribitur Ἐφραὶμ Λέξεις, juvare ac amplificare partium suarum esse existimavit.

Habeo præterea honorem & gratias, quod

p. 144. *Claſſ.* VI. *faſc.* I. *Bibliothecæ Bremenſis novæ* me edendo Etymologico Photii parem fore arbitraris. Id tamen meum eſt, ut ingenue fatear, me ob alias curas numquam id conſilii capere potuiſſe vel voluiſſe. Accedit quod mihi prænobiliſſimus *Burtonus* eam facultatem non indulſerat, mihique nil negotii per Virum juvenem doctiſſimum atque nobiliſſimum *Fawkener* erat relictum, quam ut conferrem illud cum manuſcripto *Gudiano*, quod *bibliotheca Ducalis Wolferbuttelana* adſervat, atque ut illud inde ſupplerem. Cur vero fruſtra me ei negotio perficiendo admoverim, cauſam ſignificavi in Epiſtola, ad communem amicum Nicolaum Barkey data, quam legiſti *Claſſ.* V. *faſc.* 2. p. 280. ſ. An id mihi probari poſſit, quod ſcribis *Claſſ.* VI. *faſc.* 1. p. 147, maculam a me eſſe Codici *Gudiano* adſperſam, quam abſtergere conari debeas, tute, obſecro, arbitrare. Scripſi, quæ collatio utriusque Etymologici me reipſa docuit, tam ejus, quod omnino non eſt *Photii* opus, quam illius, quod fuit olim *Thomæ Gale* & *Photio* recte tribuitur. Scripſi Gudianum Codicem errore quodam per Gudium pro Etymologico Photii fuiſſe reputatum. Errorem hunc agnoſcis p. 148, faſſus præterea, in fine vocabuli Κρονος in Gudiano legi, ὅτως εγω φωτιος ὁ πατριαρχης *ſic ego Photius patriarcha*, inde tamen non conſequi,

qui, Photium universi operis auctorem esse. Nullam hactenus video maculam, a me Codici Gudiano adsperſam. Reperisti tute, Codicem Gudianum æque Antverpiæ, Parisiis & Trajecti ad Rhenum exstare. Nondum igitur conspicor maculam, a me Gudiano Codici adsperſam. Scribis p. 152, me pretium hujus Codicis ipsique similium nimis depressisse & in eo iniquiorem esse, quam fas est. Sic Tibi visum fuit. Noli id moleste ferre, si dixerim, ita Tibi citra jus fasque visum fuisse. Ut adprobes lectori judicium Tuum, provocas ad mea verba, quibus, codicem Thomæ Gale Photianum esse Gudiano præferendum, contenderim. Ego utique Te, qui codicem versarunt Gudianum, judico aliis præferendum. Num credis, me ideo reliquis viris doctis maculam adsperſisse, qui eum evolverunt atque tractarunt? Quæ ejusdem generis, speciei, sexusque sunt, merito inter se comparantur. Si qui ad scopum & usum Etymologicorum respiciunt, volumina quippe ejusdem speciei, eis licet unum eorum cum reliquis adducere in comparationem. Si ipsi judicant, unum altero meliorem usum cultoribus græcæ linguæ præbere, an ideo maculant & labeculis adspergunt alterum, si hoc minus congruum exhibet usum, minusque accommodatam scopo utilitatem complectitur? Lexicon Photii, sed in se spectatum,

tum, *non relative ad Etymologicum*, maximi habes. Non intercedo. Mihi adriſit comparatio, ad Etymologicum utrumque, ad Auctorem, ad res ipſas uſui cedentes relata. Nondum noſſe poteras pretium Etymologici Photiani, illiusque quantum eſſet pretium, Gudiano vel majus vel minus, quum *Specimen in Etymologicum Magnum* litteris lucique commendares. Nam partem modo Etymologici Photiani tunc legeras, a Simone Vries Tibi conceſſam, quemadmodum ingenue fateris p. 143. Plura cur addam, mihi jam non eſt cauſa, qui amico te utor, nec amicitiam illam cupio violare. Adridet mihi illa ſincera Tua confeſſio non negantis, Etymologicon magnum a me debitis laudibus fuiſſe adfectum. p. 138. Monueram huic Etymologico haud ſecus ac aliis ineſſe ſubinde originationes falſas. Inde colligis, a me tum illud, tum Gudianum minoris eſſe factum, adeoque alterius etiam exiſtimationem a me fuiſſe depreſſam. Vim hujus argumentationis non intelligo ſatis, niſi in memoriam revoco id, quod ſcripſiſti p. 134. hunc in modum: *Negari minime poteſt, a vero ſæpiuſcule aberraſſe Etymologici magni auctorem, quin & ineptiores, quam fas eſt, ſæpe dediſſe origines.* Id ipſum in utroque & magno & Gudiano notavi, quod ſine cenſura ſimili, Amice, non dimiſiſti. En igitur Te criminis ejusdem, cujus me po-

ſtulas, reum. Erras, qui exiſtimare videris, me originationes temerarias de *Byzantio* & *Brunduſio* ſoli Codici Gudiano objeciſſe. Notavi eas, qua falſas, non qua codici proprias Gudiano; quamvis de Etymologico magno idem haud diſtincte ſignificaverim. Βελοννην notavi, in ſimilibus Gloſſariis a collectoribus indicatam per Βελλοννην, Bellonam eodem loco in animo habentibus, non ignorans cum Scapula minoribusque Lexicis, Βελοννην eſſe Latinorum *acum*. Quantam laureolam in hoc muſtaceo Te non credis deprehendiſſe? Muſas habes ſcilicet adplaudentes! Adequitant victoriæ Tuæ Caſtor & ovo prognatus eodem Pollux. Adquieſco in illa judicii Tui (p. 153) formula: *Maneat huic codici Gudiano ſuus bonos ſuumque pretium, utut mendis, quod nullo modo negaverim, obſito, utut erroribus, tum etymologicis, tum geographicis, repleto.* Qui licentioſe judices agent, animum nonne inducent ad credendum, Te, qui Etymologicum Gudianum infra Magnum ducis, & utrique mendas & errores tribuis, Gudiano adſperſiſſe maculas, non vero eas illi abſterſiſſe? An Gudius quæſtui illiberali inhiaverit, an ab aliis imperite ad credendum, ſibi eſſe Photii Lexicon genuinum idque pretio majori venditandum, inductus ſit, non definivi. Poteras igitur vindiciis ſuperſedere, ad integritatem hujus Viri adſerendam adlatis.

latis. Codici Gudiano Wolferbuttelano exprobras *properantiam exſcriptoris vel ejus oſcitantiam*, *mendorum omnium*, *quæ operi inſident*, *ſcaturiginem*. p. 154. Et ut cuivis fidem hujus rei oculatam faceres, ſpecimen æri inciſum commentationi Tuæ adjunxiſti. Anne ſic pretium hujus Codicis vindicaſti? an vero illud depreſſiſti?

Quanti pretii Codex Gudianus Tibi eſſe videatur, ex hiſce intelligitur verbis p. 177: *Miſere ſcilicet Homeri carmina ab exſcriptoribus paſſim habita ſunt; cujus rei innumera exempla ipſum Etymologicum ſubminiſtrabit.* An maculam interpreter hoc judicium, hæreo incertus. Dubitationem tamen meam facile exſtingues, ſi negaveris, hac veriſſima confeſſione ei pretio demi vel detrahi aliquid, pretio, inquam, quod utrique Etymologico pluribusque aliis conſimilibus eſt congruum & accommodandum. Tueris ita Te eo argumento, quo ipſemet mihi utendum eſſe exiſtimavi. Inter hæc perplacuerunt mihi illæ Emendationes, quas ex Gudiano aliisque Codicibus ad Etymologicon Magnum liberali & ſolicita manu, atque acutiſſimo ſelectu adtuliſti. Id unum potiſſime in votis habeo, ut excellentioris ingenii heros, *Burtonus*, Oxonienſis, Tecum communicet exemplar e codice Galei deſcriptum cum adnotationibus, diligentiſſima opera in margine ex adverſo congeſtis. Ita enim minus

ſudabis & paſſim labore Herculeo poteris ſuperſedere feliciusque alibi ſatagere rerum tuarum. Nonnihil ipſe in Codice Photii Galeano intra anguſtias temporis enotavi, ad nonnulla Epiſtolæ Jacobi loca reſpiciens, nec, quid in pauculis deſideraverim, diſſimulavi. Uter noſtrum, plus in Gudiano, ac in Photii Etymologico ſibi minus probari, cenſuerit, Tuo relictum velim judicio atque reſervatum. *Gratius mihi nihil facere potes, quam ſi pede, quo cœpiſti, currere pergas*, & *onus illud, Aetna gravius*, cui humeros animumque ſuppoſuiſti ferendo, integra valetudine ad finem præſtitutum deportes. Vale iterum iterumque, athletice & pancratice. Dabam Brunsvici ad 6. Jul. 1766.

V.

V.

JO. GEORGII WENTZ,

DISSERTATIO

DE

FUNCTIONIBUS PONTIFICIS M. IN S. ADYTO EARUMQUE SIGNIFICATIONE.

§. 1.

Pollicitus ſum haud ita pridem priori meæ diſſertationi, quæ circa unicum Pontificis M. in S. Sanctorum ingreſſum verſata eſt, (a) alteram ſubjungere de ejus in ſancto hoc penetrali *functionibus*. Quod nunc facturus breviter præmoneo, non eſſe mihi animum multis differere de perſonæ ejus dignitate, aut requiſitis, aut de loco miniſterii ejusve effectu, aut aliis, hanc ſollemnitatem propius, remotius comitantibus circum-

(a) v. Bibl. hujus Cl. V. p. 319.

cumſtantiis, quam nimirum rem jam alii ſufficienter tetigerunt (b). Hac opella tantum agere conſtitui ℵ. de ipſis Pontificis M. in S. adyto *functionibus*, quibus ב. de *temporis ſpatio*, in quo hæc omnia peracta ſunt, quædam ſubjungam.

§. 2.

ℵ. De *functionibus Pontificis M. in S. Sanctorum* acturis illud quidem nobis præprimis eſt adſerendum, eum commode potuiſſe ſuo perfungi munere, ut adytum ſemel ingreſſus non coactus fuerit, antequam totum cultum abſolviſſet, egredi. Quod quidem multis verbis non indiget, cum, quæ in priore exercitatione diſputavi, ſatis certa, &, uti ego reor, indubia ſint; ut adeo dumtaxat opus eſſe videatur, textum ſacrum, in quo de functionibus Pontificis in S. S. ſermo eſt, juxta notam (G) ibidem §. 14. ſubjunctam verbis reddere Latinis. Quibus absque mora edocebimur, Pontificem M. ſemel ingreſſum interrupte diverſas ſanguinis ſparſiones abſolviſſe, in qua videlicet duplici ſparſione totus cultus conſiſtebat.

§. 3.

(b) Conf. Doct. *Wilkens Diſſert. Academ. citat.*

§. 3.

Exſtat vero præceptum divinum de faciendis in S. adyto ſparſionibus, *Levit.* XVI: 14, 15. his verbis: ולקח מדם הפר והזה באצבעו על־פני הכפרת קדמה ולפני הכפרת יזה שבע פעמים מן־הדם באצבעו: ושחט את־שעיר החטאת אשר לעם והביא את דמו אל מבית לפרכת ועשה את־דמו כאשר עשה לדם הפר והזה אתו על הכפרת ולפני הכפרת i. e. *Poſtea accipiens de ſanguine illius juvenci, inſperget digito ſuo ſuperficiem ipſius operculi propitiatorii orientem verſus: ante illud autem operculum propitiatorium inſpergito ſeptem vicibus de illo ſanguine digito ſuo.* vſ. 15. *Similiter jugulati hirci, qui pro peccatis populi* (deſtinatus eſt) *ſanguine, intra ipſum velum illato, faciet eadem, quæ ſanguine fecit illius juvenci, inſpergens nimirum eo ipſum operculum propitiatorium, & ante illud.* Sic vertimus hanc pericopam, ex qua verſione, quæ nihil habet, ex mea quidem ſententia, contorti, facile conſtabit, Pontificem M. has binas ſparſiones, quæ, ut jam dixi, præter ſuffitus incenſionem, omnem cultum in S. Sanctorum abſolvebant, ſemel ingreſſum facile potuiſſe ſuſcipere. Duo itaque hic occurrunt Pontifici M. peragenda, I. *functio cum ſanguine juvenci*, II. Ea *cum ſanguine hirci.* De quibus nunc diſtinctim.

§. 4.

Pontifex in Sacrario eodem modo dici poteſt cum ſanguine juvenci egiſſe, ac cum ſanguine hirci. Priusquam vero ſanguinem pro ſe ſpargeret, videtur confeſſionem peccatorum ſuorum coram propitiatorio edidiſſe, licet id neque Sacra Scriptura, nec Miſchna tradat. *Poſterior quidem confeſſionem exhibet, quam feciſſet Sacerdos ſummus*, non cum ſanguinem juvenci aut hirci in ipſo S. adyto jamjam oblaturus erat, ſed quando mactare volebat animal, vel utraque animalia (c). Verum, ſi Chriſtum, ejus antitypum, conſideramus, magis poterit dici Pontifex M. tunc edidiſſe confeſſionem, quando ſparſurus erat ſanguinem in S. S. licet hæc adſerentes non negemus, & tunc potuiſſe confeſſionem ab ipſo edi, quando ſeſe accingeret ad mactanda animalia. Chriſtum vero ſcimus preces, quando moriturus erat, fudiſſe, adeoque commode poterit ſtatui, Pontificem M. tunc edidiſſe confeſſionem, quando in ſacrario ſanguinem erat oblaturus. Qualis vero illa fuerit, non eſt, quod hic inquiramus.

§. 5.

(c) *Cod. Joma cap. IV*, §. 2.

§. 5.

Poſtea ſanguinem *juvenci* ſparſit, qui in expiationem deſtinatus erat peccatorum, tum a ſe ipſo, tum tota ſua domo commiſſorum. De qua tamen ipſa ſparſione nihil adeo videtur opus eſſe, ut quid dicamus, quum ejus ſibi ideam quivis facile formare valeat. Potius hic in cenſum veniat, ut, quid hæc ſparſio ſignificaverit, cognoſcamus, I. *Quod Pontifex ſemel tantum ſanguinem ſparſerit ſuper propitiatorium Orientem verſus.* II. *Quod id factum ſit ſepties ante propitiatorium.* Quæ non abs re erit inquiſiviſſe.

§. 6.

I. Singularem quamdam rem ſparſionem illam *ſuper* propitiatorium præfiguraſſe, facile poterit exponi. Quam in rem præmittimus, illorum ſententiam omnino acceptandam eſſe, qui teſte S. Scriptura credunt, ſanguinem fuiſſe *ſuper* iſtud propitiatorium adſperſum. Quæ, ut ſunt rationibus ſuis munita, hic non vindicabimus. Fuit autem illud ἱλαστηριον, ſive *operculum propitiatorium* (d) ut notum, in S. Sanctorum,

(d) *Lutherus* vocem ἱλαστηριον, quæ legitur *Rom.* III: 25. dedit *Gnaden-Stuhl*, ſed, ut mihi

adeoque eo in loco, quem Deus Pater, Judex juſtiſſimus, inhabitabat. Pontifex ergo Magnus, quando ſemel *ſuper* operculum illud ſanguinem adſpergeret, eumque quaſi Deo, propitiatorio operculo inſidenti, repræſentaret, omnino Chriſti redemtoris introitum cum ſanguine ſuo ejusque in ſacrario oblationem præfigurabat. a.) Quemadmodum enim Pontifex M. ſemel tantum juſſus

mihi videtur, *minus emphatice*, nec ſatis commode. Melius eruditiſſimi Belgæ vocis vim in excellenti ſua verſione expreſſere *Verzoen-dekſel*, quo ipſo duplicem, qui voci ἱλαστηριον ineſt, ſignificatum venuſte ſatis hauſerunt. Eſt enim hoc ἱλαστηριον ipſiſſimum Hebræorum כפרת, cujus radix, כפר, vel Arabum غفر proprie dicit *texit*, *linimento obduxit*, *obliteravit*, unde prior eſt ſignificatus *decken*, quo ad hominem peccatorem translato, ſi ejus peccata tecta ſunt & a Deo obliterata, ſunt etiam expiata, quæ ſignificatio huic verbo pariter ineſt. Ex quo verſio Belgica antea allata ſatis juſtificatur. Hac vero occaſione non poſſum, quin obſervem, abſque ſufficienti ratione vocem ἱλαστηριον, & alias ei conſonas ab Interpretibus ceu adjectiva conſiderari. Sic ſaltem cl. *Kypke obſervat. ad Rom. loc. cit.* eam capit, ſubintelligens θυμα, vel ſimile quid. Exinde ſequeretur, Hebræorum כפרת, פרכת & alia pariter inſtar adjectivorum duntaxat conſideranda eſſe, quod tamen vel tyro audacter negabit. Sed, ut ad græca revertar, mihi ejusmodi voces, in ηριον de-

juſſus erat ſpargere: *ita* Chriſtus ſuum ſanguinem ſemel tantum ſparſit & effudit. b.) Ut Pontifex non deorſim, ſed ſurſum ſanguinem ſparſit: ſic Chriſti ſanguis non deorſim dicendus eſt, ſeu in terram ſparſus, ſed iſte ejus ſanguis, ſeu redemtio (cauſa pro effectu poſita) potius ſurſum adſcendit in cœlum ad ἱλαστηριον, cui Deus Pater inſidebat. c.) Sanguis *ſuper* propitiatorium ſparſus ibi videtur hæſiſſe, nec in terram ceciditſſe:

deſinentes, omnino videntur generis eſſe ſubſtantivi. Semper enim abſolute poſitæ occurrunt, numquam alii ſubſtantivo ceu adjectivum junctæ. Exempla quædam rem manifeſtabunt, & 1.) quidem in S. Litteris obviæ ſunt θυμιατηριον *Hebr.* IX: 3, qui locus vel ſolus docet, θυμιατηριον ſubſtantivum eſſe; eſt enim ipſi adjectivum *junctum* χρυσουν. Sic in S. Script. occurrunt quoque voces θυτικτηριον, noſtrum ἱλαστηριον, ποτηριον, δεσμωτηριον, *carcer* & aliæ. 2.) Ex ſcriptoribus vero profanis nota ſunt χαριστηρια, i. e. dona ἱλαστικα (vid. *Marmor Eſtonianum*, auctore *J. Nixon.* Londini 1746. 4^to^) φοιτητηριον, *ſchola*, αθροιστηριον, *ſacellum*, κοιμητηριον, λυτηριον φονιον *ſanguis porcelli cæſi aptus ad cædem expiandam* apud *Apollon. Rhodium*, Lib. IV. verſ. 74. Et quid aliud eſt quam ſubſtantivum, notum illud Græcorum vas luſtrale περιῤῥαντηριον dictum? Quod etiam ſub *templi* notione veniſſe, docet inſcriptio apud *Lucianum*, Tom. II. μη παρελθειν εἰσω περιῤῥαντηριον, ὁσις μη καθαρος ἐστι τας χειρας. Plura non eſt, cur addam.

diſſe; ſic etiam ſanguis Chriſti ſemel ad ἱλαστηριον, ſive ad Patrem allatus, ab eo receptus hæſit & probatus eſt, nec iterum in terram decidit, i. e. redemtio per Chriſtum ſemel facta & Patri, ut ita dicam, ad examen exhibita, non fuit ab eo reprobata & inſufficiens declarata, ſed recepta & ceu verum & legitimum λυτρον agnita. d.) Sanguinis ſparſio *ſuper* operculum propitiatorium præcedere debuit eam, quæ facta eſt *ante* propitiatorium, per quam, ut mox videbimus, intelligenda ſunt dona Spiritus Sancti; ſic etiam Chriſtus ſanguinem ſuum ante debebat ſpargere, quam mitti poterat Spiritus Sanctus; ante debebat Chriſtus abire, quam veniret ὁ παρακλητος, ut eſt *Joh.* XVI: 7. Cauſa enim ſemper prior eſt ſuo effectu. Prius igitur ſeſe debebat Meſſias Patri ſuo ſacrificium pro reatu offerre atque exponere, quam videret ſemen, ipſi, poſt feliciter peractam redemtionem dandum, *Jeſ.* LIII. e.) Huc quoque pertinet, quod loco noſtro dicitur, Pontificem ſanguinem debuiſſe ſpargere קדמה, *verſus Orientem.* Quemadmodum enim fideles ante diem הכפרים in caligine quaſi & tenebris, i. e. incertitudine ſalutis & continuo metu verſabantur, ſole, i. e. luce & vero gaudio deſtituti, cujus facti ſunt participes, poſtquam Pontifex Moſaicus ſanguinem dactylo ſuo *ſuper* operculum propitiatorium *Orientem verſus* ſparſe-

ſe-

ſerat ; ſic poſtquam Chriſtus ſuum ſanguinem obtulerat, *exortus eſt* ſol juſtitiæ, quo omnes veri credentes illuminantur, & tenebris erepti in lucem vindicantur. Quæ ſufficiant.

§. 7.

Videamus jam II. quid poſt ſanguinis *ſuper* propitiatorium adſperſionem Pontifex M. in S. adyto egerit. Textus, antea allatus, eſt: *ante illud autem operculum propitiatorium inſpergito ſeptem vicibus de illo ſanguine dactylo ſuo.* Nihil hic occurrit, quod remorari poſſet; quare paucis contemplabor rationes, propter quas Pontifex M. ſepties debebat ſpargere *ante* propitiatorium. Nulla quidem in lege de ſeptuplici hac ſparſione datur ratio; ſed commode admodum ſtatuitur, ſaltem haud absque cauſa, iſtam ſparſionem aliquid præfiguraviſſe. Quod quale fuerit, jam videamus. Sunt vero ſparſionis hujus, ut eos præmittam, characteres ſequentes: 1. Sparſio *ante* propitiatorium immediate illam excepit, quæ facta erat *ſuper* propitiatorium. 2. Largiore copia fieri debebat, quam prior, quum nimirum tunc ſepties ſpargendus eſſet ſanguis, antea vero ſemel tantum. 3. Altera hæc ſparſio non eſt facta *ſuper operculum* על לפני, ſed ſolummodo *ante operculum propitiatorium* לפני הכפרת adeoque 4. ſanguis eo magis debuit

in

in terram relabi, quod non factum eſt in priore ſparſione, ubi, poſtquam *ſuper* propitiatorium ſparſus fuerat, in eo hæſit. Supra §. 6. diximus, per alteram hanc adſperſionem præfigurata fuiſſe dona, quæ fidelibus N. fœderis a Spiritu S. eſſent conferenda, quod nunc ſequentibus demonſtramus argumentis. a.) Quemadmodum hæc poſterior ſpárſio illam priorem immediate eſt ſecuta, ita Chriſtus, poſtquam, abſoluto munere *Mediatoris*, cœlum, ex quo venerat, repetiiſſet, immediate Spiritum Sanctum, τον παρακλητον, *Johan.* XVI. primo ſtatim Pentecoſtis feſto Eccleſiæ ſuæ miſit, *Actor.* II. b.) Sparſio ſanguinis ſecunda largiore copia, שבע פעמים ſuſcipi debebat, ita dona Spiritus S. ſunt multivaria, quorum catalogum generalem Apoſtolus exhibet, *Galat.* V: 22. ad ea referens *charitatem*, *gaudium*, *pacem*, *iræ cohibitionem*, *benignitatem*, *bonitatem*, *fidem*, *lenitatem*, *continentiam*, quibus addenda ſunt, quæ relata leguntur *Actor.* II. c.) Sanguis in ſecunda ſparſione non ſurſum, ſed deorſim volvebatur; ita dona Spiritus S. ex cœlo deſcendunt ad militantem his in terris Eccleſiam. d.) Tradunt inter alia Judæi, Pontificem M. quando ſeptuplici ſparſione functurus erat, *inſtar flagellatoris*, כמצליף ſtantem ſparſiſſe, i. e. in adſperſione ita progreſſum eſſe, ut ſurſum prima vice adſpergens, ſecunda jam paullo

inferius ſpargeret, & ſic ſemper deſcendiſſe, donec ſeptenarium impleviſſet numerum. Sic etiam Spiritus S. dona ſua ſubinde effundit, quæ idemtidem ſolent deſcendere, donec in iſtis Eccleſia ad adultam pervenerit ætatem. Quæ vero Codicis Joma (e) de hujus ſparſionis modo relatio locum hic facile poteſt habere. (e. Tandem, quod ſepties præciſe Pontifex M. debuerit ſanguinem effundere, in eo præfiguravit Sanctum Spiritum, *qui dona ſua per ſeptem Eccleſiæ periodos diſtribuit & largitur. Quæ noſtram* in rem ſufficiant.

§. 8.

Hæc prima erat ſanguinis in ſancto ſanctorum adſperſio, quæ facta eſt cum ſanguine *juvenci*, ad expiationem peccatorum familiæ Pontificis M. inhærentium. Reſtaret nunc, ut functionem explicemus, quæ peragi debuit cum ſanguine *hirci*. Sed cum hic aliter non egerit Pontifex M. ac cum ſanguine juvenci, excepto, quod hæc ſecunda ſparſio in uſum cederet populi adeoque iſtius notio ex priore peti facile poterit, de ea hic recenſenda abſtineo, & pergo ad difficultatem tollendam, quæ forſitan regeri poſſet: quomodo nimirum Pontifex M. ita ce-

(e) *Cap. V.* §. 3.

celeriter pergere potuerit, ut interea non concreverit sanguis in adytum illatus, qualem non licebat offerre, quum sanguis concretus per naturam suam ineptus sit ad conspergendum; impossibile vero esse, ut tamdiu sanguis maneat recens. Ad quam difficultatem respondeo: 1. Sanguis, antequam eum Pontifex inferret, ita jam agitatus erat, ut tam cito non potuerit concrescere. 2. *Levit.* XVI: 18, 19. *præcipitur*, ut Aharon, *postquam*, *rebus omnibus in sanctissimo loco peractis*, *illo egressus fuerit*, de sanguine sumat horum animalium antea jam mactatorum, aliamque faciat, quæ ibidem legi poterit, expiationem. Quam vero sparsionem omnino censendus est cum sanguine pariter concretioni nondum obnoxio fecisse, quia non licitum erat res Deo offerre jam emortuas. Quo vero admisso, quum hic sanguis tamdiu recens manserit, quare non potuit ille quoque in S. Sanctorum illatus idem permanere? Eo vero magis, quod ejus sparsio prius facta sit, quam quæ præscribitur *vers.* 18. & 19. Accedit 3. Pontificem vel ob id solum censendum esse negotiis in S. adyto celeriter functum, quod hoc unico die multa adhuc restarent peragenda, quæ vix sinebant, ut summus sacerdotum in sacratissimo penetrali diutius moraretur.

§. 9.

§. 9.

Sic hanc de functionibus Pontificis M. in S. Sanctorum diatriben absolvi. Exinde facile constabit, eum semel tantum illud ingressum esse, nec ipsi necesse *fuisse* vices iterare, quoniam brevi temporis spatio omnia peragi poterant. Pauca igitur ב. subjungam de *tempore*, quod Pontifex M. istis functionibus insumsit. Hæc vero dum ago, præmonebo, *tempus non posse adeo adcurate determinari, ut vel hora, vel dimidia*, vel plus vel minus temporis exacte & ad punctum definiri queat. Hujus rei nulla sunt in sacris paginis vestigia, neque ibi lex invenitur præscripta, quantum præcise temporis Sacerdos M. adhibere debeat functiones *in S. S. subiturus. Hæc ergo Chronologia facillime poterit ex diversis hoc* die peragi *solitis negotiis* quodammodo constare. Quæ videamus. Observari vero velim, hunc diem הכפרים incidisse in diem decimum mensis Tisri, *Levit.* XXIII: 27. (f) qui mensis nostro respondet Septembri, adeoque eo tempore festum hoc celebrandum erat, quo jam multum essent dies ab-

(f) Secundum vero istius capitis versum 32. dies constituitur hujus mensis nonus. Sed hæc loca conciliat *Manasse Ben Israël* in *conciliatore*, *ad Deuter.* XVI. *quæst.* 130.

abbreviati, & ad ſolſtitium brumale magis, quam æſtivum declinarent, ita ut hic dies decimus ad ſummum tantum 13. horis conſtiterit. Sol enim, juxta receptum in Eccleſia Chriſtiana calculum, tunc temporis oritur hora circiter 6, & occidit hora 7, qua ex computatione iſta ſumma facile conſtabit. Quamprimum vero dies illuxerat, (g) Pontifex M. ſeſe accingebat ad præpara-

(g) *Judæorum traditio, Cod. Joma, cap.* 3. §. 1. *non poterit ſeſe tueri; ſpeculatorem* ſummo mane hujus diei (ſecundum *Sheringamium* quovis die) miſſum eſſe, qui attenderet, num jam ipſa diei lux advenerit. Qui, ubi illuxiſſet, clamavit; *Corruſcationes* ſcil. ſunt, i. e. *incipit jam corruſcare dies ſeu ſol, ita, ut & ad Hebron usque poſſim oculis meis penetrare.* Dixi, non poſſe hanc commentationem obtinere. 1. enim facile fieri poterat, ut Hebron, etiamſi haud procul ab Hieroſolymis fuiſſet ſita, propter nebulas, quæ hoc die inciderent, quod non erat impoſſibile, nullo modo eſſet conſpicua, ut adeo eo ipſo hæc Judæorum ſpeculatio nihil profecerit. Sed 2. Hebron urbs, licet non conveniant Geographi in definiendo ejus ſitu, dum alii eam volunt ultra quam 20. milliaria Hieroſolymis abfuiſſe, minus alii, tam procul tamen abfuit, ut eam vix credam Hieroſolymitanis patuiſſe. 3. Licet a Geographis hæc urbs in monte collocetur alto & præ multis aliis eminente, non tamen potuit Hieroſolymis conſpici, quia ſecundum optimos Geo-

parationem eorum, quæ hoc die ipſi erant peragenda. Nos hic non omnia ſpeciatim recenſebimus, unicum hoc obſervaſſe con-

Geographos inter duas haſce urbes non ſolum alia oppida, ut Etam, Tecoa, Bethſur fuerunt ſita, verum & vallis Rephaim & montes. 4. Etiamſi vero nulli montes aut urbes interfuiſſent, ſed continua planities ab Hieroſolymis ad Hebron usque, hoc tamen conſtat, circa Hieroſolymam fuiſſe montium contiguitatem. Vid. *Pſalm. CXXV*, & *Wildeb. ab Oldenburg, Itiner. in Symmictis L. Allatii.* Adeoque, ſi quis adhuc contendere vult pro hac traditione, nihil ſupereſt, quam ut ſtatuatur, aut ſpeculatorem ad ſpeculandum miſſum arcem Tzionis conſcendiſſe, (qui omnium altiſſimus locus in urbe fuit, κατ' ἐξοχὴν ἡ ἄνω πολις dictus) aut urbe egreſſum montium quemdam circumjacentium. Tertium vero non datur, niſi quod, ſecundum Maimonidem, in templo fuerit locus editus, quem adſcendiſſet ſpeculator. Quod vero ſi admitteretur, Judæi ſibi ipſi contradicerent. Non enim tam altus & editus locus in templo erat, ut ex eo, in medio Hieroſolymorum, ſuper montes circumjacentes ad Hebron usque potuiſſet penetrari. Sed nec facile admitti poteſt, ſpeculatorem urbe egreſſum eſſe, montemque conſcendiſſe, quoniam nimis magnum temporis ſpatium præterire debuerat, antequam reſponſum ferret. Adde jam 5. Sacris in litteris hac de ſpeculatione nihil exſtare, & diei adventum facile cognoſci potuiſſe, absque ut expreſſe ſpecularetur.

tenti, eum, quamprimum dies illuxerat, sese lavisse inque balneum descendisse, licet non toties crediderim, quoties volunt Judæi, (h). Dein lavacro egressus, igni adsidens

(h) Mirum est viros doctos non attendisse, qui Commentariis suis adgressi sunt Mischnam Joma illustrare. Legitur ibi cap. 3. §. 3: חמש טבילות ועשרה קדושין טובל כהן גדול quam commentationem omnes ita intellexerunt, ac si esset: *Sacerdos Magnus quinquies lavabat & decies sanctificabat*, scil. manus & pedes, ut ex *Sepher Hachinnuc Paras. Tissa* hoc adserunt. Juxta hanc ergo scripturam Pontifex M. sese quindecies lavasset; manus enim sanctificare idem est ex stilo scripturæ V. T. ac manus lavare. Sed nonne poterit locus ita verti: *Sacerdos M. quinquies lavabat*, scil. generalius consideratus, nimirum *quinquies manus & toties pedes suos*, quæ duæ specialiores lavationes si secum multiplicantur, *decem* constituunt. Quando vero locus sic sumeretur, omnis evanesceret difficultas, quæ oboriri posset Codicis hujus lectori. Et ita ipsum sumendum esse, inde constabit, quod nullo modo quindecim lotiones Pontifici incumbebant, ut &, quod particula ו in ועשרה verti potest *id est*, uti sæpe sic occurrit. Conf. præter *Noldium*, Ven. *Heumannus* pag. 299. part. 1. *Erklärung des Neuen Testaments*. Nihilominus tamen fateor, neque decem me audere Pontifici dare lotiones. Cur enim toties sese lavasset? Sed hæc tanti non sunt.

ſidens corpus calefaciebat, veſtes mutabat, & poſt quædam alia negotia, hircum, cui ſortem injiciendo pariter nonnihil temporis tribuebat, mactabat, uti & juvencum, ſeque adeo præparabat ad opera in S. Sanctorum adgredienda. Jam vero vix anguſtius temporis ſpatium hæc omnia videntur poſtulaſſe, quam tres horas, ita, ut jam tertia diei hora, ſecundum nos, nona matutina adeſſet, priusquam, quæ ipſi in S. adyto abſolvenda erant, adgredi poterat.

§. 10.

Dum deinde Pontifex M. ſeſe accingeret ad ſuffitum in S. S. adolendum, omnino quoque concedendum eſt, eum, tum præparando, tum adolendo, tum denique, donec ſe fumus explicaret, ad minimum dimidiam horam inſumſiſſe; adeoque ſemiquarta, juxta nos, ſemidecima hora antemeridiana jam erat audita, donec S. penetrale fumo ex ſuffitu orto impleretur. Quod ſi ergo tunc reapſe ingreſſus eſt, non diutius in eo verſatum eſſe crediderim, quam dimidiam horam, ita, ut, ipſo egreſſo, jam quarta, ſeu, uti nos, decima fuerit audita. Hora igitur decima, quæ hoc die ipſi adhuc reſtabant, peragere incepit. Quæ fuerunt I. Sparſio ſanguinis duorum animalium ad cornua altaris circumquaque, &, quæ cum

ea conjuncta erat, expiatio. II. Confeſſio peccatorum capiti hirci adhuc vivi impoſita, hujusque in locum deſertum ablegatio. III. Depoſitio veſtium peculiarium, &c. IV. Lotio corporis in loco Sancto, & V. Oblatio holocauſti, &c. Quæ omnia ſimiliter trium ad minimum horarum ſpatium poſtularunt, adeoque Pontifex ſtatuendus eſt ad horam 7 vel 8, juxta noſtrum computum, 2 pomeridianam *hoc die continuo & interrupte ſacro cultui vacaſſe.*

§. 11.

Sic vidimus diverſa negotia, quæ unico hocce die Summo Sacerdoti peragenda erant. Exinde jam conſtabit, eum ſemel tantum *S. S. ingreſſum eſſe*, & *in eo* res ſuas celeriter & absque iterato ingreſſu peregiſſe. Poſſent quidem, quæ huc usque diſputavimus, ulterius adhuc confirmari, uti e. gr. exinde, quod Vir, qui hircum in deſertum abduceret, eo ipſo die caſtra videtur repetiiſſe, ſecus ac Judæi commentantur, nec non ex ipſo deſerto, ad quod hircus deduci ſolebat; quia *Levit.* XVI. non ſimpliciter legitur מדבר, ſed, מדברה, cum ה locali, ut vocant: quaſi deſertum hoc fuiſſet præ aliis a Deo denominatum, & non procul ab Hieroſolymis ſitum. Sed hæc in præſentiarum ſufficiant.

V I.

VI.

ALMONII EPISTOLA AD PLONIUM

DE THEBÆA LEGIONE, CUM MAURITIO, PER MAXIMIANUM MARTYRIIS CRUENTIS SUBJECTA.

Edidi librum anno 1765, cui titulus est germanicus, latine sic inscribendum: *Christianus miles sub Imperatoribus nondum Christianis in historia ductoris tribunive militaris Mauritii & Thebaeæ legionis, martyrum commentitiorum.* Legisti eum ita, ut tibi & mihi de attentione tua gratuler. Non sum ex illis, qui nunquam alucinari queunt, qui nuspiam incurrunt, qui ab errore omni sunt immunes. Hæsitas ad *Anonymum.* p. 5. ubi significo, corpora & reliquias Martyrum jam sæculo VI, VII, VIII, IX. fuisse passim a præpostere devotis furto subducta.

Quam vellem non dubitares de causa, millennis e testimoniis patente. Jam liceat te ad *Amulonem* Archi-episcopum Lugdunensem ejusque epistolam primam delegare, quam Tom. II. Operum *Agobardi* evulgavit STEPHANUS BALUZIUS, Parisiis 1665, 8. Traditur ibi, duos, qui se dixerint esse monachos, furatos esse ex Italia cujusdam Sancti ossa, cujus nomen lateat, ad quæ multus hominum numerus in templum b. Benigni Divionense confluxerit veneranda: & ad quæ contigerint variæ muliercularum convulsiones & elisiones, quibus nomen miraculorum fuerit impartitum. *In ipsa orationis domo cadere, concidi & quasi vexari visæ*, licet in nulla corporis parte fuissent læsæ. Theotboldus, Episcopus Lingonensis, dedit consilium ac suasit, ut ossa illa, e loco sacro remota, extra templum in atrio vel sub pariete clanculum a paucis conscriis sepelirentur. Emotionum causa fuit mox in lucem protracta. Deprehensum fuit re ipsa, homines illos se finxisse dæmoniacos lucri causa, ideoque verberibus fuisse plexos, ac confessos esse, egestate se ad hasce simulationes fuisse adactos. En furta! en miracula! en fraudes! en viri recte sentientis consilium. Ubi Theotboldi prudentia fraudes non exquisivit ac damnavit, non solum ossa Martyrum falso sic dictorum, sed diplomata etiam falsa ad sedes Martyrum pin-

pinguiores fuerunt adjuncta. Erant, qui Conradum II, Romanorum Regem, compellebant ad Abbatiam Visbeccensem Corbejensibus tradendam. Hi composuerunt diploma, quod Rex anno 1147. publicavit, editum a FALKIO in *Traditionibus Corbejensibus* p. 906. Ut Abbatiam sibi adquirerent illam viri —— supposuerunt Ludovico Pio diploma, quod apud SCHATENIUM *Annal. Paderborn.* Tom. I. p. 67. legitur. Monogramma illico prodit suppositionem. En recognitionis formulam: *Durandus ad vicem Helirarchar recognovi.* Sigilli locus fraudem aperit. Imperator in linea prima vocatur AUGUSTUS. Stilus est specimen miseri scribæ, ævo Ludovici Pii prorsus incongrui, Comes Schaumburgicus obstitit quæsitoribus, ac dolum tandem reddidit manifestum. Abbatissa sic Visbeccensis cum virginibus suis vindicavit sedem suam, quam generosæ Virgines in hunc usque diem pro dignitate retinuerunt & exceperunt haud paucæ. En dolum alterum! nonne bonum? Mones, Amice, duas me tribuisse Mauritio lanceas, quarum prior tamen ad Mauritium haud possit referri. Respondere mihi liceat, priorem per Henricum Aucupem a Rege Burgundico fuisse acceptam; posteriorem Conrado, Germaniæ Regi secundo, ab alio Burgundiæ Rege fuisse missam: illam insignia imperii ornasse; hanc regni Burgundi-

ci, tandem cum imperio noſtro conjuncti, fuiſſe inſigne. Si quid rectius his noſti, id candide mihi impertias velim. Mones ſolide ad p. 50. JOANNEM JACOBUM HOTTINGERUM Thebæam legionem ejusque Martyrium haudquaquam putaſſe fide indignam eſſe. Salubriter & recte ſic mones. At noli improbare id, quod regerendum mihi & reſpondendum exiſtimo. Addideram in marginis ora hoc: Sic ſenſit JOANNES LAURENTIUS MOSHEMIUS. Senſit is ita in *Commentariis de rebus Chriſtianorum ante Conſtantinum Magnum ſect.* III. §. 22. Poſteriori ex cura mea fluxerunt meletemata, quæ p. 10. ſ. leguntur. Ex eodem fonte hauſi, ſero ſatis, quæ leguntur p. 322. ſ. Exime igitur hunc *Hottingerum* numero eorum, qui, Thebæam legionem ad Agaunum martyrio coronatam eſſe, négarunt. Ad lineam primam p. 62. monendum mihi eſt, *Grotium* ibi legi, at GRÆVIUM eſſe legendum, prouti ex p. 64. *lin.* 17, 18. intelligitur ſatis evidenter. Confer, quæſo, p. 65. *lin.* 6. Potuiſſem p. 76. numum Marci Antonini Philoſophi vel delineatum exhibere vel deſcribere, quo pluvioſus Jupiter effictus fuit, victoriæ ex Marcomannis reportatæ index. Significas mihi porro, Amice, mihi *Commentarios* MOSHEMII *de Rebus Chriſtianorum ante Conſtantinum Magnum* jam probari & in teſtimonium produci p. 113, quum non ita multo poſt

ipſe

ipse fassus fuerim, eos nondum in manibus meis versari. Intelligis procul dubio, Amice, me, scripto meo ad umbilicum adducto, inter relegendum jam consuluisse Commentarios illos. Nisi fallor, id ex p. 97. 145. luculente intelligitur. Ad p. 133. mones, unum fuisse duntaxat Eucherium, eumque Episcopum primarium Lugdunensem. Ignosce, obsecro, Amice, si, quantum ad *Legendam de Thebæa legione* adtinet, rationem habui tam eorum, qui unicum, quam illorum, qui duos existimant Eucherios Lugdunensibus Christianis præsediss̃e. Nonne opinionibus partis utriusque mihi fuit occurrendum? In manibus est JOANNIS ALBERTI FABRICII *Bibliotheca mediæ & infimæ ætatis*, quam DOMINICUS MANSI multis cum suis accessionibus recudendam *Patavii* curavit. Intellexi ex *Mansi* adnotationibus, doctissimum illustremque virum in eo fuisse totum, ut unicum Lugduno daret Episcopum, cui fuit *Eucherii* nomen. ROBERTUM BELLARMINUM, *de Scriptoribus Ecclesiasticis* commentatum, jam de eo, an uterque *Eucherius* sit admittendus, dubitasse, habeo compertum. Quæris, cur *Agaunum* non prorsus putem locum esse eum, qui nunc in terra Valesiæ ad Rhodanum a *S. Mauritio* nomen trahit. Non vacat jam argumenta percensere, quibus inducor, ut credam, Fanum S. Mauritii partem non omnino omnem

nem explere, in qua olim stetit jacuitve Agaunum. Id merito notasti, quod mortem Sigismundi Burgundiæ Regis ad annum 585. vidisti relatam *p.* 136. *lin.* 19. Quam vellem, hoc mendum typotheticum ibi haud irrepsisset. Nam Rex ille Segericum filium jussit occidi anno 522, & captivus in Franciam fuit a. 523. abductus, & Aureliæ a. 524, quæ CAROLI LE COINTE est sententia, e vita discessit. *Marius & Gregorius Turonensis* annum 524. *neci Sigismundo, uxori* præterea *liberisque ejus in urbe Aurelia* illatæ, adfixerunt. Verba ipsa utriusque scriptoris cum lectoribus communicavit COINTIUS in *Annalibus Ecclesiasticis Francorum p.* 336. s. Typotheta igitur meus numeros vitiavit. Ad *Eucherium* revocas attentionem meam, Amice, monens, mortem ejus ultra annum 451. ineuntem differri non posse. Delegas me ad SAM. BASNAGII *Annales politico-ecclesiasticos Tom. III. p.* 397, *b.* Mones, Synodo Arausicanæ, ad annum 529. referendæ, interfuisse Eucherium præsulem; annum illum a *Basnagio* fuisse argumentis firmis superstructum. Bene sic mones. Si enim hic *Eucherius* fuit Lugduni Archiepiscopus, non potui quin duos in præsulatu Lugdunensi Episcopos primarios existimarem eminuisse. De *Synodo Arelatensi* III. & IV. non est, quod exponam hoc loco, siquidem ad tertiam hæret & fluctuatur *Basnagius*, ratio-

rationem haud videns, cur conventus, in quo Faustus Lucidum ad damnandam Prædestinatianorum hæresin compulit, dici possit Arelatensis. Eutropium in conventu illo conspicor Episcopum, immo in subscriptione Synodi Arelatensis, quam adpellant quartam; Eucherium *non* video. Annum definivit utriusque conventus 475. Basnagius. Meum jam non est ingredi Oceanum hunc satis turbatum, quem CAROLUS LE COINTE cautissime evitavit. *Relationem de martyrio legionis Thebææ, in Bibliotheca Luneburgici* Senatus obviam, a ceteris oppido diversam, ab amico communicatam, editurus sum alias, ut intelligatur, quantum olim Monachi sibi licere putaverint in Legendarum conscriptionibus. Mones porro, Amice, *obscurum tibi id esse, quod p. 176. legisti, Episcoporum Romanorum fuisse*, communicare cum præsulibus Galliæ aliisque testimonium suæ Orthodoxiæ, quam primum ipsi essent electi. Ignosce, quæso, quod ibi non delegavi lectores ad BALUZII *Notas in Agobardum* p. 29. Tom. II. *Operum*. Præsules enim illi, teste *Agobardo*, in Synodis explorabant testimonii illius consensionem cum litteris sacris & legitimis ecclesiasticis canonibus multo diligentissime. Mones tandem, me non videri satis certum de eo fuisse, quod in *Eusebii* collectione de MARTYRIIS VETERUM olim fuerit traditum

p. 229.

p. 229. Nonne intelligis, ironiam subesse? Vidisti enim, nisi fallor, copiose de eorum argumento exposuisse p. 352. s. Scripsi, HOTTINGERUM non denegasse fidem Martyrio legionis Thebææ p. 262. Congruenter rei ipsi sic scripsi. Ad monitum tuum jam supra respondi. Dum me mones, ut argumentis in medium adlatis te doceam, quid sint *tertia*, *sexta*, *nona*, officium mihi imponis novum, postulans, ut ostendam loca, e quibus evidenter pateſcat, *subaudiendum* esse nomen *hora*. Morem postulato tuo geram, eo quod scribis, tibi CAROLI LE COINTE *Annales Ecclesiasticos Francorum* haud esse ad manus. Accipe igitur & lege hunc locum, ex RADULPHI *Decani Tungrensis* Libro *de Canonum Observantia*. Ibi propositio decima quarta sic orditur: *Sancti Patres per Psalmodias observabant quinque horas, scilicet vigilias noctis, vesperam, tertiam, sextam & nonam*. Locus hic omnem tollit dubitationem, adlatus a *Cointio* ad a. 536. p. 464. Regulæ Tarnatensis sive Agaunensis idem scriptor exhibuit nonum caput, quo horæ psalmodicæ eodem modo exponuntur. *Ibidem* p. 544. Cur plura repetam, ratio mihi liquet nulla. Siquid præterea Commentario meo inesse intellecturus es, quod limam vel retractationem exigit, id ne me celes vel notitiæ meæ subtrahas, vehementer te rogo. Nosti enim, me sinceritati stu-

studioque historiæ expurgatæ adeo favere, ut erratis, siqua admisi, nequidem parcam. Ita vale.

P. S. Instas tandem monendo, quum litteras jam concluseris, & nihilominus nondum potuisti adquiescere. Existimas, locum *Dionis*, quia ex *Xiphilini* epitome desumtus est, confirmandum fuisse ac fulciendum alia scriptoris ethnici auctoritate. Si id postulas serio, ad ipsum *Antoninum* ejusque numum mihi est confugiendum, quem exhibuit *Baronius* ad a. 176. n. 24. In eo adparet Jovis pluvii imbres dantis imago. In aliis numis visitur imago Mercurii, qui adnuit precibus Marci. Si tibi auctoritas Augusti sufficere haud videtur, *Themistius* te docebit, Antoninum Jovi admovisse preces suas, ac ejus in imagine descriptam fuisse picturam cum militibus, qui imbrem galeis exceperint. Vidit ipse *Themistius* hanc imaginem, in eo tamen alucinatus, quod in ea *Antoninum Pium* sibi visus est deprehendisse. Obmoliris, Amice, mihi *Marci Antonini* rescriptum, *ad Commune Asiæ* datum, arbitratus, hoc ipso doceri, Marcum post victoriam ex Marcomannis reportatam in Christianos redditum fuisse mitiorem, prouti *Tertulliani* ex testimonio vel potius clarum sit & manifestum. Respondere liceat, Tertulliano incognitum fuisse rescripti illius dimissi annum ac ipsum erravisse, dum illud victo-

victoriæ illi subnectere haud dubitavit. Epistolam Imperatoris illam, *ad Commune Asiæ* datam, VALESIUS recte *Marco Aurelio* vindicavit: & ad annum 164. probabilissime retulit SAMUEL BASNAGIUS. Plura in editione Cantabrigiensi, a. 1720. adornata, leguntur ad EUSEBII *Hist. Eccl.* IV, 13. Si ANTONII PAGII accurata me tuear disquisitione, otia mihi facere visus sum. Res enim ipsa commentario digna est & indiget copiosiori. *Tertullianus* in causa est, ut *Eusebius* rescriptum illud *Augusti victoriæ de Marcomannis* subjunxerit. Non est, quod suspicaris, me non satis multum fuisse in Patrum primorum orthodoxia prædicanda. Noli, quæso, hoc vitii in me insedisse, arbitrari. De universis enim ecclesiæ primae doctoribus non disserui. Cum eis, qui historica scriptis suis immiscuerunt vel ex professo tractarunt, mihi res fuit. Videor tibi tandem, Amice, Patribus primæ ecclesiæ christianæ multum honoris detraxisse, siquidem *p.* 100. significavi, ex eorum scriptis statum christianismi aetatum primarum cognosci, nec non arma, quibus ipsi usi sint ad errantes adversarios refellendos. At amabo te, nonne ex hisce verbis dilucet, me tribuisse eisdem veram Christianam doctrinam. An enim aliud quidpiam ipsi advetsus errores adversariorum propugnarunt? Id utique monui, pronunciata eorumdem esse ad lapidem di-

vi-

viniorum litterarum lydium examinanda. An in hoc peccavi? Fateor tamen, JOANNEM DALLÆUM, *de vero usu Patrum*, interdum ultra terminos fuisse divagatum, ac meliora tradidisse, ad rationem dogmatum Patribus primis probatorum adtinentia, in libro *Nouveauté des traditions de l'egliſe Romaine*. Nosti præterea, THOMAM ITTIGIUM Oratione, qua munus Theologiæ docendæ extraordinarium Lipsiæ capessivit, refelliſſe MATTH. SCRIVENERI *Apologiam pro S. eccleſiæ Patribus*, *Dallæo* oppositam. At cur plura addam? Plura enim non obmonuisti. Vale igitur iterum iterumque.

VII.

JO. THEOPH. ELSNERI,

V. D. M. ET

PASTORIS ECCLESIÆ FRATRUM BOHEM. BEROLINENSIUM,

DISQUISITIO THEOLOGICO-PHILOLOGICA,

DE

ADMIRABILI ECCLESIÆ DEI CONDITIONE IN MEDIO PERSECUTIONUM ET AFFLICTIONUM SQUALORE,

AD

PSALM. LXVIII. 14.

אִם־תִּשְׁכְּבוּן בֵּין שְׁפָתָיִם כַּנְפֵי יוֹנָה נֶחְפָּה
בַכֶּסֶף וְאֶבְרוֹתֶיהָ בִּירַקְרַק חָרוּץ׃

§. 1.

Inter difficilia illa verbi divini effata, quæ in præcellentissimo Psalmorum Davidicorum codice reperiuntur, & quæ præstantissi-

tiſſimis Sacrarum literarum Interpretibus nunquam non permultùm faceſſiverunt laboris, haud dubie & hicce noſter Textus ſacer locum ſuum habet; quamobrem etiam a nonnullis tam antiquis quàm recentioribus S. Codicis indagatoribus *crux Interpretum* nominatus fuit. Quivis Interpretum facile quidem videt, Deum hic per Prophetam ſuum populo ſuo aliquid jucundi & pulchri prædicere, præſertim tempore anguſtiarum & calamitatum; aſt hoc indagatoribus S. literarum non parùm creat curarum, quid nonnullæ hic obviæ loquendi rationes in ſe contineant, undeque deſumtæ ſint. Vox שְׁפָתַיִם tam multis fermè interpretandi diſcrepantiis obnoxia eſt, quam multi eam enucleare auſi ſunt Viri docti. Quare *Columbæ* hic memoratæ *alæ* duplici indigitentur nomine, כנפי יונה & paulò poſt אברותיה, multis vel intactum manſit, vel non ſatis idonee illuſtratum eſt. Vocis בירקרק interior ſenſus fermè nullibi in Commentariis exhibitus & enucleatus deprehenditur; atque ita & totus hicce locus propheticus multa adhuc laborat caligine, quæ niſi idonea aliqua interpretandi ratione remota fuerit, vix unquam pulcherrimus hicce & ſolatio plenus ſermo propheticus in genuina ſua conſpicietur elegantia.

§. 2.

Senſum propheticum hic eruere, & monſtrare, quodnam ſive veteris ſive novi Fœderis hic intendatur tempus, mihi nunc non licet, (*) utpote qui nihil aliud oſtendere velim, quam quisnam genuinus ſupra allegatorum verborum propheticorum ſenſus ſit, & quid unumquodque fermè hic obvium verbum elegantiæ philologicæ in ſe contineat & nobis porrigat. Hanc proinde ob rationem א) diverſas effati noſtri prophetici verſiones adferam, & ב) quid ego hoc de negotio ſentiam, dicam.

§. 3.

א) *Difficultates, quæ effatum noſtrum* propheticum multifariàm premunt, Interpretes S. literarum tantopere torſerunt, ut fermè omnes dubii hæſerint, nec certi ac

(*) Hæc & ſimilia huc ſpectantia uberius proſecutus ſum in Diſſertatione mea Philologico-theologica, quam An. 1742. Lugduni Batavorum, hoc ſuper dictum propheticum publici juris feci & tribus vicibus ſub præſidio Cel. JOH. VAN DEN HONERT defendi. Ea, quæ hic ſequuntur, pauca tantummodo memoratæ meæ Diſſertationis excerpta ſive præcipua contenta exegetica ſunt.

ac liquidi quidpiam pronunciare ſuſtinuerint. Hinc multa illa ac magna in eo vertendo diſcordia originem trahit; ideo tantas diſſenſiones ac lites inter eruditos paſſim obvias regnare deprehendes. *Id* ut evidentiori conſtet ratione, diverſas diverſorum Interpretum verſiones exhibere mens eſt. Antiquiſſima Hebræi Codicis verſio, LXX. Interpretum dici ſolita, effatum noſtrum *Pſ.* LXVII. 13. (*) ſic rèddit: Ἐὰν κοιμηθήτε ἀναμέσον τῶν κλήρων, πτέρυγες περιστερᾶς περιηργυρωμέναι, καὶ τὰ μεταφρένα αὐτῆς ἐν χλωρότητι χρυσίου. Hanc ad verbum expreſſit verſio, quæ *vulgatæ* nomine venire aſſolet, quæque communi conſenſu maximè ex LXX. tranſlata cenſetur: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ*

(*) Verſioni LXX. virali & Latinæ vulgatæ Pſalmus LXVIII. eſt numero LXVIImus. Ratio diſcrepantiæ hæc eſt: ſolent Græci & Latini Pſalmos IX. & X., nec non CXIV. & CXV. conjungere, & ex illis binis unum Pſalmum componere; & ut numerus Pſalmorum nihilominus eſſet completus, ſolent Pſalmos CXVI. & CXLVII. ſingulos in duos diſcerpere. Quare præter 8. priores & 3. poſtremos Pſalmos nulla conſtans numeri invenitur cum aliis verſionibus concordia. Hæc numeri diſcrepantia etiam in ſcriptis Patrum eſt uſitata, atque ideo probe obſervanda, ne quis Pſalmos a Patribus male citatos eſſe arbitretur.

columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri. Tremellius & Junius huncce versiculum sic vertunt: *Etiamsi jacueritis inter duas strues lapideas, eritis similes alis columbæ tectæ argento, cujus pennæ sunt ex fulvo auro effosso.* Biblia latina ex Sebastiani Castalionis recensione ita convertunt: *Etiamsi jacueritis inter cortinas, similes columbinarum eritis alarum, argentei coloris, plumis in aurum virentibus.* Pagninus & Arias reddunt: *si accubueritis inter tripodes, pennæ columbæ tectæ in argento, & alæ ejus in flavo auro.* Antiquior versio gallica hoc modo effert verba prophetica: *Quand (bien) vous auriez couché entre les chenets arranges, (si serez vous comme) les ailes d'un pigeon couvert d'argent, & duquel les ailes (sont comme) jauneur de fin or.* Alia item gallica reddit: *si vous avez été gisans entre les foyers, vous étés maintenant comme les ailes d'une colombe couverte d'argent, & dont les plumes sont jaunies d'or.* Interpretes Belgici habent: *Al laegt ghylieden tusschen twee ryghen van steenen (soo zult ghy doch worden als) vleugelen eener duyve, overdekt met zilver, en welker vederen zyn met uitgegravenen geluwen goude.* Germanica Lutheri versio hæc est: *Wenn ihr zu felde lieget, so gläntzets als der tauben flügel, die wie silber und gold schimmern.* Polonico & Bohemico idiomate exhibitum: *quamvis jacere debueritis inter*

abe-

abena, (*attamen eritis*) *ſicut columba*, *habens pennas deargentatas*, *& cujus alæ inſtar flavi auri.* Sed ne nimia diſcrepantium verſionum congeſtione alicui tædium creem, pedem figo, & tantummodo moneo, permultas adhuc adferri potuiſſe contextus noſtrī interpretationes nunquam non diſcordes, ſive in hac illave voce convertenda, ſive in ellipſi, omnium conſenſu neceſſaria, rectè conſtituenda, ſive denique in ipſa conſtructionis ratione. Quod tamen nodum maxime implicat, eſt abſtruſior vocis שְׁפָתַיִם uſus, quippe qui, in ſacris veteris Fœderis monumentis rariſſime obvius, difficilioris indaginis eſt, unde etiam plurima in ejus ſignificatu figendo diſſenſio apud Interpretes obtinet; ut cuivis in allata hac ſuper re diſſidia contuenti nullo negotio manifeſtum evadet. Quæ cùm ita ſint, eò major nobis adhibenda erit cura, ut non tantùm ſingularum vocum liquida, quantum pote, conſtet ratio, verùm etiam de nativa conſtructionis virtute, & firma ellipſeos ſede res conficiatur.

§. 4.

Univerſalis fermè inter S. monumentorum indagatores viget conſenſus, *Pſalten* noſtrum heic per Apoſtrophen *electum* Dei

populum alloqui, multis quidem jamjam beneficiis & gratiæ Divinæ ſpeciminibus mactatum, ita ut in Deo ſuo gloriandi atque exultandi uberem nactus fuerit occaſionem, verùm qui etiam ob ſapientiſſimas, tametſi nobis mortalibus nonnunquam imperſcrutabiles, ſummi Numinis rationes, magnas multasque Dei Ejusque peculii oſorum injurias, crudelitates atque inde ſubnaſcituras afflictiones ſubinde perpeſſurus eſſet; haudquaquam tamen ita opprimendus aut derelinquendus, ut non ſemper in medio adverſitatum ac calamitatum lætæ liberationis ſpe erectus, interna ſua niteat pulchritudine, cujus decus atque majeſtas ſpiritualis ſive cœleſtis ſit originis. Id tota Cantici cohærentia & interior ejus indoles efflagitat. (*)

§. 5.

(*) Unus alterve Interpres hic cum Chaldæo oppoſitionem inſtitui mavult inter hoſtes Eccleſiæ ſordidos abominabilesque, & inter columbam Dei nitidam fulgentemque. Hæc *Cl. de Dieu in Crit. Sacr. animadv. ad h. l.* p. 147. non diſplicent: aſt mihi non placent, ut in uberiore mea *Diſſert. Lugduno-Batava ad h. l.* §. *XIV.* oſtendi; ubi ſimul dixi, nullo modo ſeſe comprobare poſſe, quod alii de *Evangelizantibus verbum Domini* hic cogitant, acſi hi noſtro commate compellarentur, *quiescentes* videlicet *in medio duorum Teſtamentorum*, ve-

§. 5.

Verbulo quoque præmittenda exigui ponderis quæſtio de *Perſona*, quæ hic loquens introduci debeat? Non morabor opinationem *R. Kimchi*, qui hæc verba uxorum ad maritos in prælium proditurus eſſe adfirmat, quandoquidem ea falſæ ſuperſtructa hypo-

 theſi

veteris & novi, & acquieſcentes veritati divinitus inſpiratæ. Contrarium enim & ſententiæ Chaldæi Interpretis & poſterioris hujus conjecturæ Bellarmini de *Evangelizantibus* ex ipſo contextu nullo negotio diſpici poteſt. Propoſuerat regius noſter Propheta in antecedentibus *ſingularem Numinis providentiam erga populum ſuum, cujus exempla & in majoribus ſuis habebant*, & recentia etiam nonnulla experti erant; quæ omnia largam eis depromebant materiam, in ſanctas Dei ſui laudes ac concelebrationes erumpendi. Cùm autem per ſapientiſſimam Dei voluntatem hoſtes ac perſecutores verorum Eccleſiæ membrorum, etiamſi fugati ac diſperſi, nondum tamen penitùs eradicati, aut omnibus viribus ſuis privati eſſent, non abs re metuere poterant, ne adhuc aliquando potentia eorum callidiſſima circumventi attererentur, aut ſaltem cladem ingentem perpeti cogerentur. Quapropter divinus noſter Pſaltes eos jucunda hac beat conſolatione: *ſi vos, o charum Dei peculium, jacueritis*, &c.

theſi (*), nulla prorſùs veroſimilitudinis gaudet ſpecie. Quæ multos nacta eſt Patronos ſententia fert, non inconcinnè verba vſ. 13. & nonnullorum ſequentium accipi poſſe tanquam ſummarium verbi evangelizati vſ. 12, quæ per mimeſin factam refert David, ut proinde ſub finem vſ. 12. ſupplendum ſit *dicentium*, cujusmodi exempla *Pſ.* II. 3. XXII. 9. XLVI. 11. occurrunt. *Id quidem abſurditatis aut certi erroris nomine accuſari nequit, attamen multo* limpidior & firmior videtur ratio eorum, qui id omne tanquam continuatam Davidis narrationem conſiderandum volunt; ut cuivis Textum authenticum inſpicienti continuò apparebit.

§. 6.

His præmiſſis ipſa contextus noſtri verba ב) aggredior, in iisque ſecundùm jamjam factam delineationem rimandis hanc ſectabor viam: I. *Triſtem atque afflictam nonnunquam fidelium conditionem depingere conabor.* II. *Admirabilem ejus faciem in medio perſecutionum & calamitatum ſqualore exhibere annitar.* *Prius* nobis ſuppeditabunt verba

אם־

(*) Hanc hypotheſin adduxi & deſtruxi in modo memorata mea Diſſert. de 1742. §. 7. not. (n) & §. 8. not. (q).

אם־תשכבון בין שפתים; *poſterius* inſinuabunt ſequentia: כנפי יונה נחפה בכסף ואברותיה בירקרק חרוץ.

§. 7.

I. In priori membro felicius diſcutiendo haud levi noſtra attentione indiget abſtruſiſſima illa vox שְׁפָתָיִם, quæ omnibus fermè Interpretibus crucem fixit. *Bis* ſolummodo, *ut plurimi obſervarunt*, *hac forma in* veteris Oeconomiæ tabulis exarata extat, hoc videlicet noſtro loco, & *Ezech.* XL. 43. Sed uterque locus eadem laborat obſcuritate; nam & Ezechielis locus tanta controvertitur diſcrepantia, ut ſatis ſuperque conſtare poſſit, *Interpretes ejus vix limpidi quidpiam in promtu habuiſſe.* Unde etiam non tam interiorem linguæ genium, quàm ſuam quisque conjecturam & priſcorum quorundam auctoritatem ſecuti deprehenduntur. Alii enim Junio accedentes *lapides focarios* intelligi autumant. Alii juxta Targum & Pagninum *uncinos* (ferreos ad ſuſpendendum carnem) ſignificari volunt, inter quos & Grotius nomen ſuum profeſſus eſt, quùm per *cremathras* i. e. *uncinos*, *unde carnes pendent*, vocem noſtram convertendam cenſuit; *qui vero* (addit Vir Illuſtris) *apud eos cubant*, *undique fœdari ſolent*: ſenſit videlicet Vir magnus, deſiderari *in* præſenti loco

loco vocem *aliquid fœdi ac ſqualidi in ſe involventem*, ideoque hanc ſuam interpretationem tutiſſimam ac percommodam arbitratus eſt. Iterùm alii cum Kimchio in libb. radd. per *chytropodas* i. e. *ſuſtentacula ollarum ad ignem in foco* reddendam jubent. Hic quùm nonnulli animadverterent, nondum ſatis idoneam vertendi materiam ſibi ſuppeditari, ad aliam recurrerunt formam מִשְׁפְּתַיִם, quæ itidem bis tantummodo proſtat, *Geneſ.* XLIX. 14. & *Judic.* V. 16., atque utroque loco de Iſaſchare adhibetur, qui priore loco a patre ſuo Iſraële in ultima ejus oratione, qua filiorum ſuorum fata ac conditionem prædicebat, vocatur *aſinus oſſis* רבץ *cubans* בין המשפתים *inter duos fines vel terminos* (*), ut vulgata habet, vel rectius, *inter duas ſarcinas, quales equis & aſinis ferendæ imponuntur*, ſic dictas a *certa diſpoſitione*. Poſteriori loco in ἐπινίκιῳ illo, quod Debora cum Baraco, poſt excuſſum jugum Cananiticum, ceciniſſe leguntur, Iſaſchar manſiſſe dicitur בין המשפתים *inter*

(*) Ad hunc ſignificatum reſpicientes LXX. verterunt κλήρων, & vulgata eos ſecuta *cleros*. Cæterùm lat. verſionem, & quæ Commentatores de duobus cleris commenti ſunt, indigna judicamus, quæ nos hic morentur. Pluribus eos refutavit *Cel. Rivetus Opp. Theol. Tom. II. p.* 262. *col.* 2. & *p* 263.

inter duos limites i. e. *ſepta vel clathra, ut audiret boatus gregum.* Sed nec hic reperire datur, cui quis jure acquieſcere poſſit, quùm & ſignificatus varie variis fixus, & forma longe diverſa multa creent incommoda. Non melioris notæ eſt, quod Chaldæus exhibet, cùm noſtrum שפתים eodem ſenſu accipit, quo אשפה *ſterquilinium*, atque ideo per קלקלתא convertit; neque hoc enim certo innititur fundamento, ſed vagæ ſolummodo conjecturæ natales ſuos debet.

§. 8.

Nec Syrus calculos ſuos ſatis congruè poſuit, cùm vocem noſtram πολυθρύλλητον vertit per ܫܦܝܐ ܕܦܝܢ, cujus ſingulare 2 *Cor.* XII. 7. ponitur pro σκόλοψ *ſtimulus, ſurculus;* unde hoc loco Erpenius vertit: *ſi jacueritis inter ſtimulos*; & Sionita *inter ſcobes*, nam verbum ܦܫ *polire, abradere* ſignificat, unde ܦܝܫܐ *ſcobes, quæ lima aut ſerra abraduntur*, ut ſit, *acervus ſcobium & ramentorum*, ex detritis lignis & lapidibus collectorum (*). Hæc talia ſunt, quæ nec Analogiam tenent, nec ullo modo contex-

(*) Vid. *Cl. de Dieu Critica Sacra p.* 147, 148.

textui noſtro applicari poſſunt. Ex quibus omnibus, ne reliquas eruditorum conjecta tiones inutiliter congeram (*), manifeſtò videre eſt, quanta ubique regnet fluctuatio, quæ & eruditiſſimorum ingeniorum ſint hallucinationes; quare nec mirum eſt, quod fermè tot diverſæ ſint procuſæ interpretationes, quot Virorum doctorum in hoc negotio ſunt molimina. Hoc non obſtante eò ferme omnium collineat opera, ut afflictum, triſtem & ſqualidum eccleſiæ hic compellatæ ſtatum nobis expingant, utpote quem & textus ratio, & verborum ſeries efflagitare videntur.

§. 9.

Schmidius tamen, qui a vulgari hoc conſenſu recedit, atque בין שפתים *inter ordines* reddit (**), mavult, ut „ Eccleſia „ benè ordinata, atque ſic in pace & exer„ citio divini cultus conſtituta ſignificetur; „ ſub qua notione propriè duo bene diſpo„ ſiti ordines numero duali efferrentur, „ quales in acie ſunt ala dextra & ſini„ ſtra, aut quales ſunt viſi bini exercitus „ Angelorum, *Geneſ.* XXXII. 2, 3. utrim„ que,

(*) Qui de iis ſollicitus eſt, adeat *Cl. Gejerum ad h. l. p.* 1170, & *Rivetum l. c. pag.* 261.
(**) *Commentario in Pſalmos p.* 307, 316.

„ que, imò undique etiam pios cingentes „ 2 *Reg.* VI. 17. *Pſ.* XXXIV. 8. ipſo Do- „ mino præeunte, vel & agmen claudente „ *Jeſ.* LII. 12. coll. *Exod.* XIII. 21, 22. „ & XIV. 19. " Hæc multo quidem ſtudio ſunt exornata atque expoſita, num autem phraſeologiæ noſtræ ſatis congruant, vehementer addubito. Ne enim nunc repetam, quæ ſuprà pro vulgari ſententia, de diverſa Eccleſiæ facie, triſti ac hilari, adducta fuêre, hoc tantummodo deliberandum propono, an ſatis benè ſe habeat, quod *inter ordines*, ut ipſe Schmidius habet, *jacere* idem ſit ac *ordinatum eſſe*, *& in hoc ordine pace ac tranquillitate frui.* Miſſa itaque & hac Schmidiana commentatione, ad rem ipſam penitius introſpiciendam nos accingimus.

§. 10.

Radix citra omne dubium eſt שָׁפַת, quod plurimi benè annotarunt, & ſignificat *ordinavit*, *diſpoſuit*. Hæc in ſpecie Pihel שִׁפֵּת indicat *diſpoſitionem cum habitu* (*), atque ita *firmiorem ſolidioremque*; unde cùm noſtrum שִׁפְתֵי propter tertiam radicalem du-

(*) Conſulendus omninò *Cel. Alb. Schultens Inſtitut. ad Fund. L. Hebr. p.* 262, 267.

duplicatam ortum esse appareat, non incongruè quis colliget, *dispositiones vel ordines firmiores* generatim voce nostra designari; qui autem pro locorum circumstantiis sunt dijudicandi. Nec est, quod quis formæ duali nimis anxie inhæreat, acsi heic nihil, nisi quod natura sua duplicatum est, intelligi debeat, quod olim Bellarminus (*) contra interpretationem Calvini (qui hic *ollas* intelligendas dixerat) objecit, *nomen* שְׁפָתַיִם *esse dualis numeri, ac proinde significare aliquid sua natura duplicatum, ollæ autem sint infinitæ.* Tametsi enim usus dualis numeri potissimùm in talibus obtineat, quæ natura duplicia vel bina constituit, attamen nec infrequens ejus observari potest ratio, qua res arte seu industria duplicatæ, in duplicem ordinem redactæ denotantur, cujus exempla in S. Codice passim obvia. Quod si cuipiam pomœria græcæ linguæ perlustrare mens esset, creberrimè talem dualis numeri usum deprehendere daretur. Hæc omnia satis limpida. Quod autem ad locutionem ipsam attinet, & unde illa sit desumta, in eo demùm omnis torsionis & dissidii deprehenditur origo.

§. 11.

(*) *De verbo Dei scripto l. II. c. 13. & Comment. in h. l.*

§. 11.

Communiter fermè Interpretibus hic arridet Metaphora a *calonibus* deducta (*), ut ſenſus ſit: „ Etiamſi per afflictiones adeò „ fueritis deformati, ut inſtar calonum vel „ lixarum inter ſtrues lapideas, aut inter „ chytropodas fuliginoſas jacentium nigredine ambiamini, eritis tamen felices rurſùs, ſplendidi candidique inſtar alarum „ columbinarum. " Parùm ab his diſcedunt, qui non ſine probabili ratione autumant, Spiritum S. hic ad oppreſſiones Iſraëlitarum in Ægypto alluſiſſe, ubi permoleſto ac fatigationis pleniſſimo lapidum formandorum opere onerati, ſæpenumero manu pedeque remiſſo intra lapides ordine diſpoſitos jacebant, quibus, ne evaderent, veluti ambiebantur: ac proinde ſummæ populi Dei oppreſſionis egregium eſſe potuit emblema. Nec deeſt ratio, quare hic illud applicari velint. Quùm enim in toto hocce Pſalmo ad peregrinationem & eductionem ex Ægypto haud ſimplici vice alluſio fiat, non mirum, ſi & hic Spiritum Dei eò oculum in-

(*) In hanc Metaphoram conſentiunt Vatablus, Junius, Piſcator, Genebrardus, Belgæ.

intendisse dicatur (*). Prioris autem metaphoræ ratio cum reliquis iis, qui vel ad *uncinos ferreos, è quibus carnes suspendebantur*; vel ad *sterquilinium*, vel cum Grotio ad *crematbros* recurrunt, nullo alio suffulcitur præsidio, nisi arbitraria aliqua conjectura, & ut ex lege ac vi oppositionis præcellentissimo illi, qui in sequenti commatis nostri membro indigitatur, splendori satis fœda ac sordida opponeretur Ecclesiæ conditio.

§. 12.

Majori itaque jure ac certitudine alii in significatu aliquo figendo rationem antecedentium habent, ubi de expeditione bellica, fuga, spoliisque actum erat, ac proinde vel cum Luthero reddunt: *Wann ihr zu felde lieget* i. e. *si castra metati fueritis*; vel cum Patrum doctissimo, Hieronymo, *inter medios terminos*, quod Mollerus (**) ita expo-

(*) Unicum hic opponi posset; quod, si Psaltes hic ad Ægyptiacas populi Dei circumstantias respexisset, haud dubie & in posteriori commatis nostri parte talia figurate adtulisset, quæ ab exitu ex Ægypto & eum insecuta clade Ægyptiorum desumta fuissent, non a pulchritudine columbina.

(**) Conf. Commentarius ejus in Psalmos ad h. l. p. 568.

ponit: „ ſi habueritis caſtra aut præſidia in „ limitibus conſtituta adverſùs incurſiones „ hoſtium, ita ut quotidie metuenda vo- „ bis ſint pericula; magis tamen fulgebit „ inde virtus veſtra. " Et profectò hæc vocis noſtræ vexatiſſimæ heic loci interpretatio magnopére ſeſe commendat, ac multis aliis conjectationibus dubiam reddit palmam. Eſt tamen unum alterumve, quod hic monendum reſtat. Non ſatis accuratè notio *diſpoſitionis* ſeu *ordinationis*, quam in noſtro שְׁפָתַיִם incluſam oſtendimus, ſtatim transfertur ad *manſionem caſtrenſem in agris*, prout Lutherus innuere videtur. Vel enim שפתים referri poteſt ad populum Dei, in caſtris ſuis adverſùs hoſtes excubantem; vel ad inimicos & oppreſſores ejus, multimodis inſultibus eum infeſtantes. Si prius præferatur, non tam בין שפתים *inter ordinationes* (*caſtrenſes*) quàm בשפתים *in eis diſpoſitionibus* (*militaribus*) *jacere*, *cubare* dici deberet gens electa. Quodſi autem poſterius præplaceat, nec ſic ſatis congruè phraſis noſtra per *manſionem caſtrenſem eccleſiæ* convertetur, utpote quæ in media ſua tranquillitate acquiete ab hoſtibus ſuis circumdari, atque ita inter *ordinationes* eorum *hoſtiles* jacere poteſt. Hieronymi tranſlatio, qui inter Patres aliàs hebraicè doctiſſimus cenſeri poteſt, craſſo errore noſtrum שפתים de-

ducit a שפה (*) quiesc. tertia ה, & cujus ש in siniſtro cornu punctatum, atque *labia*, *terminos* eo designari putat, contra omnem omninò Analogiæ rationem. Solum ת per dageſch forte duplicatum eum docere potuiſſet, ת ad Radicis perfectionem neceſſariò pertinere. Quùm autem ipſi *limites* ſive *termini* hic nullum capere poſſint locum, & ratiocinia eis innixa cum omni deductione metaphorica *inania ſunt habenda.*

§. 13.

Excuſſis aliorum ſcriniis nihil reperire contigit, ubi pedem tutò fugere liceret, quapropter noſtras nunc cogitationes, in quas incidimus, modeſtè proponemus, easque placido eruditorum examini ſubmittemus. Non malè ut opinor, ob rationes jam allatas & ex ipſo contextu hauſtas, hic in cenſum veniunt *hoſtiles* illæ *machinationes ac fraudes*, quibus Dei Eccleſia nunquam non impetitur. Vicit equidem ac ſubegit ele-

*) Radix ipſa in reliquiis Dialect. Hebr., quæ in ſolo Vet. Teſt. Codice extant, non reperitur, ac proinde quoque a plerisque Lexicographis intacta manet. Cel. Majo videtur olim ſignificaſſe *extremitatem & oram rei*, quam hodienum in Lingua Arabica شفا declarat.

electum Dei peculium in Capite ſuo glorioſo omnes ſuos adverſarios, confregit eorum vires, diripuit ſpolia, eosque turpiter in fugam conjecit, ita ut nullum amplius eis ſuperſit jus in electos Dei dominandi, nulla vis aut facultas eisdem nocendi. Ea tamen ſapientiſſimæ Numinis gubernationis eſt indoles, ut nonnunquam devictæ illi catervæ habenas laxet, atque in ſuos id concedat, quod ſanctiſſimis ſuis viis ac virtutibus maxime conſentaneum eſſe novit. Veritatem hujus rei omnis teſtata eſt ætas, ſacræ confirmant paginæ, tota denique in hiſce terris Eccleſia militans luculenter eſt experta. Quæ cùm ita ſint, non ſine ſumma ratione Benigniſſimum Numen cœtum ſuum ſubinde per Prophetas ac Apoſtolos commonefacere juſſit, ne unquam animum deſpondeant, ſed Divino ſemper auxilio freti nullam exhorreſcant inimicorum vim, imò & in mediis inde ſubnaſcituris afflictionibus ac ærumnis de admirabili ſuo decore ac ſplendore permanſuro ſint perſuaſiſſimi. Egregium lætiſſimi ejusmodi nuncii ſpecimen eſt, quod nunc præ manibus habemus, & in cujus enucleatione jamjam verſamur. Poſtquàm enim Propheta inter alia perinſignia beneficia vſ. 13. etiam fugatorum hoſtium mentionem injeciſſet, tacitæ alicui objectioni occurrit, quæ contra memoratam fugam inimicorum formari poſſet, quùm adverſi-

tates & afflictiones hostili illatæ manu Ecclesiæ supervenirent. Dixerat enim, *Reges exercituum fugerunt*, *fugerunt* (qua repetitione universalis fuga indicatur) *& quæ commoratur domi*, *partitur spolia* (quo plenissima victoria innuitur). Jam pergit vs. 14. *si etiam fuerit*, *ut* (sic permittente Numine) utrimque, ab omni *parte circumveniamini hostibus ac calamitatibus*, *nullam jam omninò sentietis noxam*, *nullam acquisiti vobis splendoris ac dignitatis imminutionem*; *imò tantùm abest*, *ut decora vestra imminuantur aut obfuscentur*, *ut potiùs in summo rerum discrimine maximè niteatis*. Quod pereleganti insinuat emblemate, post delineando.

§. 14.

Hinc sponte sua se dabit, quid per שפתים nobis veniat intelligendum. De *ordinationibus* aut *dispositionibus* constat, dijudicandæ solummodo pro rei nostræ circumstantiis. Hæ, ut ex dictis patescit, *hostiles persecutiones & eas insecutas afflictiones* exigunt, quas regius noster Propheta nonnunquam Ecclesiæ Dei superventuras prævideraț. Id jam nullo negotio nostræ heic voci applicari potest, quippe cujus generalis significatus *ordinandi* sive *disponendi* commodissimè ad *ordines militares*, seu *dispositiones bellicas*, quæ vel maximum requirunt ordinem, transferri potest.

Par-

Particulæ בֵּין uſus & poteſtas ſic quoque minùs coacta erit; quinimò tota ſeries vocum & rerum concinno decurret ordine. Et quùm שִׁפְתַּיִם vi *ſpeciei auctæ Pihlel*, ut ſuprà vidimus, denotet *diſpoſitiones cum habitu*, *inſtructiſſimæ* adverſariorum indigitantur *acies*, quæ multa arte & cura adverſùs montem Sionis educuntur. Si quis de ipſis *hic* indicatis hoſtibus Eccleſiæ anquirat, quinam præcipuè noſtro nunc loco intelligi debeant, *quùm S. literæ multas ac diverſas* electi populi Dei oppugnatorum ſpecies enumeret, haud cunctanter ſecundùm ſilum præmiſſum affirmare audeo, Prophetam noſtrum ſpeciatim ad eos montis Dei inimicos reſpicere, qui militantem Eccleſiam *externa vi ac robore humano* infeſtare allaborant, *eumque in finem omnes* ſuas opes, omnes animi corporisque facultates impendunt, ut aliquam, ſi pote, genti Deo caræ, & in Sanctuario ejus ſecurè verſanti inferant noxam, deque ſplendore ac ſeveritate, qua læte fruitur, omnem depellant nitorem, non abſimiles rapacibus illis ac voracibus alitibus, qui innocentiſſimo avium generi, columbis, nunquam non inſidias ſtruunt, easque indefeſſo inſequuntur conatu, ut ferocibus ſuis unguibus arreptos crudeliſſimo modo dilacerent atque conſumant. Hos Sacri & eccleſiaſtici ſcriptores *perſe-*

cutorum vulgò insigniunt nomine. Non diffiteor quidem, Ecclesiam Dei præter hos & multos alios habere inimicos, cum quibus crebrò acerba ei intercedit lucta, quales sunt *Spiritus tenebrarum cum toto suo exercitu*, quibus Apostolus *Ephes.* VI. 12. imperia & potestates adscribit; sed nostra nunc quæstio solummodo agitur circa eos, quos idem Apostolus *sanguinem & carnem* appellat, ut series contextus mihi evincere videtur. (*)

§. 15.

(*) Cùm Amicus quidam meus suavissimus in *Polonia* sua *Reformata*, Anno 1754. publicæ luci exposita, pag. 13. nota f) philologici hujus laboris mei mentionem amicam injecisset, & contenta ejus paucis adtulisset, adfirmavit, me hic per vocem שְׁפָתַיִם *duplices Ecclesiæ Dei adversarios* intellexisse, *spirituales* videlicet & *corporales*; etsi ex modo allatis meis cogitatis liquidò constet, me *corporalium* solummodo *Ecclesiæ Dei hostium* rationem habere. Videtur Amicus meus, Poloniæ reformatæ Auctor, quùm sua consignaret, Dissertationem meam non inspexisse, sed modò ex memoria sua adtulisse, quæ hoc super negotio adtulit. Interim tamen fateri cogor, eum mihi hac occasione in totum non displicuisse conjectura sua proprio ex cerebro adnexa; nam profectò non male quis faceret, si occasione dualis numeri, in voce שְׁפָתַיִם obvii, conjiceret, *duplicis generis hostes Ecclesiæ* indigitari.

Quam

§. 15.

Quùm autem, quod ſummæ Dei noſtri eſt bonitatis, non ea Eccleſiæ ſit infelici-

Quam ob cauſam hic benevolo Lectori atque S. literarum indagatori, invidia vacuus, diſpiciendum præbeo, annon amici cogitata meis cogitatis modo indicatis ſint præferenda? Hic quoque in tranſitu moneo, juſto audaciorem quendam Novæ *Bibliothecæ theol. Kraftianæ collaboratorem*, litera E. ſubſcriptum & probè notum, inique judicaſſe, me Poloniæ Reformatæ Auctorem eſſe. Conf. *dicta Bibliotheca Kraftiana Tom. IX. pag.* 649. nam ſi ipſe memorati laboris Polonico-hiſtorici auctor fuiſſem, an quæſò propriam meam mentem de hoſtibus Eccleſiæ Dei ignoraſſem? Nemo non videt, Rev. cenſorem E. *ideò tantummodo talia procudiſſe & temerario auſu divulgaſſe*, ut de me affirmare poſſet, me propriarum laudum mearum eſſe præconem ſeu tubicinem, quoniam dictus Auctor Pol. Ref. mihi percarus loco ſuprà cit. Diſſertationem meam *lectu dignam* nominaverat. Vid. *Biblioth. Kraftianæ Indicem ad Tom. IX.* laboris hujus cenſorii ſub meo nomine. Talia frivolè & minùs conſideratè adducta in memorata Bibliotheca, Auctore rev. E., haud rarò occurrunt, ut alibi luce meridiana clarius monſtratum eſt. Vide Epiſtolas Ignatianas German. impreſſas d. 12. *Oct.* 1753. & d. 6. *Maji* 1754. ut & Sinceri Alethophili animadv. ad Recenſionem Poloniæ reformatæ.

tas, ut perpetuò adversariis cincta sub calamitatum & persecutionum jugo fatiscere cogatur, exacte regius noster Propheta loquitur, cùm dicit אם־תשכבון, *si fuerit, ut jacueritis*, quod futurum, ut vocant, figuratum (*) in sinu suo gerit; *si fuerit, ut, supremo omnium Diribitore sic jubente, in eam deveneritis conditionem, qua beata vestra tranquillitas ac jucunda quies interrumperetur, qua spiritualia vestra decora & ornamenta premi viderentur, adeo ut in medio instructissimorum hostium omnis generis molestias devorare adigamini, bono sitis animo* &c. Gratis proinde Cl. de Dieu (**) arbitratur, voculam אם, si תשכבון ad populum Dei referatur, *interrogationem* hic indicare, ut & alibi (***) sæpè; ac Prophetam tardos segnesque, & qui animum, rebus terrenis ac culinariis nimis adfixum, ad victoriam Ecclesiæ non advertebant, alloquentem dicere: *an jacetis inter lapides focarios? alæ columbæ tectæ sunt argento, & pennæ ejus viridi auro; quasi diceret, aliud agendum, splendor & ornatus columbæ*

(*) Id nos sagaciſſimus LL. OO. stator & promotor *Cel. Alb. Schultensius* docuit *Instit. Hebr. p.* 427.

(**) Vid. ejus Critica Sacra *p.* 148.

(***) Conf. *Ps.* LXXVII. 10. XCIV. 9. Plura loca dabit *Noldius Concordant. Partic. Hebr. Chald. p. m.* 65.

hæ Dei conſiderandus eſt. Cl. Guſſetius (*) noſtræ particulæ ם֣א quoque *interrogationis* vim adjudicat, ita tamen, ut Apoſtrophen fieri cenſeat ad alas columbæ i. e. ad ipſam columbam volare valentem, quæ interrogetur: *ſemperne inter vectes & limites eosdem velit jacere? nunquamne Spiritus S. è Cananiticis finibus, quibus, durante oeconomia legali, quaſi circumſcriptus fuit, proditurus ſit in univerſum genus humanum per orbem terrarum?* Hæc omnia talia ſunt, ut vix refelli neceſſe habeant; etenim cuivis integram ſeriem perluſtranti prorſùs coacta & aliena apparebunt. Quoad uſum particulæ ם֣א obſervari velim, non facile a communi alicujus vocis ſignificatu eſſe recedendum, ni prægnantes id efflagitent rationes; atqui in præſenti contextu fermè nullæ præſtò ſunt rationes, quæ rariorem uſum interrogationis particulæ ם֣א vulgariori præferendum ſuadeant. Quinimò, ſi res rigide exigatur, nullum uſus interrogandi hic capere poterit locum.

§. 16.

Inſignem Pſaltes noſter oppreſſioni hoſtili, & inde redundantibus malis addit emphapha-

(*) Comment. Linguæ Hebr. p. 884.

phaſin, quando vocem שכב (*) uſurpat, quæ Græco κεῖσθαι reſpondet, cujus oppoſitam vim poſſidet τὸ ϛῆναι, *ſtare*, quod tropicè, *firmo intrepidoque animo eſſe* deſignat (**), unde afflictum attritumque Eccleſiæ Dei ſub perſecutionum onere fatiſcentis ſtatum deſignari manifeſtò cernere licet. Nec abs re profectò! etenim ea hoſtium Eccleſiæ militantis eſt indoles, ut nullas negligant occaſiones, *nullis* omninò *parcant opibus, nullis facultatibus, dummodo damnum atque interitum innocuæ Jeſu Chriſti* ſponſæ promovere queant. Id ut eò majori fiat cum ſucceſſu, non tantùm aperta vi mœnia ejus pulſant, ferro & gladio in viſcera ac membra ejus quaquaverſum ſæviunt,

(*) Notabilis in hunc ſenſum noſtræ vocis uſus occurrit *Jeſ.* L. 11. ubi dicitur, תשכבון למעצבה *erit ut jaceatis in dolore*; quo haud dubie afflictiſſimus dolore correptorum ſtatus pingitur. Oppoſitum huic eſt התיצב *ſtare Exod.* XIV. 13. ubi Moſes populum Iſraëliticum ad mare rubrum caſtra metantem, & ob appropinquantes Pharaonis copias perculſum ſequenti alloquitur modo: אל־תיראו התיצבו וראו את־ישועת יהוה, *ne timeatis, ſtate* (intrepidi, bono animo) *& intueamini ſalutem Jehovæ.*

(**) *Epheſ.* VI. 14. 2 *Cor.* I. 24. *Rom.* V. 2. XI. 20. 1 *Cor.* X. 12. ubi notanter τὸ ἑϛάναι opponitur τῷ πιπτειν.

viunt, bona eorum diripiunt, ſub vite & ficu ſua tranquille agentes diſturbant, adeo ut nonnunquam vix habeant, quo caput ſuum reclinent; verùm & clanculùm ac ſubdolis machinationibus eos aggrediuntur, dum crudeles ac voraces lupos in pacificum Chriſti ovile immittunt, qui hinc doctrinam atque fundamenta omnis veræ pietatis in dubium vocare, polluere, quinimo labefactare ac ſubvertere geſtiunt; illinc concordiam & pacem inter fratres omni conamine turbant, & ſemina diſcordiæ late ſpargunt (*). Quæ omnia non poſſunt non conditionem populi Dei reddere afflictiſſimum, cumprimis ſi videant, quod inimici ſui contra ſe os ſuum dilatent, ſibilent, & dentibus ſuis frendeant, dicentes: *abſorbuimus! utique hic dies ille eſt, quem expectabamus, præſentem habemus, fruamur!* Tum deſolatiſſima illa Sionis filia ſacco induta, & pulvere in caput ſuum conſperſo, triſtiſſima incedit, ac omnes intuentes ſe compellat: *videte, an ſit dolor par dolori meo, qui factus eſt*

(*) Si hic modo ſupra memorato quiſpiam & *Spiritualium eccleſiæ Dei hoſtium* rationem habuerit, multa profectò lugubria & triſtiſſima adhuc adferri deberent; quæ tamen nunc ſilentio prætereo, & cuivis pio Lectori perpendendum linquo. Apertus hic piarum meditationum campus ſeſe ſiſtit, & ex multis hymnis Davidicis illuſtrari poteſt.

est mihi. Thren. I. 12. Recordatur sancta illa Hierosolyma *diebus afflictionis suæ & ploratuum suorum omnes res suas desiderabiles, quæ adfuerant a diebus priscis; cadente populo suo manu hostis & nemine auxilium ferente sibi, quum videntes eam hostes irriserunt cessationes ejus. ib. vs.* 7. Deploratissimus hicce Ecclesiæ status non leviter augetur, cùm hostium suorum catervis undiquaque cincta ac arcte (*) concluſa Tabernacula Dei sui adire prohibetur, a *sacratissimorum gratiæ Divinæ pignorum dispensatione coërcetur*, a jucundissimis denique sacrarii Dei amoenitatibus discluſa manere adigitur, tametsi toto corde *diligat habitaculum domûs Jehovæ, locum, tabernaculum gloriæ Ejus. Ps.* XXVI. 8. Cogitur loco laudum & concelebrationum Numinis subinde impias & profanas audire voces, quibus gloria Dei sui imminuitur, sacra Ejus oracula contemnuntur, atque totus Ejus cultus religiosus flocci penditur. Lachrymabunda crebrò ac tristis frivolas illas ac illusorias excipere debet acclamationes: *Ubinam est Deus tuus? Ps.* XLII. 4. His & similibus crudelitatis, malevolentiæ ac impietatis hostium suorum aculeis exagitata Dei Ecclesia, non potest non summa affici tristitia, squalidam ac de-

fœ-

(*) Signantem hanc potestatem in voce שבתים suprà (§. 14.) ostendimus.

fœdatam nanciſci faciem, langueſcere, & (ut Pſaltes noſter notanter effert) in medio hoſtium & calamitatum *jacere*.

§. 17.

II. Hæc autem electi Dei peculii eſt felicitas, ut, dum perſecutionem patitur, non tamen in ea deſeratur, dum dejicitur, non tamen pereat (2 *Cor.* IV. 9), ſed potiùs potentia *Domini* per infirmitates multas ad finem *ſuum deducatur.* 2 *Cor.* XII. 9. Id olim ſancta Apoſtolorum cohors experta, id præſertim Paulus edoctus fuit, & propterea in commune ſolatium atque gaudium conſignatum reliquit. Non deſunt quoque innumera ferè poſteritatis exempla, quæ *veritatem hujus* adſtruant confirmatiſſimam. *Nec poteſt alius veris Dei* adoratoribus, vel in *deſolatiſſimis* eorum rebus, contingere eventus, quandoquidem veraciſſimum eſt Numen, quod hæc per Prophetas & Præcones ſuos ubique denunciari juſſit. Contueamur quæſo in eum, quem præ manibus habemus, contextum, & nihil ampliùs ſupererit dubii. Propitium enim Numen ore vatis noſtri Eccleſiæ, perſecutionum & afflictionum jugo oneratæ, indeque multo ſqualore conſitæ, inſinuatum voluit, eam haudquaquam triſti huic ſtatui conſtanter ſuccubituram, nunquam eidem per-

in-

insignem nitorem ac jucundum splendorem esse defuturum ; *si fuerit* , inquit , *ut inter circumjacentes hostium acies* (afflictissimi atque sordidi) *jacueritis* , כנפי יונה נחפה בכסף ואברותיה בירקרק חרוץ. Quæ verba longè significantissima , & perpetuo emblemate elegantissimo decurrentia propius considerandа restant.

§. 18.

Quod primam nostram circa ea depoſcit curam, est ratio atque sedes *ellipseos*, omnium unanimi consensu Interpretum necessariæ. Abstrusior videlicet ac incongruus sensus , qui se sine ulla ellipsi haud dubie offerret, satis evincere valet, non malè S. literarum indagatores de ea fuisse sollicitos. De sede, cui desiderata hæc ellipsis inseratur, nulla quoque, quod sciam, inter eruditos magni momenti viget quæstio, siquidem omnes eam posteriori nostro membro (*) præ-

(*) Unus est Tirinus , qui hic infeliciter & evidenti errore ita struit : *Etsi jaceatis* (captivi sine spe liberationis) *inter medios terminos pennæ columbæ* (i. e. Chaldæorum, quorum insigne est Columba, sicut aquila Romanorum) *tamen hæc ipsa ; quam vs.* 12 , 13. *dixi , vobis eveniet felicitas.* Accentus, qui est marca mahpachatum (ut artis periti loquuntur) in metro rex major primarius, & absoluta forma שפתים pudendi erroris eum arguunt, ut *Gejerus ad h. l. p.* 1171. observat.

præmittendam ſanciunt. Et vix poteſt alia aut commodior ſedes eidem figi, ne ſeries naturalis interturbetur, vel hiatus ullus relinquatur. Quod ad ipſam *ellipſin* ſpectat, tantùm non omnes in id conſentiunt, ſupplendum eſſe verbum ſubſtantivum תִּהְיוּ cum כְּ דִמְיוֹן, ſeu *ſimilitudinis*, cujus defectus (*) in S. codice eſt frequentiſſimus; ut apparet in omnibus fermè benedictionibus filiorum Iſraël *Gen.* XLIX. e. g. *vſ.* 5. Simeon & Levi appellantur כְּלֵי חָמָס *vaſa iniquitatis*, *vſ.* 9. vocatur Juda גּוּר אַרְיֵה *catulus leonis*, *vſ.* 14. Iſaſchar חֲמֹר גָּרֶם *aſini oſſis* i. e. *oſſei*, *robuſti* inſignitur, & ſic reliqua; ubi non tantum כ *ſimilitudinis*, verùm & *verbum ſubſtantivum futuri temporis* neceſſariò requiri clarè perſpicitur, ac proinde noſtro hic loco accommodatiſſimum eſſe videtur.

§. 19.

(*) Conf. *Pſ.* XXII. 7. *Prov.* X. 11. V. 19. *Pſ.* XLV. 2. *Cobel.* VII. 27. Tenendum ἐν παρόδῳ, verbum ſubſt. ab Hebræis ſæpiſſime negligi, atque ideo ellipſeos inſtar crebrò inſerendum eſſe, ea tamen ſub conditione, ut tempora diverſa eidem ſecundùm diverſas circumſtantias competant; mox præſentis, mox præteriti, mox futuri temporis rationem habet.

§. 19.

Sic sentiebam & scribebam ante 18. hosce annos, cùm An. 1742. in Octobri Dissertationem meam Lugduno-Batavam supra dictam promulgarem. Addidi tamen & tunc temporis (§. XXIII. ad calcem), me quidem huic sententiæ quoad Ellipsin subscribere, *concessurus tamen iis, qui forte evidentiora in difficili hocce ellipsium eruendarum genere daturi sunt.* Ac proinde nunc fateri cogor, mihi ellipsin allatam in nostro hocce contextu jam non placere; quinimò aliam prorsùs hic quærendam esse, firmiter sum persuasus. Ratio, ob quam a vulgari ellipseos hic constituendæ methodo recedo, duplex est: a) mihi non satis congruum esse videtur, dicere, *Ecclesiam futuram esse sicuti alæ columbinæ*, cùm nitor infra illustrandus non ad alas sed ad ipsam columbam sit referendus, & mihi ex infra adducenda hypothesi mea כנפי ad plane alium adhibendæ sunt usum emblematicum b) Objici potest, Kaph similitudinis omninò omittendum esse, si idonea alicujus emblematis ratio habenda est. Has itaque ob rationes benevolo Lectori nunc dispiciendum præbeo, annon vox, hic instar ellipseos subintelligenda, תקחו (a לקח *accepit*) magis idonea sit, ita ut sensus sermonis nostri Prophetici sit:

quan-

quandocunque in ſummo ſqualore conſtituti miſerè decumbetis, tunc accipietis (vel dabunt vobis) *alas talis columbæ, quæ argento tecta eſt & cujus pennæ fortiores bracteato auri opere nitent.* Quod non modo in ſe perſpicuum & jucundum nobis fundit ſenſum, verùm etiam Altiſſimi denuò extollit miſericordiam, utpote qui ex mera bonitate ſua ſuis, in ſummo rerum diſcrimine conſtitutis, impertiturus ſit *velocitatem* (ad elabendum neceſſariam) *& nitorem peregregium*; ut nunc pluribus exhibebitur.

§. 20.

Ut autem reſiduus noſter labor Philologicus bono decurrat ordine, reſpiciendum mihi eſſe videtur: α) ad ipſum *columbæ* emblema, quo vates hic uſus eſt. β) ad *ejus nitorem & pulchritudinem*, & γ) ad *proſperam ejusdem ex anguſtiis omnibus elabendi rationem.* Nam Pſaltes noſter me judice in eo eſt, ut monſtret & prædicet, Eccleſiam Dei, crebrò ab hoſtibus ſuis preſſam, premendamque, non modo in anguſtiis ſuis pulcherrimo exornandam eſſe intus extusque nitore, verùm etiam denique certò fore liberandam exhilarandamque. Ut autem in Emblematis hic obvii vim & elegantiam penitius penetremus, quæ circa literam monenda ſunt, præmittemus, dein ad comparationis uſum

ac potentiam nos transferemus. Pictura vatis noſtri *columbam* omni ſuo decore ac nitore naturali lætè exornatam nobis ſiſtit, eamque oculis uſurpandam proponit. Quùm autem generalis in re emblematica obtineat Canon (*), *ut non omnes ubique, ſed eas præciſè qualitates & relationes, ad quas in ſingulo, quem tractamus, loco reſpicitur, proponamus & explicemus, ita ut inde Analogiæ non vi trahantur, aut ludibundo ingenio exponantur, ſed ſua ſponte cum ſuaviſſima ſapientiæ & veritatis harmonia & perſuaſione fluant*; nec nos, ſecundùm ſolidam hanc normam incedentes, promiſcuè quævis de columbarum genere dicenda promemus, ſed ea ſolummodo exponemus, quæ præſenti contextui accommodata judicaverimus.

§. 21.

α) Haud infrequens in ſacris utriusque Oeconomiæ monumentis *columbarum* reperitur mentio, atque a variis ſuis, quibus reliquas aves ſuperant, dotibus crebrò commendantur. Magnus earum præſertim fuit uſus in cultus Legalis ſacrificiis, a Numine ipſo multa cura conſignari juſſis; unde etiam Le-

(*) Vide ſis eum in pereleganti *Cel. Joh. v. d. Honert opere Theol. Emblem. cap. præliminari* §. 19.

Legum Cærimonialium ſcriptorem de eis plus tradere videbis, quàm de omnibus alitibus mundis ſimul ſumtis (*). Inter præclara illa, quæ S. codex habet, *emblemata* non poſtremum locum ſibi vindicat *Columba*, quippe quæ non tantùm ab optimo Servatore (*Matth.* X. 16.) *ſimplicitatis* emblema conſtituitur, verùm & ipſius noſtri Domini emblema certo reſpectu gerit (**). Longe frequentiſſimè autem ob præcellentes ſuas, quas poſſidet, *virtutes electæ Jeſu Chriſti ſponſæ, Eccleſiæ Dei*, exhibet imaginem, cujus teſtis luculentiſſimus eſſe poteſt totum illud Salomonis opus, quod Cantici canticorum nomine venit; ubi non ſolùm quoad interiorem ſuam indolem cum Eccleſia comparatur, ſed etiam quoad varia corporis ſui membra externa eidem aſſimilatur. Nec incongruè ſanè, hæc enim avis tantis tamque inſignibus intus extusque gaudet ornamentis, ut elegantiſſimos abundanter ſuppeditare queat colores.

(*) Evolvatur quæſo totus ſic dictus *Leviticus* e. g. *Cap.* I. 14. V. 7. XII. 6. XIV. 22. XV. 13, 14.

(**) Adeatur *Cl. Joh. v. d. Honert Theol. Typ. cap. prælim.* §. 17, ubi egregie docet *quod una eademque res vario reſpectu ejusdem prorſus rei typus prophetiçus & emblema eſſe poſſit.*

§. 22.

Nobiliſſimum ab externa columbæ forma deſumtæ picturæ ſpecimen in noſtro contextu cernere licet; ibi enim pulcherrimus ejus, qui haud rarò obtinet, adſpectus graviſſimis ac ſignantiſſimis verbis deſcribitur: יוֹנָה נחפה בכסף ואברותיה בירקרק חרוץ: *Columba tecta (in) argento & penne ejus (in) opere bracteato auri.* Non inquirenus nunc in verum etymon יוֹנָה, num יָנָה *defraudavit*, *oppreſſit* (quæ vulgarior eſt ſententia) deſcendat, *quia columba oppreſſioni & prædæ eſt expoſita*; num verò a יָאָה *pulchrum eſſe*, quod Cl. Danzius mavult, unde יוֹנָה contractè pro יְאוֹנָה *pulchram* denotabit; num denique cum ſummo Bocharto (*) a *Javan* ſive *Jonia* i. e. *Græcia*, ubi columbæ jam olim frequentes erant, noſtra vox ſit deducenda. Quùm enim hoc in negotio nondum aliquid decidi poſſit, ſufficit nobis, unanimem vigere conſenſum, noſtro heic lòco *columbam* eſſe intelligendam.

§. 23.

(*) Hieroz. Part. II. Lib. I. c. 1. col. 3. edit. Francof. 1675.

§. 23.

β) Hæc jam dicitur נחפה בכסף *tecta*, *obducta in argento* vel *argento*; ב enim hic notat *materiam*, & ideò convertendum per *ex* v. g. *Exod.* XXXVIII. 8. de labro æneo dicitur, quod factum fuerit במארת הצבאת *in ſpeculis miniſtrantium* i. e. ex ſpeculis earum, quæ miniſtrabant. Item *Paral.* II. 6. Rex Salomon a Rege Tyri petit, ut ſibi mittat virum לעשות בזהב בכסף ובנחשת, *ad operandum auro & argento & ære* (*). Vox Hebræa כֶּסֶף, quæ conſtanti linguæ uſu per *argentum* redditur, nomen ſuum non ab *appetendo*, ut plerique Lexicographi nugantur, adeptum eſt, *quod* ſcilicet *homo illud expetat ac deſideret*, ſed eodem modo quo gr. ἀργύρεον, & è græco fonte deductum lat. *argentum*, a *pallido* ſeu *albo*, quo conſpicitur, *colore*. Quemadmodum verò in aliis linguis *argenti* nuncupatio creberrimè adhibetur, ad *ſummè albam* & *cum ſplendore quodam candidam* rem deſignandam, ita quoque lingua Hebræa ſuum כסף non rarò eodem modo uſurpat. Ac proinde Pſaltes *columbæ* noſtræ *ſummam albedinem* ac *candorem ſplendentem cum*

(*) Plura dabit Noldius Concord. Partic. p. 146.

puritate conjunctam (*) non injucundè attribuit, & quidem ita, ut eam illo *obductam* sive *tectam* esse adfirmet, quæ vis significandi in נחפה residens clarè insinuat, quod præter purum atque pulcherrimum candorem *æqualis* quoque læti illius coloris *facies* ubique compareat, acsi diceret: *Columba per totam suam superficiem purissimo æque ac pulcherrimo candore nitens.* Ejusmodi volucres olim etiam Latium *argenteos* appellavit. Sic *Virgil. Æneid. Lib. VIII. vs. 655.* scribit.

Atque hic auratis volitans argenteus *anser*
Porticibus —— —— —— ——

Similiter *Ovidius* de corvo columbis quondam colore simili canit *Lib. II. Metamorph. vs. 537, 538. Fab. VII.*

Nam fuit hæc quondam niveis argentea *pennis*
Ales, ut æquaret totas sine labe columbas.

Unde colligere datur, quod *albæ columbæ* & antiquitati non fuerint ignotæ, sed in pretio habitæ & amatæ. Varro de re rustica *Lib. III.*

(*) *Ps.* XII. 7. *Puritas verbi divini* designatur per *argentum conflatum in clibano. Prov.* X. 20. ut rei præstantis atque eximiæ indicium proponitur.

III. c. 7. ait: „ Eſſe genus columbarum cle-
„ mentius, quod cibo domeſtico contentum
„ intra limites januæ ſoleat paſci, & hoc
„ genus maximè *colore albo* gaudere. "

§. 24.

Præmiſſa lætiſſimi coloris, qui *totum columbæ corpus* tegebat, deſcriptione, Pſaltes noſter ad ſpecialius quoddam perinſigne ornamentum accedit, quod *alas* plerumque contegere ac condecorare ſolet; pergit enim ואברותיה בירקרק חרוץ, *& alæ ejus (obductæ) opere bracteato auri.* אבר cum ſuo אברה conſtanti uſu linguæ (*) *alam* denotare, nulli ignotum eſſe poteſt. Non tamen ſatis felix plerorumque eſt conamen in adſignanda huic voci origine; etenim fermè ubique eam conſtitui videbis in אָבַר, quatenus *robuſtus fuit, volavit* ſignificat, eleganti *ſcilicet* adjuncta talis deductionis ratione, *quia non ſolùm alis aves volant, ſed etiam earum vis & robur in alis deprehenditur.* Hæc ratiocinatio in ſe indubitata, ſed grammaticè differendo haudquaquam exacta, quinimò invertenda potius ratio, & benè ſe habebit ratiocinium;

(*) Conf. *Pſ.* LV. 7. ubi de *ala columbæ* ſumitur. *Iſ.* XL. 31. *Ezech.* XVII. 3. de *ala aquilæ* adhibetur. Add. *Job.* XXXIX. 16. *Deut.* XXXII. 11.

potentia sive *robur* ab *ala*, *penna* descendit, non viceversa, ut Cl. Coccejus in Lexico suo perbellè observavit. Id Cel. & in his longè feliciſſimus *Alb. Schultens*, Fautor ac Præceptor olim meus summè venerandus, pluribus (*) confirmavit, eque primo suo principio, quod *pungere*, *pungendo rumpere* est, eleganter derivavit (**). LXX. loco alarum habent μεταφρένα, quæ vox *tergum* sive *interstitium*, *quod est inter lumbos & scapulas* notat; quos secuta vulgata vertit per *posteriora dorsi*. Non satis accuratè, licet quoad sensum non multum differat a genuino loco, si intelligamus id, quod ab extremo dorso nascitur & nostris humeris respondet.

§. 25.

Jam *alæ* nostræ columbæ dicuntur בירקרק חרוץ, ubi non incommodè præfixum ב tacitam involvere dicitur ellipsin participii prio-

(*) In *Origg. suis*, quas prælectiones publicæ dedêre, & a me quoque per quadriennium læto calamo exceptæ sunt, sub rad. אבר.

(**) Addubitanti, num hæc deductio *alæ à pungendo* satis evidens sit, opem feret Dial. Arab., ubi أبر proprie *punctio*, denotat *aculeatam extremitatem*, & quidem speciatim tum *germinis*, tum *pennæ pullulantis*.

prioris נחפה, quippe quod cum ב ſubſequente conſtruitur, ut ſit *& alæ ejus* (tectæ ſunt) בירקרק חרוץ. Prior vox ירקרק non concordes habet Interpretes; licet enim fermè omnes eam ad colorem auri deſignandum referant, attamen in ipſo illo colore definiendo non æque conveniunt. Nec eſt, quod mireris, nam præter hunc noſtrum locum nullibi, niſi *Lev.* XIII. 49. & XIV. 36. *de ſignis lepræ* uſurpatur. Jam ſeries (hæc enim plerumque fermè ſola conſulitur) in omnibus hiſce locis tam hunc quam illum colorem admittere poſſe videtur. Qui pro *virore* ſive *viridi colore in pallidum vergente* ſtant, non ſolùm varios in Dial. Hebr. ejus uſus, verùm & Dial. Arab. ſibi favere gloriantur, utpote cui ورق denotet *fronduit, frondoſa fuit arbor*, unde facilis ad *virorem* tranſitus. Qui pro *flavo* ſive *ſubflavo* colore pugnant, ex eodem argumentantur fundamento, quatenùs *flavus* æque ac *viridis* aſpectus in frondibus, foliis ac herbis oculis objiciatur. Cui accedit, quod ירקון Rabbinis eſt *Ictērus*, ut & Arabibus مبرقش *ictero* i. e. *morbo flavedinem corpori ex diffuſa bile inducenti laborans*. *Pallidi* coloris deductio petita, partim ex uſu Biblico *Jer.* XXX. 6., ubi יְרַקּוֹן ab eodem noſtro יֵרַק deſcendens *pallorem* rectè notare videtur, quia ibi virorum

rum fit mentio, quorum facies in *pallorem* versæ dicuntur; partim forsitan ex requisita hic auri facie, quæ proprie *pallida* (*) est; ut faceta de Diogene narratio comprobat, qui interrogatus: Διὰ τὸ χρύσιον χλωρόν (**) ἐσίν; *cur aurum palleat?* respondisse fertur: ὅτι πολλὰς ἔχει τὰς ἐπιβελευόντας, *quia multos habet insidiatores.* Catullus ad Juventium: *Hospes inaurata pallidior statua*, dicit. In omni hac discordia constans tamen est concordia, per *duplicatam formam* seu *literas* secundæ & tertiæ (***) radicalis geminatas

(*) De colore auri *pallido* plura exhibet *Bochartus Hieroz. P. II. L. I. c. 2. col. 10.*, nec non Excell. *Sam. Köleseri de Keres-Eer* in elegantissimo Libello *de Auraria Romano-Dacica c. 5. p. 195.*, ubi physicam talis coloris rationem egregie edisserit. Cùm in Academia Lugduno-Batava jucundè viverem, contigit mihi posteriorem huncce libellum penes amicos Transilvanicos videre & legere.

(**) χλώρος contr. pro χλόερος proprie est *herbidus*, à χλοὴ *herba.* Quùm autem herbarum adspectus nonnunquam ad *pallorem* accedat, secundariò quoque *pallidi* notionem adeptum esse videtur.

(***) In Dissertatione mea, Lugduni Batav. promulgata hic sphalma aliquod typographicum irrepsisse videtur, quia *prima & secunda radicalis geminata* esse dicitur; quod tamen non est. Varia geminationis ejusmodi exempla nobis inter alios & *Joh. Clericus* suppeditat

Arte

tas *intenſiorem* indicari *ſignificatum*. Nec valet, quod *Cl. Stockius* ad hanc vocem obſervat, cùm dicit: „ duæ poſteriores radicales „ geminatæ, licet aliàs ſignificationem au„ geant, ut in עקלקלות *valde tortuoſæ*, hic „ tamen ſignificationem minuunt, ut in „ ארמרם *ſubrubidus Lev.* XIII. 49." Talia enim eadem facilitate, qua affirmantur, quoque negantur.

§. 26.

Tametſi jam non diſpliceant, quæ hic de colore indicato, præſertim *flavo* proferuntur, attamen in iis vix acquieſcendum putem, ac propterea pedem ulterius moveo, atque B. L. deliberandum propono, annon forſitan hic multò jucundius reſpiciatur ad vocem ירק, ſecundùm uſum Arabibus longè tritiſſimum; ورق enim iis *folium* denotat, inde porrò *lamina* argenti vel auri vertitur, unde ירקרק poſſet eſſe *opus bracteatum*, quando lamina vel bractea auri vel argenti ſuperinducitur. Id commodius omninò videtur; nam pennæ columbæ non tam cum auro ſolido, quam cum bracteato auri fulgore comparari poſſunt, qualis videtur illitus

Arte Critica vol. II. §. 8. *p.* 72, licet ea alio prorſùs ſcopo attulerit.

tus columbarum plumis (*). Sic non tantùm pictura Psaltis felicius exponetur, verùm & major honos atque decus Emblemati accedet.

§. 27.

Ut autem bractearum vel laminarum indoles innotescat, Psaltes adjungit vocem חָרוּץ, quod secundùm Lexica inter alios significatus & *auri* potestatem habet, & quidem talis, quod è penetralibus terræ eruitur, sive fossilis, vi radicis חָרַץ, quæ *secandi*, *incidendi* notione venit. Sed hæc non satis tuta nec liquida. Quùm enim voce hac, ut Emblematis nostri & aliorum contextuum ratio jubet, *aurum lectissimum ac præstantissimum* innuatur, haudquaquam *fossile* seu *coactum* (**) (ut artis periti loquun-

(*) Hanc sane felicem & jucundam conjecturam exegeticam communicavit quondam vir summus, *Alb. Schultens*, cum auditorio suo in dictatis suis ad Psalmorum librum h. l.

(**) Quod statim aurum est, consummatamque materiam protinus habet, cùm ita invenitur solum, in massa aut ramento capitur, *liberum* dictum. Cum aliis autem metallis repertum, quia igne perficitur, *coactum* est. *Conf. jam laudatus Sam. Köleseri l. c. cap. 2. p. 54.*

quuntur) reliquis (*) auri ſpeciebus eſt præferendum; utpote quod propter aliorum metallorum miſcelam multis modis eo, quod *liberum* appellitant, inferius cenſeri poteſt. Cui accedit, quod a notione *ſecandi* ſeu *incidendi* nondum liceat ad *effoſſum* ſeu *foſſile* tranſire, cùm ab hac generali denominatione multæ aliæ efformari poſſent notiones. Hinc tutius quidpiam ac firmius anquirere oportebit. Extra omnem dubitationis aleam חָרוּץ eſt participium ſecundum in Kal, atque epitheton auri, quod haud rarò in ſacris noſtris (**) per ſubintellectam Ellipſin τῦ זָהָב ad *aurum* deſignandum adhibetur. Radix, a qua deſcendit, חָרַץ in ſinu ſuo geſſiſſe deprehenditur τὸ ὀξὺ, *acre*, *acutum*, unde etiam חָרוּץ *tribula* denominata, propter τὴν ὀξύτητα, & alii uſus ſignantes. Jam aurum aliudve metallum dicitur *acre* ſeu *acutum*, *quùm vibrat & multo ſplendore pollet*; quare etiam quibusdam *rutilans* ſeu *rutilum vibrans* vertitur. Quod autem uſus tale Epitheton ſpeciatim, & quaſi

κατ'

(*) De variis auri ſpeciebus, deque labore circa illud, prolixè agit idem *Köleſeri l. c.* ubi quoque *Plin. Hiſt. Nat. Lib* 34. de auri inveniendi ratione apud Romanos uſitata confert, notisque illuſtrat.

(**) Conf. *Prov.* III. 14. VIII. 10. 19. XVI. *16. Zach.* IX. 3. &c. add. *Waſerus de nummis Hebr. p.* 19.

κατ' ἐξοχὴν *auro*, metallorum principi, apposuerit, non absque ratione factum fuisse conjeceris, quia præ ceteris maxime fulget ac vibrat. Hoc non injucundam nostro contextui adfert lucem. Non videtur enim hic adeo ad naturam auri seu indolem ejus interiorem attendi, quàm potius jucundissimus ejus adspectus ac vibrantissima facies proponi, quæ tamen in præcellentia auri suum habet fundamentum. Huic addi potest Figura Grammatica in sacris crebrò obvia, *Hypallage* (*) dicta, qua *bracteatum opus auri vibrantissimi* positum pro *auro vibrantissimo bracteati operis* seu *bracteato*; ita ut *Habac.* II. 6. עֹב טִיט *densitas luti* pro *luto densitatis* seu *valdè denso* ponitur.

§. 28.

Hæc cùm ita sint, non immeritò quis interrogabit: an nobilissimi hi colores in columbis locum capiant? Maximè verò; omnipotentem enim ac sapientissimum naturæ Conditorem tam insignia & omne ingenium humanum superantia ornamenta mundissimæ huic aliti addidisse, longa nos docuit experientia. Id jam antiquissimis temporibus con-

(*) Consul. Glassii Philol. s. Lib. III. Tract. I. Canon 43. coll. L. IV. Tract. II. Observ. 20. ad fin.

conſtitiſſe teſtatur Philoſophus (*), quùm ita ſcribit: οἱ τ περιστερῶν τράχηλοι, καὶ τ ὑδάτων οἱ σαλαγμοὶ φαίνονται χρυσοειδεῖς, τῆ φωτὸς ἀνακλωμένης i. e. *columbarum colla & aquarum ſtillæ videntur eſſe aurei coloris, tum cùm lux repercutitur.* Quinimò, quod adſtupeſcas, non defuerunt, qui præcellentiſſimo columbæ adſpectu in admirationem rapti, cum coloribus Iridis ejus pulchritudinem contulerunt. Sic Auſonius de Anatibus epiſtola 10.

Iricolor vario pinxit quas pluma colore,
Collum columbis æmulas.

A quo non multùm abit, quod *Philo Judæus* (in libro ſuo de Temulentia) præbet teſtimonium, τὸν αὐχένα τῆς περιστερᾶς ἐν ἡλιακαῖς αὐγαῖς ἰδὼν κατανοήσας μυρίας χρωμάτων ἀλλάττοντα ἰδέας; ἢ οὐχὶ φοινικῶν, καὶ κυανῶν, πυρωπόν τε, καὶ ἀνθρακοειδὲς, ἔτι τε ὠχρὸν, καὶ ἐρυθρὸν, καὶ ἄλλα παντοδαπὰ ἴσχει χρώματα, ὧν οὐδὲ τὰς κλήσεις ῥᾴδιον ἀπομνημονεύσαι. *Vidiſtine unquam columbæ cervicem ad Solis radios in ſexcentos colores variatam? nonne puniceum, & cæruleum, & pyropi, & carbunculi, & pallidum, & rubrum, & alios habet colores omnigenos, quorum nec nuda quidem nomina referre facile ſit.* Ad *aureum* ſpeciatim *colorem*

(*) Ariſtoteles Lib. de Coloribus.

rem respexerunt Talmudici, quùm leges suas de Turturibus ac columbis ad sacrificia idoneis sanxerunt (*). Nec velim mihi quis objiciat, allegata de pulchritudine columbina quidem *collum* seu *cervicem* ejus spectare, haudquaquam verò ad *alas* ejusdem esse transferenda, quod tamen contextus noster citra dubium efflagitare videtur. Etenim ante omnia observari velim, Psalten nostrum notanter tali usum esse voce (אֶבְרוֹת), quæ propriè *pennas majores* innuit, *quales in alis potissimùm collo* seu cervici proximæ sunt, nec rarò eodem diversorum colorum decore splendent, ac proinde sub colli appellatione comprehendi possunt. Sed præterea non absque verisimilitudine quis ex nostro hocce loco colligeret, columbas Orientis *hoc ornatas esse potuisse decore, quod nostris hic* columbis plerumque deest. *Quo haud* obscure collineat, quod Kimchius cum Talmudici operis conditoribus testatur: שיש בכנפי היונה נוצה שהמצהבת כזהב. *In columbarum alis plumam esse auri instar flavam.*

§. 29.

γ) Exposita itaque ac delineata pulcherrima

(*) Cui varias eorum glossas lustrare volupe est, adeat *Bochartι Hieroz. P. II. L. I. c. 2. col.* 10. & *c.* 5. prolixius.

tima columbæ noſtræ facie, paucis adhuc de ejus *alis*, quas contextus per כַּנְפֵי effert, agere reſtat. Non ignoro, quod plurimi, niſi omnes ſ. Oraculorum Interpretes vocem hanc ita conſtruant, ut tegumentum argenti ad illam referendam cenſeant, ſic tamen ut alii *alas* per συνεκδοχὴν pro toto corpore ſumant, alii per כַּנְפֵי & אֶבְרוֹת unam eandemque rem, *alas* ſtrictè ſic dictas, deſignatas velint. Ne autem numeri aut generis diſcrepantia obſtet, ſine cunctatione ad enallagen numeri dualis in ſingularem recurrunt, quaſi diceretur: *ſicut alæ, quarum utraque obducta eſt argento*; כנף autem ſingulare (ut Lexica volunt) eſt generis communis, ſæpiùs tamen feminini. Hoc eſt, ſemetipſum in anguſtias detrudere, &, ut arbitrariæ ſeriei ſatisfiat, quidvis pro quovis aſſumere. Non contemnenda eſt quidem Enallage, nec è foro grammatico eliminanda, ſed tamen cautius ponenda, nunquaquam niſi plurimæ rationes ad id invitent, quarum hic nulla, quod ſciam, obtinet. Præterea, cùm non כנפות fem. plur., ſed כנפי maſc. duale conſtr. occurrat, concinnius utique per enallagen נחפה maſc. ſing. exaratum fuiſſet, vel potius absque enallage, vi conſtructionis plenæ, נחפיכם. Hæc omnia ſatis, ut puto, evincunt, τὸ כנפי non tam ad ſuperinductum argentum, quàm

ad alios ſignantiores uſus eſſe referendum, quos metonymica deductio illuſtrabit.

§. 30.

Sacri æque ac profani ſcriptores unanimiter obſervant, vel obſervandum præbent, columbas inter reliquas ſuas virtutes ac perfectiones *ſumma* quoque gaudere *celeritate in volando.* Hinc eſt, quod olim David (*Pſ.* LV. 7.) *alas columbæ* ſibi optaverit, ut videlicet *celeri fuga* ſe imminenti periculo ſubduceret, addit enim: *ecce quàm longiſſimè evagarer, commoraturus in deſerto, & maturarem effugium ocyus vento rapidiſſimo.* Hinc itidem Hoſeas (c. XI. 11.) de Iſraëlitis reverſuris ad Jehovam Deum ſuum dicit: *trepidi accurrent.* i. e. ſumma cum feſtinatione advolabunt, *ut avicula ex Ægypto, & ut columbæ è terra Aſſyriæ.* (*) Signanter quoque *Eſaias* LX. 8. de converſuris ſeſe ad Meſſiam gentibus effert: *qui ſunt iſti, qui ut nubes convolant, & ut columbæ ad feneſtras ſuas?* qua utraque phraſeologia *ſummam* denotari *celeritatem*, nemo non videt.

Pro-

(*) Magiſtri hoc referunt ad Iſraëlitas ex captivitate Babylonica ſumma cum alacritate redituros; ſed verſus antecedentes erroris eos arguere poſſunt. Quoad perniciſſimum volatum ac celeritatem eis nobiscum convenit.

Profani quoque Auctores haud pauci conſentiunt, quùm aliquid velociſſimè pergens *columbæ inſtar citum* appellant. Unum alterumve exemplum adduxiſſe juvabit. Chorus apud Sophoclem in Oedipo Coloneo: Ἔιτ', ἀελλαίᾳ ταχύῤῥωτῳ πελειὰς, ἀιθερίας νεφέλας κυρσαίμε &c., *utinam, ut turbineo impetu columba æthereas nubes permearem.* Plinius quoque Lib. X. c. 36. *columbas* dicit *ſoluto volatu eſſe accipitre in multum velociores.* Euripides de Bacchis ad Penthei cædem properantibus ait: Ἧξαν πελείας ὠκύτητ' ἐκ ἥσσονες. *Irruerunt columbæ celeritate non inferiores.* Hanc ob rationem antiquitas crebrò columbas tabellariorum ac nunciorum munere fungi paſſa eſt; nec recentiora hujus negotii paſſim deſunt indicia (*). Velocitas hæc columbina tamen præcipuè celebratur, quùm *avis mitiſſima*, vel, ut Varro loquitur, *clementior* in aliquo periculo ſeu vitæ diſcrimine verſatur, quod ob perpetuas milvii accipitrisve inſidias ſæpenumerò accidit; tum enim admiranda ſuæ celeritatis edit ſpecimina. Inde deſumtum, quod multi Judæorum magiſtri ad ſuprà laudatum Davidis locum annotarunt: *Reliquæ omnes aves, cùm*

(*) Digna ſunt lectu, quæ hanc in rem adfert *Bochartus Hieroz. p. II. L. I. c. 2.*, ubi quoque aliquot diſticha Heinſiana de *columbis Leidenſibus* allegat.

volando fessæ sunt, super petram aut super arborem fugiunt & capiuntur; sed columba, cùm est fessa, alarum unam comprimit, & altera volat, sicque evadit nec capitur. Idem insinuare vult *Phædrus Lib. I. Fab.* 31. *vs.* 3, 4.

Columbæ *sæpè cum fugissent milvum,*
Et celeritate pennæ *vitassent necem.*

Ex quibus omnibus conficitur, non injucundam futuram esse Psaltis imaginem, si in postremo nostri commatis membro non tantùm *admirabilem columbæ adspectum*, verùm & ejusdem *summam*, imprimis cùm ab hoste petitur, *pernicitatem* metonymicè pingere voluisse dicatur. Id eò majori cum fiducia urgere licebit, quia כנף, quod Psaltes hic non sine ratione ad *alam* designandam adhibet, quùm mox in sequenti membro alia ejusdem usus voce (*) utatur, ad hunc significatum sit aptissimum, utpote quod secundùm Lexica *quamvis* denotat *extremitatem*; vi originis autem *cingendi* potestate

(*) אֶבְרוֹת, ut §. XXIV. observatum fuit, propriè notat *pennas majores*, quæ *robur ac firmamentum alæ* insinuare valent. כנפים autem *ejusdem agilitatem* ac *velocem motum* indigitat. Utraque tamen denominatio fermè semper Synecdochicè pro *tota* usurpatur *ala*.

ſtate gaudet, ac proinde eas præcipuè inſinuat pennas, quæ in ala magis eminent, eam veluti cingunt, atque ideò ad *columbæ volantis velocitatem* pingendam aptæ ſunt. Hæc χρῆσις verborum rei contextui conformis, jucundam ad Eccleſiam transeunti ſuppeditabit materiem.

§. 31.

Quod hucusque quoad literam enucleatum dedimus Emblema, & a *Pſalte noſtro* vividiſſimis non minus quam elegantiſſimis coloribus delineatum vidimus, ditiſſimam nobis exhibet copiam, Eccleſiæ in perſecutionibus & inde oriundis afflictionibus verſantis beatiſſimam conditionem percipiendi. Id ſecundùm filum demonſtratum ita deducere annitar, *ut primò* admirabilem Eccleſiæ Dei faciem, nunquam non lætiſſimè florentem, perluſtrem; *dein* ejusdem ex adverſitatibus ac periculis ſubinde elapſuræ perniciſſimam evaſionem indicem. Quod omne divini noſtri vatis ſcopo convenientiſſimum, & cum aliis promiſſionibus divinis in ſ. Codice paſſim obviis congruum, conſtanti omnium temporum eventu comprobatum eſſe ex Eccleſiæ Novi Fœderis annalibus nullo negotio oſtendi poteſt.

§. 32.

Verbulo suprà (§. XXI.) monstravi, Ecclesiam in S. literis haud rarò emblemate *columbæ* proponi, idque ob multiplices hujus avis dotes nullo negotio ad Ecclesiam transferendas. Perappositum profectò esset, id rei hic pluribus exequi, atque Analogiam, quæ Ecclesiæ cum avium mitissima intercedit, prolixius enotare; sed quia non exigua ingeniorum eruditissimorum, profundissimi præsertim operis, quod *Canticum Canticorum* inscribitur, Interpretum manus hoc jam sæpius fusè egit, ac proinde nobis fermè otium fecisse dici potest, paucis modo hoc defungi licebit, ut telam nostram eò felicius ac jucundius pertexamus. Observant naturæ indagatores, columbam non quidem omni felle carere (ut vulgi fert opinio), sed non ita copiosum habere fel, unde valde est mansueta, timida, simplex & pacifica, & nulli animalium, vel avium præsertim, noxam aliquam meditatur; ita quoque electum Dei peculium, Ecclesia, per Numinis gratiam & Spiritum ejus regenerantem quoad interiorem suum hominem tota purgata, & ab omni iniquitatis ac malitiæ fermento liberata, non potest non summa sua mansuetudine ac animo pacis amantissimo celebris esse, & mitissimi sui Salvatoris

toris ac ſponſi veſtigia premere. Simplicitas ac candor in omni ejus vita, doctrina & moribus clarè perſpicitur. Tantum abeſt, ut cuipiam voluntarie inferat damnum, ut potius nocenti ſibi quodvis malum bono rependere ſtudeat, atque ita carbones in caput ejus coacervet. Singulare in hac ave mutui amoris, puritatis ac caſtitatis (*) deprehenditur ſtudium; Eccleſiæ veræ indoles ſecum fert, ut ejusdem fidei participes intenſiſſimo complectatur amore, illumque verbis & factis demonſtrare annitatur. Nihil ei magis curæ eſt, quam ſe totam inculpatam ac ſanctam conſervare, corpusque atque animam hoſtiam vivam ac Deo placentem ſiſtere. Ut columba, licet innocentiſſima ſit, varii generis hoſtibus eſt obnoxia; ita totus ſemper mundus ſeſe Eccleſiæ opponit, eamque innocuam deſtruere conatur. Columbarum denique ac turturum proprium eſt *gemere* (**), quum reliquæ aves fermè omnes cantu ab eis dignoſcantur; electæ Dei gentis hic quoque character eſt, gemebunda crebrò audiri voce, triſti incedere vultu, ac ſtatum ſuum ob ſævas hoſtium catervas deflere, cùm reliquus mun-

(*) Inſignia hujus documenta tradit nobis *Cl. Bochartus Hieroz. Part. II. Lib. I. c. 4.*, quæ legi relegique merentur.

(**) Conf. *Eſai.* XXXVIII. 14. LIX. 11.

dus gaudio & exultatione lætos inſtituit hymnos, ſecundùm infallibile illud Servatoris noſtri ad diſcipulos ſuos vaticinium: *Amen dico vobis, flebitis vos & lamentabimini, mundus autem gaudebit, vos verò triſtes eritis. Joh.* XVI. 20. Quemadmodum autem pulcherrimæ illi avi ope pernicitatis alarum ſuarum, illæſa pulchritudine, plerumque immanes rapacium volucrum ungues effugere contingit (*); *ſic nitidiſſima in oculis Dei gens certo certius jucundam è crudeliſſimis omnium hoſtium ſuorum manibus* eliberationem ſibi polliceri poteſt: *evadet*, inquit *vſ.* ſeq. optimus Salvator, *triſtitia veſtra in gaudium; & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.*

§. 33.

(*) Conſtans Scriptorum Hiſtoriæ Nat. eſt traditio, columbam ab accipitre capi non poſſe, ſi modo ſimplicem retineat volatum; citò autem capi, ſi plaudat. Unde non incongruè colligere datur, Eccleſiam ſimplicitatem in doctrina, vita & moribus conſervare debere, ut contra omnes hoſtes ſuos tutiſſima maneat; quodſi autem plaudere, luxuriæ & externis præſidiis confidere occipiat, ſæpenumero in ipſa ſua gloria & in ſplendore ſummo exponitur periculo. Analogias columbam inter ac Eccleſiam poſt alios pluribus enarrat *Wolfg. Franzius Hiſt. Animal. Part. II. c.* 15.

§. 33.

Sic jam ſpontè ad ſummum decus & dignitatem Eccleſiæ, nunquam ab ea receſſuram, delabimur, quam contextus noſtri emblemate duce perſpicuè exhibere conabimur. Non externum autem aliquem nitorem aut honorem hic a Pſalte noſtro innui, vel me tacente cuivis manifeſtum eſſe autumo, ſiquidem Regnum Chriſti, quod hujus non eſt mundi, nec mundanis conſpicuum ſit pompis, non externis gaudet ſignis, ſed in medio hominis ſeſe exſerit, atque ibi ſpirituali ſuo decore ac virtute læte viget; *non eſt*, inquit Apoſtolus (*Rom.* XIV. 17.), *Regnum Dei eſca & potus, ſed Juſtitia & Pax & Gaudium per Spiritum S.* De eo nos dubitare non ſinit evidens contextus noſtri ratio, utpote quæ Eccleſiam perſecutionibus preſſam, & adflictionibus, quoad externum ſuum adſpectum, defœdatam nobis ſiſtit, cui tamen hoc non obſtante ſummum aliquem adſcribit ſplendorem, ſummam tribuit dignitatem, ac proinde ad ſpiritualem & cœleſtem ejus conditionem nos quaſi manu ducit. In ea autem delineanda hunc ſervat ordinem, ut primò univerſalem totius corporis Eccleſiæ faciem proponat, dein ejusdem ſumma ornamenta ac decora penitius indicet: *tecta*, inquit, *eſt* (*columba*)

ba) *argento*, ſive, ut ſuprà (§. XXIII.) expoſuimus, *ſumma albedine ac candore ſplendente*. *Albus* ſive *candidus color* apud ſacros æque ac exoticos ſcriptores paſſim *puritatem*, *integritatem* ac *innocentiam* denotare deprehenditur, oppoſitus *nigro*, qui animi vitiis ac ſceleribus inquinati imaginem gerit; ſecundùm illud Horatianum Lib. I. Satyr. IV. vſ. 81–85.

— — *abſentem qui rodit amicum;*
Qui non defendit alio culpante; ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non viſa poteſt, commiſſa tacere
Qui nequit; hic niger *eſt, hunc tu Romane caveto.*

Hinc Catullus Epigr. XCIV. 1.

Nil nimium ſtudeo, Cæſar, Tibi velle placere,
Nec ſcire, utrum ſis albus *an* ater *homo?*

i. e. bonus an malus. Quum itaque divinus noſter vates mitiſſimæ Jeſu Chriſti columbæ *argenteum colorem* tribuit, non tantùm omnem ab ea impuritatem removet, verùm etiam contrarias ſceleribus virtutes eidem plene tribuit, puritatem manuum in omni opere ac negotio, ſimplicitatem cordis, integritatem vitæ, morum probitatem, ſummam denique in omnibus dictis & factis innocentiam.

tiam. Hiſce candidiſſimis veri nominis Chriſtiani decoribus per regenerationis lavacrum non una alterave ejus pars, non unum alterumve membrum eſt exornatum, verùm *tota ejus*, qua late patet, *facies* amicta & circumdata apparet. *Purificavit*, inquit Apoſtolus *Epheſ.* V. 26, 27., *Chriſtus Eccleſiam lavacro aquæ per verbum, ut ſiſteret eam ſibi glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, ſed ut ſit ſancta ac inculpata.* Hinc *tota pulchra* dicitur amica Chriſti, & *nullum vitium exiſtit in ea*, *Cantic.* IV. 7. Quicquid agit, loquitur ac meditatur, unicè virtutum memoratarum jucundam redolet fragrantiam, adeò ut & infenſiſſimi ejus hoſtes, in vitiorum cœno ſeſe volutantes, non poſſunt non ea tangi, nonnunquam percelli, ac conſtantem ejus in omni bono voluntatem admirari. Et quamvis deteſtanda improbi ſeculi molimina omnia eò collineent, ut decora & ſplendorem populi Dei offuſcent, ſi non extinguant, nihilominus ejus virtus ac potentia radios jucundiſſimos evibrare non deſinit, qui tanto ſubinde coruſcant jubare, ut in mediis oppreſſionibus ac injuriis maximum incrementum capere videantur.

§. 34.

In quo tamen potiſſimùm Eccleſiæ robur, atque

atque gloriæ ejus fastigium consistit, sublimi a Psalte nostro conceptum est meditatione: *& pennæ ejus*, pergit, (*tectæ*) *opere bracteato auri* sive *auro bracteato.* Unanimis ruspatorum naturæ observatio, quæ quotidiana comprobatur experientia, est, columbarum alis peculiare inesse *robur.* Idem & in mystica nostra columba, vivi Dei Ecclesia, deprehendere datur, quippe quæ *alis fidei suæ* admirandam sæpè virtutem ac potentiam exserit, cum qua nulla omninò vis aut fortitudo comparari potest. Etenim his & in abditissima veritatis cœlestis penetralia penetrat, ardua quævis ac dura (*) superat, imperscrutabilia denique, ac cuivis vel acutissimo ingenio impervia (**) facillimo negotio investigat. Quod autem a vate nostro præcipuè indigitatur, est admirabilis *harum alarum pulchritudo*, cœleste decus atque ornamentum, quo non incongruè *præcellentes fidei virtutes ac dignitates* insinuatas judicaverimus, quippe quibus Ecclesia in oculis Dei sui gratissima, vel-

(*) Conf. 1 *Joh.* V. 4. ubi *fide mundum superare* dicuntur Christiani; & *Hebr.* XI. nubes testium adfertur, qui multa dura vi fidei suæ perpessi sunt, Mosis *robur fidei* vide *vs.* 24-26. add. *vs.* 33-38.

(**) Perpende dictum Paulinum 1 *Cor.* II. 14, 15. & c. I. 23-25.

veluti *fundis aureis*, (*Pſ.* XLV. 14.) veſtita dicitur. Non injucundè autem *virtutes ac dotes fidei ſalvificæ* cum metallorum pretioſiſſimo, ac dignitatem ſuam nunquam amittente, auro, conferuntur, quandoquidem in rerum natura nihil præſtantius ac ſolidius Eccleſiæ obverſatur, quàm puriſſima illa *veræ fidei decora*, quæ indolem ſuam & in maximo perſecutionum ac tentationum igne ſervant, imò ſemper multò majori ſplendore ac firmitate inde exeunt, atque ita futuræ gloriæ ac laudis ſpem magis magisque obſignant. Id circumciſionis Apoſtolus Petrus, egregiè inſinuat, quùm dicit: „ Qua in re exultatis ad exiguum „ (tempus) nunc (ſi oportet) in variis „ tentationibus triſtitia adfecti, ut *explora-* „ *tio fidei veſtræ* multò pretioſior (explo- „ ratione) auri, quod perit, & tamen „ per ignem exploratur, inveniatur (vo- „ bis eſſe) laudi & honori & gloriæ, quùm „ revelabitur Jeſus Chriſtus. 1 *Petr.* I. 6, 7.” Quod verò Pſaltes *auri bracteati*, ſeu per bracteas ac laminas diſpoſiti, mentionem injiciat, vibrantiſſimum indicat jubar, quo cœleſtes hæ ac ſpirituales virtutes, ob eximiam ſuam indolem & mutuam harmoniam pulcherrimè coruſcant, & adſpectum cujusvis oblectant. Memorabile præterea, nec noſtra nunc attentione indignum eſt, quod de pulchritudine columbina a rei peritis

ritis traditur, eam videlicet nunquam clariori ratione conſpici poſſe, quàm ad Solis radios; ſimili enim modo & *fidei amoenitates ac decora* nullibi magis ſplendorem ac virtutem ſuam exſerunt, quam præſenti ac lætè radiante *Sole juſtitiæ*, ſponſore illo æterno ac vade conſummatiſſimo, cujus *æterna Juſtitia*, omni omninò auro præſtantior ac carior, inſtar firmi ac immobilis fundamenti omnis nitoris jure meritoque conſideratur. *Hinc enim omnis virtus ac potentia fidei indies majora* nanciſcitur incrementa, lætiores propullulat fructus, ac totum noſtræ ſalutis opus alacriter promovetur. Quapropter etiam olim Alpha & Omega, æternus ille Deus, Angelo Laodiceno (*Apoc.* III. 18.) ſalubre illud dedit conſilium, ut a ſe de hoc auro, igne explorato, i. e. puriſſimo ac præſtantiſſimo emeret, quò dives fieret, quùm antehac totus pauper ac ærumnoſus eſſet. Summa itaque omnis nitoris ac pulchritudinis Eccleſiæ huc redit, quod illa per ſpiritum regenerationis pulchrè lota, & a ſordibus ac maculis carnis purgata, nunquam non ſanctiſſimæ ſuæ fidei virtutes ac fructus lætiſſimè eſſet exſertura, atque demonſtratura, nullam omninò vim ac potentiam vel crudeliſſimorum hoſtium, crucis & afflictionum ſe ab amore dulciſſimi ſui Servatoris Chriſti eſſe ſeparaturam. *Rom.* VIII. 35-39.

§. 35.

§. 35.

Cum hoc inſigni ac nobili Eccleſiæ decore, quod nunc vidimus, arctè connexa eſt *ſumma* aliqua *velocitas*, *alis columbinis* aſſimilata, ob ſingularem earum, quam ſuprà (§. XXX.) vidimus, in volando pernicitatem. Interpretum tantùm non omnium mens ea eſt, nullum hic ſtatui debere discrimen inter כנפים & אברות, quippe quæ uſus biblicus vulgò inter ſe permutet. Sed tametſi lubens agnoſcam, uſum harum vocum ſimplicem in S. literis promiſcuè occurrere, attamen vix defendi poſſe autumo, idem etiam de uſu atque ſenſu figurato valere, præſertim cùm in uno eodemque commate utraque vox adhibeatur. Id me permovit, ut a communi ſententia diſcederem, & oſtenſo (§. XXIX.) conſtructionis incommodo, longè aliam (§. XXX.) ingrederer viam, quæ (niſi me omnia fallant) ad ſublimiorem emblematis ſignificatum commodè pertingendum longè tutiſſima erit. Hac ſemita incedentes docuimus, poſterius אברות per ſignantiſſimum Rhetorices tropum, qui *metaphora* appellatur, transferendum eſſe ad Eccleſiæ *alas fidei*, quas cum omni earum nitore §. anteced. enucleavimus. Prius autem כנפים metonymica ratione decurrens, longe jucundis-

simum præbuit adspectum, quùm eo *summam columbæ celeritatem* denotari indicavimus. Id nostro negotio nunc haud parùm adferet luminis.

§. 36.

Divinus vates in eo erat, ut populum Dei maximis nonnunquam angustiis ac ærumnis occlusum, solaretur, quæque ejus, his omnibus *non* obstantibus, *futura* esset beata conditio ostenderet. *Hinc non* sufficiebat, indicasse, eximium illum splendorem, qui Ecclesiæ veræ proprius est, nulla unquam & crudelissimorum hostium sævitia, nullo afflictionum onere, vel minimum pati posse defectum, licet & hoc magnum profectò gratiæ divinæ indicium sit; sed addenda simul erat certissima futuræ liberationis glorioſæ spes, utpote quæ insigne erigenti afflictos sermoni adferre potest pondus. Unde nec sine multa verisimilitudine quis in eas incidere posset cogitationes, comparationis vim maxime in eo esse sitam, ut *eliberatio atque fuga populi Dei è manibus hostium* præcipuè intendatur, ejusdem autem *beata ac jucunda facies* simul indicetur; verba enim contextus sic sonant: *si fuerit, ut inter medios hostes (oppressi & afflicti) jaceretis, (accipietis) alas columbæ, quæ argento (est tecta), & cujus pennæ vibrantissimo auro bracteato (ful-*

(*fulgent*), i. e. eritis ſicut perniciſſima æque ac pulcherrima columba, cujus pernicitas in alis, pulchritudo autem & decus in colore argenteo, inque pennis eis deauratis conſiſtit. Ne tamen aliquem rarior hæc loquendi ratio offendat, ſubmonendum cenſeo, *alas columbæ* pro *ſumma velocitate* per frequentem illam metonymiæ ſpeciem, qua *cauſa efficiens pro effecto* ponitur, adhiberi. Et cùm columbæ perniciſſimus volatus nunquam majori vi ſe exſerat, quàm cùm ab hoſte ſuo perenni, accipitre vel milvo, perſecutionem patitur, perappoſitè in præſenti loco *celeritas* hæc *columbina* ſpeciatim ad *citiſſimam* populi Dei e poteſtate hoſtium *eruptionem* transfertur. Non negligendam autem eſſe hanc beneficii divini partem, quæ commodiſſimè ex ipſis contextûs noſtri verbis erui poteſt ac debet, nos quoque crebræ ſanctorum cœtuum poſt liberationem ſibi factam concelebrationes, aliaque in hoc negotio paſſim obvia vaticinia, condocere poſſunt. Sic olim Eccleſia lætabunda cecinit: *anima noſtra ut avicula erepta eſt a laqueo aucupantium; laqueo effracto* (*) *nos erepti ſumus Pſ.* CXXIV. 7.

(*) Hic attendi meretur, Eccleſiam eliberatam cauſam ſuæ liberationis omnipotenti Numinis ſui brachio adtribuere, non ſibi aut prudentiæ ſuæ. *Effracto jam* (Numinis poten-

Item *Esai.* XXXV. 10. *Et redemti Jehovæ revertentur, pervenientque Sionem cum cantu, & lætitia perpetua super caput suum. Gaudium & lætitiam assequentur, fugientque mœror & gemitus.* Cui adnecte signantissimum Prophetæ eloquium *Esai.* XL. 29–31. *Dat (Jehova) defesso virtutem & defecto viribus robur copiosè suppeditat. Defetiscuntur quidem pueri & defatigantur, & juvenes prorsùs impingunt; at expectantes Jehovam mutant vires, ascendunt pennis velut aquilæ, currunt neque defatigantur, pergunt nec defetiscuntur.* Insigne quoque & nostro effato haud absimile vaticinium habes *Hos.* II. 11. *Trepide accurrent, ut avicula ex Ægypto, & ut columba e terra Assyriæ; & collocabo eos in domibus ipsorum, dictum Jehovæ.* Quæ omnia cum proposito regii nostri vatis scopo conjuncta luculenter evincunt, viam expositionis nostræ præ cæteris sese commendare, quippe quæ non tantùm verborum seriei, verùm & rei naturæ exactè respondeat.

§. 37.

tentia) *laqueo* facile fuit Ecclesiæ vinctæ exire duris suis vinculis; imò & hic adhuc dicitur *erepti sumus*, quasi vincti nec soli exire potuissent.

§. 37.

En, B. L., beatiſſimam electi Dei peculii conditionem, admirabilem ejus & in rebus deſolatiſſimis adſpectum! Summam utique ſeria hujus meditatio fideli cuivis cœtui adferat neceſſe eſt conſolationem, inſigne ſpei atque gaudii incrementum. Quùm enim ſanctuarium Dei ingreſſus ſacratiſſima perluſtrat monumenta, infallibiles omniſcii ac veraciſſimi Numinis ibi reperit nuncios, qui ſibi crucem & afflictiones certiſſimas prædicunt. Si diuturnam retrò conſulat experientiam, prolixum continuò animadvertet catalogum perſecutionum ſævisſimarum, adverſitatum diriſſimarum, cladum & deſolationum, quibus Eccleſia Dei haud rarò expoſita fuit, quæque eam hodiedum invadere ac deſtruere minitantur. Hinc citra dubium metus, luctus ac contriſtatio animum populi Dei nunquam non conſtrictum tenerent, niſi ſimul de conſtanti ac potenti Patris ſui cœleſtis ope ſibi præſtò futura luculenter edoctus fuerit. De hoc autem ex iisdem ſ. Scripturæ & experientiæ monumentis confirmari poteſt. Præcellentiſſimum cumprimis eſt vaticinium, quod *Eſai.* XLI. 10. ſeqq. conſignatum extat: *Ne timeto, quia ego tecum ſum; ne ſtupeto, quia ego ſum Deus tuus; fortifico*

te, etiam auxilior tibi, etiam sustento te dextera justa mea. En erubescunt & ignominia perfundentur, quicunque exardescunt contra te; erunt tanquam nihil, & peribunt adversarii tui. Quinimò clementissimum Numen non solùm indubitatam Israëli suo è miseriis & adflictionibus ejus eliberationem pollicetur, verùm & insignem eidem reddere proponit splendorem, novum decus atque gaudium. Sic legimus *Esai.* LIV. 7–12. *Ad momentum parvum dereliqueram te, sed miserationibus magnis congregabo te. Pauculo fervore absconderam faciem meam momento a te, sed benignitate sempiterna misereor tui, ait vindex tuus Jehova. vs.* 11. pergit: *O afflicta, procellis agitata, consolatione destituta! ecce ego collocaturus sum cum ornamento lapides tuos, & fundaturus te sapphiris, & disponam pyropo specularia tua, & portas tuas lapidibus carbunculi; denique totum terminum tuum lapidibus speciosissimis.* & quæ similia signantissima sunt loca.

§. 38.

His omnibus perinsigne accedet pondus, quùm sapientissimas optimi Numinis vias in Ecclesia sua ducenda regendaque paulò penitius introspexerimus. Tum enim non modo vivam Ecclesiæ pressæ atque afflictæ imaginem contueri dabitur, verùm & pulchram

chram ejusdem in medio ſqualore ac luctu conditionem cum eventu exoptatiſſimo conjunctam nobis inſinuatam cernemus. Quæ omnia ſi pro dignitate exequi luberet, longè patentiſſimus ſeſe nobis aperiret campus, in quo per ſingula rei Chriſtianæ ſecula eundo nunquam non regii noſtri vatis effatum confirmatiſſimum exhibere poſſemus. Aſt quùm inſtituti ac temporis ratio vela contrahere ſuadeat, neminique, qui vel a limine, ut dicitur, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta ſalutavit, ignotum eſſe queat, ſummam ſemper ac conſtantem ſupremi Eccleſiæ Capitis ac Ducis fuiſſe fidelitatem in populo ſuo lætè ornato ex omni omninò perſecutionis & afflictionis genere eripiendo, nihil amplius addimus, ſed id negotii cujusvis propriæ inveſtigationi ac piæ meditationi committimus. Idem autem ille Deus, qui Eccleſiam ſuam hucusque tam admirabili ratione ex omnium omninò calamitatum & dolorum barathro, in quod nonnunquam per ſapientiſſimarum ſuarum viarum profunditatem devenerat, brachio omnipotentiæ ſuæ eripuit, nec nunc eidem, ſub multiplicium ac ferocium ſuorum adverſariorum jugo fatiſcenti, gratia & ope ſua adeſſe deſinet, verùm eam tempore ſibi opportuno pulchrè exornatam in jucundam tranquillitatem & exoptatam libertatem adferere novit. Quod ut Numini T. O. M.,

unico afflicti Sionis ſolatio, quantocyus exequi placeat, ardentiſſimum omnium Eccleſiarum preſſarum eſt votum; quo & dilectæ meæ Patriæ ſuſpiria profundiſſima unanimiter collineant. Sed manum de tabula.

SOLI DEO GLORIA.

(*) Quam vellem contuliſſet pl. Rev. & Doctiſſimus ELSNERUS expoſitionem hujus commatis, quam *ſ. Venerabilis* H. VENEMA exhibuit *Diſſertatione ſexta in Geneſin* p. 363. & dein in *Commentario ad Pſalmos* prolixius. Lubet eam hic adjicere verbis ex Diſſ. ad Geneſin conciſis & ſummam omnem continentibus: „ *Pſ.* LXVIII. 14. *Profecto* (eam enim hic & ſæpe alias ſignificationem præfert vocula אם) *recubabitis inter duas focarias ſtrues* (quiete & laute degentes) *alæ columbæ obductæ argento, & pennæ ejus auro flaviſſimo*, ſcilicet, inſtar columbæ, cujus alæ candent & pennæ flaveſcunt, argento & auro ſimiles. Senſus eſt, populum Dei tempore Davidis in eum redactum eſſe ſtatum, ut poſtea degere poſſit in ſtatu tuto, ac proſpero & glorioſo, ad ollas ſuas domi ſedens, & ad modum columbæ in columbario tranquille ſe tenentis. Comparatur Iſraël & cum columba ſpecioſiſſima in columbario, & cum homine ad ollas ſedente, ſicut aſinus *Gen.* XLIX. 14. dicitur & inter ſtrues recubans focarias. Quæ expoſitio, licet non vulgata, ex *vſ.* 13. præcedente, ubi de Iſraële dicitur, *& habitans vel manens domi dividet ſpolia*, egregie confirmatur. " Mihi ſaltem hæc expoſitio ſimplicitate ſua ſe magis probat, quam illa, quam tuitus eſt doctiſſimus *Elsnerus*. N. B.

IN-

VIII.
INDICES.

I.
INDEX SCRIPTORUM
QUÆ
CLASSIBUS QUINTA ET *SEXTA*
CONTINENTUR.

ALMONII Epistola ad Plonium, *de Thebæa Legione cum Mauritio, per Maximinianum Martyriis cruentis subjecta.* VI. 3. p. 305.

BARKEY, *Nic.* Observatio *ad Epistolam pl. Rev. & Doctissimi A. L. Zachariæ in locum.* JER. XXXI. 22. *& de Martialis Anchialo.* V. 2. 370.

——— & J. H. PRATJE Epistolæ *super* COL. II. 14. VI. 3. 251.

BERONII, *Magni, nunc Archiepiscopi regni Suio-Gothici & Academiæ Upsaliensis Procancellarii,* Pietas Camenarum Upsaliensium *in beatos manes Reverendissimi Patris Erici Benzelii, Archiepiscopi &c.* V. 3. 395.

BONNET, *Joa. Caroli, V. D. M. & Rectoris Tabernomontani,* Dissertatio Historico Chronologica, *in qua regni Nebucadnezaris, Babyloniorum Regis, & Judæ Regum, Jojakimi, Jechoniæ atque Zedekiæ anni conferuntur ad* JER. XXV. 1. VI. 1. 37.

CASSELII, *Joa. Phil. Professoris Eloquentiæ P. Brem.* Observatio Critica, *Cæsarea Mauretaniæ urbs unde* Jol *vocata?* V. 3. 555.

CELSII, *Olai, S. Th. D. & Prof. Upsal.* vel ERICI O. BERG, Dissertatio, *de Arabum in Hispania regno.* V. 1. 22.

ELSNERI, *Joa. Theoph. V. D. M. Berolinensis, Ecclesiæ Bohemicæ Pastoris*, Disquisitio Exegetico-Critica, *qua de Auctore, occasione, intentione & generali dispositione* PSALMI *LXVIII. brevis conspectus exhibetur.* VI. 2. 99.

——— Disquisitio Theologico-Philologica, *de admirabili Ecclesiæ Dei conditione in medio persecutionum & afflictionum squalore ad* PS. *LXVIII.* 14. Cl. VI. 3. 316.

FUESLINI, *Joa. Conr. Capit. Vitodur. Camerarii*, Dissertatio Epistolica, *rationem nominis* CIRCUMCISORUM, *qui seculo XIII. hæretici fuerunt, investigans, ad Virum Celeb. Danielem Gerdesium.* V. 2. 185.

——— Epistola *ad Nicolaum Barkey, de nova Alexiados editione curanda ac divulganda* VI. 2. 162.

GRUTERI, *Jani*, Epistola *ad Ubbonem Emmium, de morte & meritis* THUANI. V. 2. 393.

HARENBERGII, *Joa. Christoph.* Diatribe Epistolica *ad Nicolaum Barkey de Photii Etymologico Magno.* V. 2. 280.

——— ——— Cogitata *de Pœna servi bicordis ac promissum fallentis* MATTH. *XXIV.* 45-51. LUC. *XII.* 42-48. JAC. *IV.* 8. *V.* 12. Cl. V. 3. 455.

——— ——— Vindiciæ ABRAHAMI, *quibus refelluntur proterve in eum dicta ab Auctore libri* Dictionaire Philosophique Portatif, *cum man-*

mantissa adversus Censorem Batavum Y. v. H. ad res Abrahami pertinente. V. 3. 499.

HARENBERGII, Strictura *in probra, quæ adversus* JOANNIS APOCALYPSIN *leguntur in libro*, Dictionaire Philosophique Portatif, par Mr. de Voltaire, *à Londres* 1764. 8vo. Cl. VI. 2. 42.

——— ——— Epistola *ad Virum S. Reverendum L. Kulenkampium, de Etymologicis quibusdam Græcis.* VI. 3. 278.

HERING, *Dan. Henr. V. D. M. Ecclesiæ Reformatæ Wratislaviensis*, Dissertatio *de doctrina Bileami, Nicolaitarum & Jezabelis ad* APOC. II. 14, 15, 20. Cl. VI. 1. 1.

AB IHRE, *Joannis, Cancell. Reg. Suecicæ Consiliarii, Eloq. & Polit. Professoris & Skyttiani, ac de Stella Polari Equitis aurati*, Vaticinium *de futura post aliquot secula Reipublicæ Litterariæ facie, per illa, quæ jam adsunt, indicia indagata.* V. 1. 1.

KENNICOTT, *Benjam. S. Th. D. & Socii Collegii Exeterani*, Status Collationis Hebræorum V. T. Codicum manu exaratorum, *qualis fuit sub finem anni ab incepto opere tertii* 1762. V. 2. 296.

KOOKEN, *Henr. V. D. M. in Valkenswaard & Dommelen*, Observatio *ad* ROM. VII. 8-12. *qua inquiritur in discrimen, quod intercedit inter* Νομου & Εντολην, *eoque constituto brevis eorum commatum exegesis datur.* VI. 2. 172.

KULENKAMP, *Luderi, Phil. Prof. P. Ord. & cœtus Reformati Goetting. V. D. M.* Specimen *Emendationum & Observationum* in Etymologicum Magnum, *maximam partem petitarum* ex Codice Gudiano, *qui Guelpherbyti in Sereniss. Ducum*

Ducum Brunsvico-Luneburgensium Bibliotheca adservatur. VI. I. 133.

MEDHURST, *Jo., V. D. M. Bremensis*, Observatio *in* PSALM. *LXII.* Cl. V. I. 119.

——— —— Observationes *Miscellaneæ.* VI. I. I.

MEIER, *Davidis, V. D. M. in Ham & Franzum Groninganorum*, Observatio *ad* EPH. *VI.* 10. *sqq. qua probatur Paulum in hoc Epilogo non universum cœtum Ephesinum, sed ministros & Antistites ejusdem cœtus Ephesini alloqui.* VI. I. 98.

PRATJE, *Joa. Henr. Consistor. Reg. & Superintendentis Generalis ducatuum Bremensis & Verdensis*, Commentatio *brevis de verbo* הרשיע. V. I. 78.

—— —— Meditatio *Exegetica in* 2 COR. *IV.* 6. V. I. 90.

—— —— & N. BARKEY Epistolæ *super* COL. *II.* 14. VI. 3. 251.

R * * * P. B. Specimen *Observationum Philologicarum in N. T. ex* ARTEMIDORO. V. 2. 198.

DE RHOER, *Jac. Philologi Daventriensis*, Exercitatio *de Privilegiis ac jure Pontificis M. Romanorum in sacerdotes urbis, deque ejusdem auctoritate in templa & sacerdotes Provinciarum.* VI. 2. 134.

RICHTER, *Joa. Nic. V. D. M. Ernestivillani*, Observatio *ad* I COR. *XV.* 29. *de Baptismo super mortuis.* V. 2. 264.

—— —— Observatio *ad* JOA. *VII.* 38. V. 3. 544.

SCHOLTEN, *Hermanni, Th. D. & Prof. in Academia Lugduno-Batava, Vita Græcorum carminibus restituta, vel* Leges Accentuum genui-

nuinæ, *ex atra multorum seculorum nocte in claram productæ lucem.* V. 2. 239.

SEGAAR, *Caroli, Prof. L. Gr. & V. D. M. Trajectini*, Observationes Critico-Theologicæ *in Caput* PRIMUM EPIST. AD ROMANOS. V. 1. 97.

STOSCH, *Ferdinandi, S. Th. D. & V. D. M.* Observatio *ad* JES. XL. 22. VI. 2. 1.

——— Cogitationes, *de Christo Signo, cui contradicitur ad* LUC. II. 34. V. 2. 11.

WENTZ, *Joannis Georgii, Bipontini S. Min. Candidati*, Dissertatio *de Ingressu Pontificis M. in S. Adytum non nisi unico.* V. 2. 319.

——— Dissertatio *de functionibus Pontificis M. in S. Adyto, earumque significatione.* VI. 3. 287.

DE WITT, *Cornelii, V. D. M. Emeriti & LL. OO. Professoris in Ill. Sylvaducensium Athenæo*, Dissertatio Theologica *de Davide Prophetâ.* VI. 1. 62.

ZACHARIÆ, *Augusti Ludovici, V. D. M. Cothenienſis*, Schediasma *ad Nicolaum Barkey, in quo de versione Græca Alexandrina loci* JEREM. XXXI. 22. *quæritur.* V. 2. 346.

II.

INDEX
LOCORUM S. S.
ILLUSTRATORUM.

Gen. XII. 1 - V. 507
Exodi XXII. 9 V. 82
Lev. XVI. 12. 13 V. 335
—— —— 14. 15 V. 289
—— XXVI. 1 - VI. 2. 24
Num. XXV. 1. 8 VI. 1. 51.
Deut. XXXI. 9. 24-26 VI. 267
1 Sam. XX. 19 - VI. 2. 26
1 Reg. I. 9 - - VI. 2. 27
2 Reg. XXIV. 15. VI. 1. 57
Job. X. 2 - - - V. 87
—— XXI. 19 - VI. 2. 30
—— XXII. 14 - VI. 2. 7
—— XXVI. 10 VI. 2. 7
—— XXXII. 3 - V. 82
—— XXXIV. 12 V. 87
—— —— 17 V. 84
Pſ. XVI. 4 - - V. 168
— XXII. 3 - - V. 133
— XXXVII. 33 V. 88
— XXXIX. 3 - V. 131
— XLII. 8 - VI. 3 198
Ps. LXII. - - V. 119
— LXV. 2 - - V. 131
Ps. LXVIII. - VI. 2. 99
Ps. LXVIII. 14 VI. 316. 386
— LXXVIII. 15. 20 V. 551
— XCIV. 21 - V. 83
— CV. 28 - - V. 294
— — 47 - - V. 551
Prov. III. 27 - VI. 225
—— VIII. 2-7 VI. 2. 7
—— XII. 2 - - V. 88
—— XVIII. 10 V. 159
—— XXVI. 8 VI. 2. 24
Cant. I. 6 - VI. 209. 217
Jeſ. VIII. 14. 15. 18 VI. 2. 34
— XI. 1 - - VI. 3. 187
— XIX. 19 - VI. 2. 27
— XXVIII. 14 VI. 2. 34
Jes. XL. 22 - VI. 2. 1 ſ.
— LIII. 4. 5 VI. 3. 196
Jerem. XXV. 1 VI. 1. 37 ſ.

JEREM. XXXI. 21 - VI. 2. 29
JEREM. XXX 22 V. 346. 370
Ezech. XXI. 21 VI. 217
Dan. I. 1 - - VI. 1. 43
—— II. 1 - - VI. 1. 43
—— IV. 24 - VI. 248
Hos. II. 15. 16 - V. 387
Hagg. II. 6 - VI. 1. 28
Zach. IX. 16 - VI. 2. 28
Mal. III. 1. 2 - VI. 1. 28
Matth. I. 20 - - V. 208
—— II. 15 - V. 209
—— III. 10 - V. 211
—— V. 6 - - V. 213
—— —— 41 - VI. 2. 22
—— XI. 8 - V. 215
—— XII. & XIII. V. 327
—— XIII. 47 - V. 219
—— XIX. 21. 22 VI. 237
—— XX. 15 - V. 109
—— XXIV. 30 VI. 2. 15
—— —— 45-51 V. 455
—— XXVI. 26 V. 219
—— —— 37. 39 VI. 202
—— —— 50 VI. 208
—— —— 64 VI. 3. 190
Marc. XII. 16 - V. 220
—— XIV. 35. 41 VI. 206
Luc. I. 49 - - V. 221
—— II. 1 - - V. 222
LUC. II. 34 - - VI. 2. 11
—— VIII. 33 - V. 223
—— —— 52 V. 223. 225
—— IX. 42 - - V. 225
—— XI. 52 - - V. 357
LUC. XII. 42-48 - V. 455
—— XXII. 41 - VI. 202
JO. VII. 38 - - V. 544
— XVIII. 37 VI. 3. 190
Act. II. 42 - - VI. 237
—— IX. 31 VI. 262. 274
—— XVI. 14 - - V. 227
—— XVIII. 27 - V. 228
—— XIX. 13 - VI. 1. 113
—— XX. 30 - VI. 1. 112
—— XXIV. 17 VI. 243
Rom. I. 5 - - V. 98
—— - 9. 10 - V. 100
—— - 13. 14. 15 V. 102
—— - 16 - - V. 105
—— - 29 - - V. 106
—— - 30 - - V. 111
—— - 31 - - V. 115
—— - 32 - - V. 117
—— III. 13 - - V. 229
ROM. VII. 8-12 VI. 2. 172
—— —— 12 - VI. 2. 186
1 Cor. V. 8 - - V. 109
—— X. 4 - - VI. 2. 29
—— —— 8 - - VI. 1. 33
—— XV. 15 - VI. 275
1 COR. XV. 29 - V. 264
—— —— 32 - V. 229
2 COR. IV. 6 - - V. 90
—— VI. 15 - - V. 491

2 COR. VIII. 15 - VI. 240
— IX. 12. 13 VI. 230
— XI. 6 - - VI. 231
— XII. 4 - VI. 3. 191
— — 7 - - V. 230
Gal. II. 9 - - V. 231
Eph. I. 15 VI. 253. 260. 272. 274
— - 19 - - VI. 1. 106
EPH. VI. 10 ſ. VI. 1. 98 ſ.
Phil. I. 21 - - VI. 3. 195
— III. 1 - - VI. 1. 83
— IV. 18 - - VI. 243
COL. II. 14 - - VI. 251
1 Theſſ. V. 6-8 VI. 200
1 Tim. V. 22 - V. 233
2 Tim. I. 5 - VI. 3 193
— III. 8 - VI. 1. 113
— — 15 - - V. 233
Hebr. VI. 7 - - V. 234
— — 10 - VI. 239
— — 13. 16 VI. 263 276
— VII. 23 - - V. 235
— — 26 - - V. 109
— IX. 4 - - V. 336 ſ.
Hebr. IX. 7 - - V. 332
— XII. 16. 17 VI. 1 34
HEBR. XIII. 16 - VI. 219
Jacobi ad Epiſtolam V. 289.
— I. 8 - - V. 494
— - 17 - - - V. 236
— III. 6 - VI. 3. 189
— IV. 2 - - V. 110
JAC. IV. 8 - - V. 494
— V. 12 - - V. 496
1 Pet. I. 7 - - VI. 3. 195
— III. 7 - - - V. 236
— — 21 - - V. 237
2 Pet. II. 6 - - VI. 2. 33
— — 15 - VI. 1. 35
Jud. 7 - - - VI. 2. 33
— 11 - - - VI. 1. 35
APOC. II. 14. 15. 20 VI. 1. 1 ſ.
— — 24. 25 VI. 1. 23
— XX. 2. 4. 5 VI. 2. 56
— XXI. - - VI. 2 62
— XXII. 7. 12. 20 VI. 1. 27

III.

INDEX VOCUM HEBRAICARUM.

אברה - - - VI. 355
אחת τοις ὁ semper est *semel* - - - - V. 334
אלון - - - - V. 537
אצבע - - - V. 342
גדר - - - - - V. 147
גלעד - - - VI. 2. 26
גמילות חסדים *non* convenit cum Κοινωνία - VI. 232
דומית - - - V. 129
הותת הות - - V. 139
הצדיק - - - V. 81
הרשיע - - - V. 78
התיצב - - - VI. 342
זנה - - - - VI. 1. 5 f.
חוג - - - - VI. 2. 2
חסד - - - V. 182
חרץ - - - VI. 360
יונה - - - - VI. 352
ירק - - - - VI. 359
ירקרק - - - VI. 357
ישב - - - - VI. 2. 2
כביר - - - - V. 85
כנף - - - - VI. 368
כסף - - - VI. 348
מ *tempus* sæpe indicat, *quo aliquid fieri cœpit* V. 149
מחסה - - - V. 155
מנה - - - - V. 463
משכית - - VI. 2. 25
פלג - - - - V. 487
צדקה *Eleemosynas* comprehendit - - VI. 244
צינים - - - VI. 2. 29
קבה - - - VI. 1. 5
ראשון - - - VI. 1. 46
שום significatum habet *faciendi injuriam* - VI 211
שכב - - - VI. 342
שלי, *quæ mea est possessio* V. 212
שפתים - - - VI. 325

IV.

INDEX VOCUM GRÆCARUM.

Ἀβλεπτως & παντοτε non *sine ratione* jungun-
tur - - - V. 101
ἁλουργις, *purpura* - V. 217
ανεητος - - - V. 116
ανιπλεκειν - - VI. 2. 36 ſ.
αξινη - - - - V. 211
ἀξεινη, *inhoſpitalis, dura*
V. 212
απαξ, *ſemel* - - V. 332
απανοια - - - V. 116
αρρητον - - VI. 3. 191
ασυνητος - - - V. 116
ασυνθετος - - V. 117
Βαρος *de legibus Cerem.*
VI. 1. 23
βρεφος - - - V. 233
Γερον - - - VI. 1. 172
Δικαιων - - - V. 80
διχοτομειν V. 460. 465. 471
δίψυχος - - - V. 494
Ἔθη, *mores publici & re-*
cepti - - - V. 111
εἰκων, de *quacunque imagi-*
ne - - - - V. 220
εἰναι, *ſignificandi* notionem
habet - - - V. 220
εἰπειν, imperare - V. 93
εἰρεσιωνη - - VI. 1. 163
ἐν, pro ἀμφ - VI. 3. 197
ἐνδυναμεως - - VI. 1. 104
ἐπιγραφη *inſcriptio* - V. 221
επινοια - - VI. 1. 168
ερεσιμος - - - V. 231
ετερος - - - VI. 208
ὑποθεσις - - - VI. 224
Ηθος, *indoles & mores in-*
terni - - - V. 111
Θεοσεγης, *Dei oſor* V. 111 ſ.
ϑηλομαχειν - - V. 229
Ἱλαστηριον - - VI. 292
Καθευδειν - - - V. 225
κἀ, *ſed, atque* - V. 102
κακια, quomodo *differt a*
πονηρια - - V. 109
καχηθεια quale vitium - V.
110
κατα, *per*, vel *de* VI. 254. 276
—— an *relationem* aliquam
innuat? - VI. 258. 272
κατ ἐμε *quantum in viribus*
meis ſitum eſt - V. 104
καταφυγια - - VI. 1. 166
καταφυτευειν - - V. 382
κτησ

πειθὸς - - VI. 2. 33. 342
πικι - - - VI. 1. 179
πικυς - - - VI. 1. 177
πιων - - - - V. 232
πλυδωνιον - - - V. 289
πηιλια - - - V. 552
πηινωνειν - - - V. 233
πηινωνια - - - VI. 228
πηλυραι, πηλυξιτης - VI. 1. 159
πρημνος - - - V. 223
Λαμπειν, *lucere* - V. 93
λατρευειν de *ministris* & *doctoribus* - - V. 100
Μαλακος & vestes μαλακαι *purpurei coloris* - V. 215
μαννος - - VI. 1. 181
μεγαλειον - - - V. 221
μεθοδεια - - VI. 1. 111
Οικος de *familia* - V. 232
—— de *palatio* & *cœlo* V. 218
Οικουμενη de *terra habitata* V. 222
Οινος - - VI. 1. 168
Ονομα Χριστε, *Christi doctrina* - - - V. 99
Παυσωλια - - VI. 1. 109
παντοτε & αδιαλειπτως non sine ratione *conjunguntur* - - - V. 101
Περιμμειν - - V. 235
πλεονεξια - - V. 109
πνευμα, *homo spiritualis* V. 101
πονηρια quomodo *differt* a πακια - - - V. 109
πονηρος, pro *invido* V. 109
πορνεια de *omnis generis libidine* & scelere V. 107
Πορφυροπωλαι, *purpurarum piscatores* - - V. 227
ποτηριειν - - V. 228
πυελιον - - - VI. 1. 7
Ρηξαι, in genere *vehementius aliquid dejicere* - V. 226
Σαγηνη - - - V. 219
σημειον in *statu regiminis non otiosum* - VI. 2. 15
—— pro *lapide viali* - VI. 2. 29
σκολοψ - - - V. 230
σταθμη - - - VI. 1. 176
συλος - - - V. 231
συμβιος de *conjuge* V. 237
συνοικειν - - - V. 236
συντεχια *pro re nata* explicanda - - - V. 379
Τειχος - - - V. 231
τελυτειν, τελυτη - V. 209
τελος, de *morte*, & *excidio oppidorum* - - V. 209
τικτειν - - - V. 234
τυπος, imago - V. 237
Υβριζειν de omnibus quæ *modum excedunt* V. 114
υβελις de *adulterio* & *stupro* V. 108
υβελιστης - - - V. 114
Φονος de *vulnere* - V. 110
Χλωρος - - - VI. 358

V.

INDEX RERUM.

A.

Abrahamus contra *Voltairium* vindicatus V. 499
Accentuum Græcorum genuina ratio & leges V. 239
Adulatio soror *calumniæ* V. 153
Aegypt. priscorum *crudelitas in peregrinos coloris Typhonii* - - V. 518
Aelianus illustratus V. 212
Albedo, *innocentiæ* symbolum - - - VI. 374
Alexiados Annæ Comnenæ præstantia, editiones &c. VI. 2. 162
Algier urbis etymon & an fuerit vetus *Jol* vel *Cæsarea Mauritaniæ*? V. 561
Amuletum in festo Pyanepsiorum *contra annonæ penuriam* - - VI. 1. 163
Ancharia Martialis, etymon V. 367. 390. VI. 408
Animarum transmigrationem in alia corpora statuebant *Aegyptii* - VI. 2. 60
Antigonus Carystius emendatus - - - V. 226
Apocalypsis Joannea scripta est *ante* excidium Judaicum VI. 1. 25. VI. 2. 78. 96. *vindicatur* contra *Voltairium*. 42. nota fuit *Polycarpo & Irenæo*. 46. quare Christiani eam *circumspecte* tractarunt? 47. 80. data fuit ad cœtus *Christianos Hierosolymitanos* 87. unde quædam ex Apocal. adlegantur à Patribus *sub nomine Pauli*? 88. non ei vitio est vertendus introductus à Papia *Chiliasmus* 55
—— *Petri* pro *supposititia* habita - - VI. 2. 74
Arabes unde dicti? eorum distinctio inter *genuinos* & factitios; qui *Saraceni* dicti

dicti? V. 26. de eorum *in Hiſpania* regno 22
Arca apud Hiſpanos erat, dicta *fatalis*, & quare? V. 37
Argenteum pro *candido* - VI. 353
Arnoldus, Brixienſis, non fuit *Publicanorum* hæreticorum caput - V. 187 ſ.
Artemidorus ad illuſtrandum N. T. aptus V. 200 nova editio optanda 205
ad *Aſyla* ſtylis viarum inſcriptum erat *refugium*, *refugium* - - VI. 2. 24
Aurum pallidi eſt coloris VI. 358 *liberum* præſtantius eſt auro *coacto* 361

B.

Baalpheoris de cultu quæ tradunt *Talmudiſtæ* & *Philo* non ſunt omnia fide digna - - VI. 1. 11
Baptismus ſuper *ſepulchra defunctorum* peractus V. 272. ejus *locus* arbitrio baptizantium relictus 273
Baſilii hæreſis a *Poſſino* ex *Alexiade falſo* deſcripta VI. 2. 170
Bayliani Diction. ſupplem. notatum quoad *Arnoldum*, Brixienſem V. 187
Benzelii, Erici, Archiepiſcopi *elogium* - V. 395
Biel, J. C. Lexicon in LXX. & alios Interpr. *ubi* lateat? - - - V. 295
Bileami conſilium *matrimonia* cum puellis *Idololatricis* concernebat - VI. 1. 5 ſ.

C.

Cæſarea Mauritaniæ unde *Jol* vocata? - V. 55
—— vocatæ variæ urbes in *honorem Imperatorum* V. 556
Cerintho Cajus falſo tribuit *Apocalypſin* - VI. 2 83
Chaldæi primas ſedes fixerunt ad oram *Ponti Eupini*, & poſtea migrarunt verſus *Euphratem* V. 511
Chebron duplex ubi ſita? V. 536
—— tribus Judæ *nunquam* dicta fuit *Mamre* V. 541 unde dicta *Kiriath Arba*? 542
Chiliasmum primus ſtatuit *Papias* ex erronea Apoc. expoſitione VI. 2. 55. eum aliqui ſeculis prioribus oppugnarunt 58

Chriſti adventus deſignat in *Apoc.* Ejus *judicium in Judæos* - - VI. 1. 25
Chriſtianorum in Hiſpania ſtatus ſub *Arabum imperio* V. 58. Chriſtiani cum *Mauris conjugia* inierunt 62
Chronologia ultimorum Judæ regum - VI. 1. 37 ſ.
Circumciſi quinam vocabantur ſec. XIII. hæretici? iidem qui *Cathari* V. 185. ita dicti, quia *circumciſionem ſpiritualem* profitebantur 190
Clemens Alexandr. utique Apocal. Joannis meminit - - - VI. 2. 74
Clypei Perſarum ex viminibus - - VI. 1. 172
Cœlum terram undiquaque ambire dicitur - VI. 2. 6
Columbæ magna eſt pulchritudo VI. 362. volatus celerrimus; tabellariorum munera ſæpe obierunt 367. *Eccleſiæ* emblema 350. 370
Columnæ dicti *liberi*, ut qui familiam ſuſtentant - V. 232
Communio quare præcipue complectitur *Eleemoſynas*? - - - VI. 234
Concilium Laodicenum quando habitum? VI. 2. 85 quare *Apocalypſin* non recenſuerit inter libros Canonicos? 86
Cyrilli Lexica quæ dicuntur à ſe invicèm diſcrepant V. 294
—— *Lexicon* in *Bibl. publ. Bremenſi* - VI. 1. 142

D.

Daniel cum ſociis ut *obſides potius quam captivi* conſiderandi ſunt - VI. 1. 53
Davidem fuiſſe Prophetam oſtenditur - VI. 1. 62 ſ.
Dionyſii Alexandr. teſtimonium de *Apocalypſi* expenſum - - VI. 2. 82
Duplex animus quid? - V. 490. 494

E.

Eleemoſynæ quare ſub voce κοινωνίας occurrant? VI. 234
Epiſcopi Hiſpanorum præliis *armati* interfuerunt - V. 63
—— *Romanorum* Orthodoxiæ ſuæ teſtimonium communicare debebant cum præſulibus *Galliæ* VI. 311

Etymologicon M. quod Biblioth. Wolffenbuttelana a *Gudio* accepit, valde differt ab eo quod *Burtonus* a *Galeo* poſſidet V. 281. VI. 281. Gudiani deſcriptio ejusque errores V. 284. 292. VI. 1. 147. 282. an ſit *Photii*? 148. *Galeani* deſcriptio V. 284. 293. emendatur VI. 1. 133. ejus editiones & à quibus emendatum? 136. ex quibus Codicibus emendari poſſit? 139

Eucherius an unus Epiſcopus Lugdunenſis vel duo? VI. 309

In *expiationis diei* ritibus numerus *unitatis* viget - V. 324

F.

Feſtus illuſtratur VI. 2. 145

Flamines & Rex ſacrorum ſacra ſinguli alicujus Dei adminiſtrabant - VI. 2. 147

Fratrum compellatio in N. T. ſæpe miniſtros Evang. innuit VI. 1. 102. eos vocant Arabes concitato animo *filios matris* - VI. 213

Furta commiſſa circa *corpora & reliquias Martyrum* VI. 305

G.

Galliæ præſulibus Epiſcopi Rom. Orthodoxiæ ſuæ teſtimonium communicare debebant - VI. 311

Gibraltar unde dicta? V. 43

Gloſſarium MS. Bartholini vel *Kallii* deſcriptum VI. 1. 144.

Gnoſtici poteſtatem *feminis* dabant ſacra adminiſtrandi - - VI. 1. 15

H.

Hebræis tribuuntur etiam *Sibyllæ* - - VI. 2. 70

Herodes vel *Orodes* vel *Aretas* &c. nomina Proregum - - VI. 2. 70

Heumannus notatus - V. 546 ſ.

Hieroſolyma Nova diverſimode a Patribus expoſita VI 2. 57. quam Judæi cum adventu Meſſiæ conjungunt dixerunt ſpiritualem 64. *Tertulliani* de ea teſtimonium expenſum 75.

de regno *Arabum in Hiſpa-*

nia V. 22 regni Veſtro-Gothorum in ea decrementa 34 de arca Hiſpanorum fatali 37 Arabum in Hiſpania regiminis forma 53. Chriſtianorum in *Hiſpania* cum Mauris connectio 62. eorum ſtatus deplorabilis ſub *Arabum* imperio ibid. quomodo *Hiſpania* a Mauris liberata fuit per *Ferdinandum*? 69 inſigne detrimentum tulit per expulſionem Judæorum & Maurorum 74.

In *lingua Hiſpanica* multa ſunt vocabula Arabica V. 65

Hiſtoria Litteraria in poſterum multo difficilior V. 14

Homeri carmina miſere ex ſcripta & depravata - VI. 1. 177

I.

Idiotismi S. S. emphaſin augent nec merentur taxari - - VI. 231

Jeſabel nomen Judæis *exoſum*, hinc Symbolicum in N. T. VI. 1. 29 an *Apocalyptica* ex Gnoſticorum familia? 15

Ignis quo aurum exploratur *calamitatum* ſymbolum - - VI. 3. 195

Imperatores Rom. non pro ſua autoritate ſententiam dixerunt, ſed Pontificum collegium in conſilium adhibuerunt - VI. 2. 142

Injuria privata non vindicanda per regni ruinam V. 46

Invidus oculus noxam adferre putabatur - V. 109

Jol unde vocata *Cæſarea Mauretaniæ* urbs V. 555. an ſit hodierna *Algier*? 561.

Jolaenſes in Sardinia origine fuerunt *Afri* & unde ita dicti? - V. 559

Joſephi, Flavii, teſtimonium de *Sadducæis* explicatur V. 196

Jordani aquas in baptismo Chriſti fervidas & commotas fuiſſe non abſurde ſtatuitur - - VI. 2. 69

Judæi Chriſtianorum *in Hiſpania* hoſtes V. 59. eorum expulſio regno Hiſpanico detrimentum adtulit 74. Regum eorum ultimorum Chronologia VI. 1. 34

Ju-

Juliani nomen Hiſpanis deteſtabile & quare? V. 36. 47
—— *Apoſtata* ſe ἀρχιερέα μέγαν vocavit VI. 2. 160 forte ex Hebr. IV. 14.
Juſtificatio & *condemnatio* oppoſita ſunt - V. 80
Juſtinus M. dialogum cum Tryphone ante annum 161. ſcripſit VI. 2. 48. quo ſenſu Apoſtolorum fuerit diſcipulus? 52 ejus teſtimonium *de Apocalypſi Joannis* vindicatur 52. 61 non adeo ſuperſtitioſus ac *Voltairo* videtur 69. ejus teſtimonium de 72. cellis Interpr. Alexandr. exponitur - - VI. 2. 71

K.

Kennicotti ſtatus collationis Hebr. V. T. Cod MSS. anni 1762. V. 296. ejus inſtitutum laudatum a quam plurimis - 302 ſ.

L.

de *Lapidibus vialibus*, Mercurio vel Deo termino &c. - - VI. 2. 19
Latinæ linguæ abrogatio malum quoad ſcientias omen - - - V. 17
Lexica realia ſcientiis damnum inferunt. V. 16
Lexicon ad LXX. Interpretes O. C. Biel confecit, & ubinam illud? V. 295
Libamina depingunt *deſideria piorum* per preces effuſa - - V. 168
Librorum multitudo ſcientiis magis obſtat quam prodeſt V. 9. quomodo poſſit diminui? 21.
Librarii & Apographi ab errore non ſunt immunes V. 530
Linguæ tempore Patriarcharum ſibi invicem affines fuerunt - V. 514
Livius illuſtratus - VI. 2. 147
Luctus varia indicia & geſtus - - - V. 223

M.

Mamre fuit *Sichem* vel ejus pars V. 536. eſt *Plinii* Mamortha 528. 537. vocata *Chebron* 539
Manuum impoſitio in caput luctus indicium - V. 224
Maris fluctus ſymbolum *calamitatum* - VI. 3. 198

Martialis Anchialum unde dictum V. 367. 390. VI. 408
Martyrum corpora & reliquiæ ſcr. VI. ſq. à præpoſtere devotis furto ſubducta - - VI. 305
Mauri unde ita dicti? V. 48 eorum crudelitas in Chriſtianos Hiſpanos ibid. eorum regiminis forma *in Hiſpania* 53. *Almoravidum* Maurorum in Hiſpaniam *invaſio* 56. cum *Chriſtianis in Hiſpania* conjugia iniverunt 62. quomodo ex Hiſpania expulſi? 71.
Maymonidi an fidendum? V. 330. VI. 2. 23
Mendacium quare vocentur *homines?* - - V. 170
Menſa Salomonis aurea a Mauris dicitur direpta V. 49
Metaphoræ cumulantur apud Orientales - V. 164
Morbi vitiorum mentis & triſtitiæ ſymbolum - VI. 3. 196
Mortuorum ſuper ſepulchra peractus *baptismus* & quare? - - - V. 271
Muhammedici regni origo V. 28
Municipes Dii gentium peculiares vocabantur VI. 2. 153
Muzarabes Chriſtiani erant & unde? - - V. 60

N.

Nebucadnezaris regni anni cum *Jojakimi, Jechoniæ & Zedekiæ* annis conferuntur - - VI. 1. 37 ſ.
Nicolaitarum doctrina qualis? - - - VI. 1. 29
Nomen Chriſti quandoque eſt Chriſti *Doctrina* V. 99

O.

Oceanus totam terram dicebatur ambire VI. 2. 5 ab *Orco* quævis peſſima veteres derivabant - VI. 3. 188

P.

Papias quo ſenſu *Joannis diſcipulus?* VI. 2. 54. *Chiliasmum* primus ſtatuit 53. 55.
Patrum primorum qualis ſit auctoritas? - VI. 314
Pauperes quare plurimi fuerint primi Chriſtiani? VI. 222
In *Peregrinos* Aegyptii crudeles erant, & quare? V. 517

Pericopæ aliquot S. S. quare non ſervent ordinem Chronologicum? V. 526. nihil hinc decedit verbo Dei 527. 530
In *Petra* à Moſe percuſſa 12 foramina ut *fontes* conſpecta fuerunt - VI. 201
Petri Apocalypſis pro ſuppoſititia habita VI. 2. 74
Photii Etymologicon M. an ſit illud quod *Gudius* Biblioth. Wolfferbuttelanæ vendidit, vel illud quod Th. *Gale* poſſedit? V. 28c ſ. VI. 1. 143. 149
Poenæ ſervorum ap. Hebræos - - V. 477
Polycarpus quamdiu fuerit *Joannis* συζυγος? - VI. 2. 46
Pontif. M. in S. Adytum non niſi unicus ingreſſus V. 319. quare populus metuere poterat? 327. de ejus functionibus in ſ. Adyto earumque ſignificatione - VI. 287 ſ.
— *M. Romanorum* privilegia & jus in ſacerdotes urbis nulla erant, neque in templa & ſacerdotes Provinciarum niſi quæ debebantur Collegii Principi VI. 2. 134 Pontificum collegio ſubjectus fuit VI. 2. 144. hoc Nomine non gaudebant Præſides ſacerdotales in Provinciis 160
Pontifices Rom. reſpectu ad Pontif. M. nunquam adpellantur *minores* - VI. 2. 151
Procli cum Cajo diſſidia de Apocalypſi Joannea VI. 2. 83
an *Pronomina perſonalia* ap. Græcos per αὐτος, αὐτὸ & κατὰ ſæpe fiant poſſeſſiva? VI. 253
Pſalmi non ſervant ordinem Chronologicum V. 527. qui de *Chriſto* loquuntur? VI. 1. 71
Publicani, Fanatici, in Gasconia deſcenderunt in Angliam - - V. 187
Purpureus color regiæ dignitati proprius - V. 217

R.

Regum Orientalium ſumma dignitas & quæ venerationis eorundem ſigna? V. 326

S.

Sadducæi non fuerant Athei V. 193 non rejecerunt libros

libros V. T.; de Spiritibus & Deo perverſe judicarunt 194. animas corporeas eſſe ſtatuebant, redituræ poſt mortem unde venerant 195 de futura vita aliter ac nos cogitarunt *ibid.* de eis *Joſephi* teſtimonium expenditur 196

Salomonis menſa aurea dicitur a Mauris direpta V. 49

Saltabant ap. Hebr. ſoli viri à feminis ſejuncti, & ap. alias gentes - VI. 215

Salus non ſemper in S. S. redemtionem innuit V. 379

Sanguis juxta quosdam *prudentiæ* organum - VI. 1. 165

Saraceni qui & unde ita dicti? - - - V. 27

Satanas a quibusdam Hæreticis *Satanael* dictus fuit, quem Chriſto natu majorem & præſtantiorem dixerunt - - VI. 2. 168

Scholæ Prophetarum antiquiſſimæ quæ præcipua religionis revelatæ dogmata propagarunt? V. 354 ſ. earum expoſitio non fuit infallibilis 376

Scientiarum in hoc ævo incrementa V. 1. ſ. varia fata proſpera & adverſa 5 ſ. futura fata quare haud proſpera videantur? 8.

Sedere in globo terræ imago Divinæ Majeſtatis & dominii - - - VI. 2. 2 ſ.

Septuaginta Interpretes laudantur V. 350. quandoque paraphraſtice vertunt - - - V. 360. 372

Sepultura primorum Chriſtianorum erat in hortis ab odium gentium - V. 275

Servorum pœna nullibi fuit diſſectio V. 458. 476. eorum pœnæ quæ ap. Hebr.? 477 ſ. ab heris reducibus excipiebant munuſcula 460

Sibyllæ tribuuntur etiam Hebræis - - VI. 2. 70

Sichem ubi? V. 510. fuit *Mamre* - - - 536

Sitis ſymbolum *deſiderii* V. 214

Solis curſus in Zodiaco aliisque circulis quomodo deſcribatur? - VI. 2. 8

Stadia octo uni Miliari Rom. fuerunt æqualia VI. 2. 65

T.

T.

Targumim quandoque paraphrasin dederunt - V. 372
In *Templo Hierosol.* speculatorem fuisse missum mane, ad explorandum num dies illuxerat, non videtur probabile - VI. 300
Tenebræ symbolum *malorum* VI. 3. 189
Terra omnium rerum mater & Dea habita - V. 234
Tertulliani testimonium de *Hierosolyma Nova* expensum - - VI. 2. 75 s.
Thara num imaginum fuerit fabricator - V. 509
Thebæam legionem cum Mauritio Martyrium passam fuisse fabula est VI. 305
Thuani elogium a *J. Grutero* profectum - V. 393

V.

Vanitas quare hominibus tribuatur? - - V. 170
Vaticinium de futura *reip. Litterariæ* facie - V. 1 s.
Viales lapides an fuerint in Palæstina? VI. 2. 21. In biviis ad asyla inscriptum erat *refugium*, *refugium* 24. Lapis vialis emblema Christi 32
Unitatis numerus in sacris diei expiationis vario modo viget - V. 324
Voltairii scommata in *Abrahamum* retusa V. 499. & ejusdem *in Apocalypsin* VI. 2. 42. ejus animus in religionem 43
Urbes quædam ab *excelsitate* nomen sortitæ - V. 558
—— *Palestinæ* ex diversis oppidis compositæ fuerunt - - - V. 540

EMEN-

EMENDANDA VEL ADDENDA.

Cl. V. p. 242. ultimam periodam ita *lege*! Hæc ſyllaba autem nunquam quarta à fine vocis eſſe poteſt.

— p. 243. legem ſecundam ita *lege*: Quicquid dictioni ab initio accedit, accentus capax non habeatur, ſive illud ſit augmentum ſive reduplicatio, ſive aliud quid. In vocabulis compoſitis vero quæque pars eam acuat ſyllabam, quæ ante compoſitionem accentu erat prædita, ultimæ partis tonus tamen aliquantum ſupra reliquos emineat.

— p. 392. Exſtat etiam alia Conjectura *Anonymi* in *Bibliotheca Berolinenſi German. T. III. n.* 7. ſi: אכבי אל *quam alius Anonymus* refutatum ivit ibid. *n.* 8. & *P. III. n.* 11. aliam proferendo conjecturam vocem derivat ab הנחי עולות *impoſitio holocauſtorum* . . Ohe! jam ſatis eſt.

ERRATA.

Cl. V. p. 250. l. 14. *lege* πάτερας. p. 251. l. 19. *lege* Αἴδαο. p. 252. l. 3. *lege* ωὐξέσπ. p. 253. l. 16. *lege* ἔχετ. p. 256. l. 18. *lege* ὑλαβηθήτ. p. 259. l. 15. *lege* λάπτω. p. 260. l. 3. *lege* μάλον. l. 11. *lege* ἐσέλθ. l. 16. ἀφεσποιησάμενον. p. 352. l. 8. *lege* uſi. p. 457. l. 2. *lege* ipſum. p. 461. l. 2. *lege* tenebroſa atque prava. p. 464. l. 5. *lege* Judæorum rejecti. l. 10. *lege* ſupplicia. p. 465. l. ult. *lege* præivit. p. 468. l. 15. *lege* non lucida. p. 500. l. 24. *lege* ſubtractum. p. 513. l. 16. *lege* delegerant. p. 519. l. 3. *lege* Thaniticum, medium. p. 522. l. 6. *lege* circumjacentes. p. 525. l. 1. *lege* ſi omnino. p. 534. l. 16. *lege Mamre* ſepulta. p. 546. not. l. 5. *lege* promittitur.

Cl. VI.

Cl. VI. F. I. p. 22. l. 3. *dele* ſive deinde bona laudentur opera : *in tabula.* p. 48. l. 14. *lege* Jechoniæ. p. 104. l. 24. *lege* ſæpius. p. 133. l. 9. *lege* partem. p. 149. l. 25. *lege* Bernenſis. p. 155. l. 18. *lege* τω. p. 156. l. 14. *lege* τοι. p. 158. l. 13. *lege* παϑητικον. p. 159. l. 21. *lege* Ειρεσιωνη p. 164. l. 8. *lege* ζηπει. p. 170. l. 2. *lege* αποκϑεατω pro αποκϑηντω. p. 171. l. 1. *lege* δελφυς. l. 11. διφθογγω. p. 175. l. 19. *lege* λεβητω.

—— F. II. & III. p. 45. l. 8. *lege* omnibus. p. 88. l. 10. *lege* Amphilochio. p. 152. l. 11. *lege* protraham. p. 192. l. 26. *lege* facerent. p. 195. l. 2. *lege* affirmat. 1 *Pet.* I. 7. p. 203. l. 27. *lege* ſi id ipſi p. 260. not. l. 1. *lege* premo.


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
KODAK Color Control Patches
©Eastman Kodak Company, 1997
Kodak
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
© The Tiffen Company, 2000
KODAK Gray Scale
C
Y
M
Kodak
LICENSED PRODUCT
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19